MUSEUM CRITICUM

CONTINENS PRAESERTIM

VARIAS

LECTIONES,

OBSERVATIONES ET DISSERTATIONES

AD

AUCTORES VETERES GRAECOS ET LATINOS

Voluminis primi Fasciculus primus.

COLLEGIT ET EDIDIT

D. FERDINANDUS STOSCH.

L E M G O V I A E,

in Officina Meyeriana MDCCLXXIV.

VIRO

AMPLISSIMO ET VARIAE DOCTRINAE MERITORUMQUE COPIA CELEBERRIMO

JOANNI CHRISTIANO WERNSDORFIO

ACADEMIAE JULIO-CAROLINAE, QUAE HELMSTADII FLORET, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO ET DECORI EXIMIO

IN

PERPETUAE AMICITIAE COMMENTATIONEM PRIMUM HUNC MUSEI CRITICI AB IPSO ORNATUM FASCICULUM

L. M. Q. D. D. D.

FERDINANDUS STOSCH.



PRAEFATIO

L. B. S. D.

F. STOSCH.

In programmate, quod de edendo Muſeo critico *ante biennium ferme evulgavi, alia quaedam in primo illius faſciculo me exhibiturum promiſi, ac nunc le-*

genda

genda exhibeo. Id inde factum, quod partim viri quidam doctiſſimi, quibus conſilium meum magnopere placebat, alia, quae ſalivam lectoribus movere poſſe putabam, inſerenda mihi committerent, partim vero, quod ipſe impedirer, quo minus meis his illisve ſcriptiunculis ultimam manum admoverem.

Deinde, ſedecim pluresve plagulas primus hic continere debebat faſciculus. Sed, tum ob meas

ipsius, tum ob bibliopolii Meyeriani, rationes alias aliasve, mutandum istud consilium, atque ille ad pauciores reducendus fuit plagulas. Speramus autem fore, ut, propitio fatorum nostrorum rectore, DEO, *tres quatuorve quotannis hujusmodi emitti queant fasciculi, in unum volumen facile compingendi; in cujus calce recensum opusculorum omnium in eo contentorum adjiciendi animus mihi est.*

Interim a peritorum arbitrorum judiciis unice pendebit, utrum coeptum perſequendum ſit? an minus? Deproperabam Teutomillae. X. Cal. Aprilis MDCCLXXIV.



I.

VARIAE LECTIONES

AD

INCERTI CUJUSDAM DISSERTATIONES MORALES DORICO SERMONE CONSCRIPTAS,

QUAS

IN OPUSCULIS MYTHOLOGICIS

CUM VERSIONE EX NOTIS

JO. NORTH EDIDIT *TH. GALE*,

EX

CODICE RIGIOMONTANO

DESCRIPTAE (*).

DISS. I. DE BONO ET MALO.

Editio Gale.	*Manuscriptum Reg.*
P. 704 l. 5 τοὶ	οἱ
ibid. λέγοντι	λεγοντι
p. 705 l. 2 τοὶ	τοῖς
p. 705	ποτῖ

(*) Debes, L. B. has lectiones diligentiae juvenili viri post fata celeberrimi, PAULLI ERNESTI JABLONSKI; a

Editio Gale.	*Manuscriptum Reg.*
p. 705 l. 6 ποτιτίθεμαι	ποτῒ
p. 706 l. 1 ἐπιμελὲς	Ita MS. reg.
l. 1 βρώσιος	βρώσισῒ
l. 2 πόσιος	πόσισῒ
l. 3 & 4 ἐστιν	ἐστῒ
l. 4 ὑγιαίνοντι	ὑγῒ sed similia non posthaec monebo.
l. 16 ναυπηγοῖς	παγ
p. 707 l. 1 δὲ ἡσσαμένοις	δ' ἡσσα
l. 11 μάχως	χους
l. 19 ταυτὸ	τὸν
l. 22 Λαπιθᾶν	θᾶν
p. 708 l. 1 γίγασιν	σι
l. 12 κ' εἴη	κείη
l. 13 ἔχεν	ἔχεν
l. 26 ἄγε καὶ δή μοι καὶ	α. δ. μ. κὶ
p 708	κ'

cujus manu accurate illas descripsit filius meus carissimus, JO. DAN. HENR. STOSCH, juris in academia Viadrina studiosus. Integer Graecus libelli titulus hic est: ανωνυμου τινος διαλέξεις δωρικῇ διαλέκτῳ περὶ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τοῦ κακοῦ, περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ αἰσχροῦ, περὶ τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου, περὶ τοῦ ψεύδους καὶ τῆς ἀληθείας, περὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς ἀρετῆς, εἰ διδακτόν. JABLONSKIUS in sui exempli fronte ista adscripserat. *Evolvi codicem MS seculi, ut puto, XI vel XII, optimae notae, qui Regiomonti in Prussia adservatur, cujusque communicationem ab amico impetravi. In illo codice libris Sexti Empirici adversus Mathematicos subjunctus erat hicce libellus. Librarius ista praemiserat.* Δωρικῆς διαλέκτου ἐνταῦθα ἕως τοῦ τέλους. ζητεῖται δὲ, εἰ καὶ τὸ πάρον σύγγραμμα Σέξτου ἐστιν * * * * περὶ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ. Dubitare vix quisquam voluerit, quin iis, quae oblita vir doctissimus legere non poterat, voces λόγος πρῶτος aut similes substituendae sint. Utrum vero a SEXTO profectum omnino sit hoc opusculum, alibi fortassis disquiram. F. St.

Editio Gale.	*Manuſcriptum Reg.*
p. 708 l. 30 & 31 καὶ ἀγαθὰ	κ' ἀγαθά
l. 31 τὠῦτὸν	τὠῦτὸ
p. 709 l. 11 ἀσθενέουσι	νεῦντι
— ποιὲν	ποιεῖν
l. 14 νοσέουσι	σέοντι
— νοσὲν	σειν

Diſſ. II. de honeſto & turpi.	Περὶ καλῦ κὶ αἰσχρῦ
p. 709 l. 26 πρᾶγμα	σῶμα
l. 30 —	μὲν poſitum ante χαρίζεσθαι
p. 710 l. 1 καλῶ	Ita M. S. R.
p. 711 l. 9 ποιὲν	ποιεῖν
l. 11 φεύγεν	φεῦγεν
l. 14 φονεύεν.	εῦεν.
l. 16 ἐφ'	deeſt in MS. R.
p. 712 l. 8 βῶς	Βῶν
l. 9 καὶ ἐνδεῖξαι	κ' ενδ
l. 12 Μακεδόσι καλον	δὲ inter μακεδ. & καλὸν
p. 713 l. 3 κανὼν	κ]ανὼν
l. 12 τὼς	τὺς
l. 15 τῶ	τῶ
p. 714 l. 7 δὲ Ἕλλανες	δ' Ἕλλανει
l. 17 τὼς	τὺς
p. 715 l. 1 ἀλλ' ἀμῖν	ἀλλάμιν
l. 2 εἰς	ἐς

Editio Gale.	*Manuscriptum Reg.*
p. 715 l. 4 ἀνθρώπως	πως
l. 7 καλεφθῆημεν	φθεῖ
l. 12 Ὄψει	Ὄψῃ. Sed eadem manu superscriptum erat ει.
p. 715 l. 18 ἀποδείξεν	ξειν
p. 716 l. 1 ἐρωτάση	τᾶσαι
l. 4 εἴργαςαι	ἔρ
l. 9 τινα κα	νά γα
l. 11 καὶ αἰσχρὸν	κ' αι
l. 12 ἄρα	ἄρ
l. 20 τἄλλα	τᾶλλα
l. 24 τἄλλα	τᾶλ
l. 29 νομίζει	νομιζεν
p. 717 l. 3 αἰ	deest in MS.
l. 7 αἰ	αἰ
Diss. III. de justo & injusto.	Περὶ δικαίω κὶ ἀδίκω
p. 717 l. 18 τιμωρεῖν	ρεν
l. 19 τὸ	deest in MS.
l. 20 τὸ	& hoc deest in MS.
l. 24 τι ἐγκαταφαγὲν	πιε͂ν κὶ φαγε͂ν
p. 118 l. 22 ἄρα	ἆρα
l. 25 ἐπιορκὲν	κειν
l. 28 ἄρα	ἆρα
ibid. ποιήσαι	ῆ
p. 720 l. 2 τὼς	τῶ
l. 20 ἐρωτήσαι	τῆ

Editio Gale.	*Manuſcriptum Reg.*
p. 721 l. 3 ἄδικοι	κον
l. 12 ἀξιόωντι	ον
l. 17 τἄλλα	τἆλλα
l. 20 οὔτι	οὐ τὸ
ibid. ἀλάθειαν	λη
l. 21 αδονας	ης
ibid. ποιέοιντο	οντι
Diſſ. IV. de veritate & falſitate.	Περι αληθυς κι ψεύδυς. In margine.
p. 721 l. 23 τᾶς ἀλαθείας	τῶ αλη
l. 25 & 26 τὸν δὲ λόγω	τόν δε λέγω
p. 722 l. 5 κατηγορεῖς	ρει
l. 7 καὶ	deeſt in MS.
l. 13 Μίμας	Μύσιας
l. 24 ἐρωτάσαι	τᾶ
l. 27 δᾶλον	δῆ
p. 723 l. 3 πολλὰ	πόκα
l. 15 δὲ ἀλαθὲς	τὸ inter δὲ & ἀλαθὲς
l. 23 τἄλλα	τἆλ
p. 724 l. 1 ταὐτὸ	τὸ αὐτὸ
l. 12 τἄλλα	τἆλ
l. 13 ἐυκῶν	ὐκῶν
p. 725 l. 8 οὐ	deeſt in MS.
ibid. τῶ ὕτὸ	το αὐτὸ
l. 13 γλαυκὸς, Ξάνθος	κὶ inter γλαυκ. & Ξανθ.

Editio Gale.	*Manuscriptum Reg.*
p. 725 l. 13 & 14 ξανθος, Ξοῦθος	κὶ in MS.
l. 15 τὰν	τὴν
l. 18 σάκκος και σάκκος	σάκος κὶ σάκκος
l. 21 ὤν	ὂν
l. 24 οἷόν ἐντι	οιον εστι
l. 26 τἄλλα	τἄλ
l. 27 τωὔτὸ	τὗτο.

Diss. V. an virtus & sapientia doceri possint.

p. 726 l. 2 κενός	καινὸς
ibid. ὅτι	τις
l. 8 ἔχεν	ἔχειν
l. 10 διδασκαλικὰ	λοι
ibid. ἀποδεδελμένην	μενοι ἦν
l. 15 τὼς	πῶς
l. 16 παρὰ	περὶ
p. 727 l. 16 ποὶεν	ποιεῖν
l. 18 τεκμάριον	μὴ
l. 24 σοφιςῶν	στᾶν
p. 728 l. 15 διδακτός	τὸν
l. 23 κλάρω	κλη
p. 729 l. 1 διεκλαρώσαμεν	κληρ
l. 2 ἀν ἄνχ' ἕκαςος	ἀνάχ' ἕκατος

Editio Gale.	*Manuſcriptum Reg.*
p. 729 l. 6 τῶς	τȣ̀ς
l. 29 δικάσασθαι	διδασκας
p. 730 l. 14 & 15 τῶν ἐ — ✳ δεῖ	Hiatus hic etiam in MS. erat veluti duorum verbor.
l. 17 λέγοι ✳ ✳ καὶ	Hic in MS. hiatus erat quinque circiter lineas.
l. 29 & 30 τὸ δικαζεσθαι	τὰ δικαια
l. 31 & 32 τὰ ✳ τέρεια	Et hic hiatus erat paucorum verborum.
p. 731 l. 1 και	γα
l. 3 εὐπετης	απ
l. 5 νιν	νῖν
l. 6 οὔκων	ȣ̓κȣν

II.

VARIAE LECTIONES IN *THEOPHYLACTI* EPISTOLAS

EX

COD. MS. AB IS. VOSSIO EDITIONI MEURSII 1617 ADSCRIPTAE, CUJUS EXEMPLAR SERVATUR IN BIBLIOTHECA ACADEMIAE LUGDUNENSIS BATAVAE.

DESCRIPTAE

A

V. C. PETRO BONDAM

HODIE JURIUM ANTECESSORE (*).

P. 16. ἐξέπληξας] καλέπληξας. ἐνεργὴν — χάιρομεν] ἐν ἔργοις — φέρομεν. ἀπραγ-

(*) Virum hunc clarissimum humanissimumque & ex adfinitate cognatum honoratissimum, quum anno MDCCLVII hostilium armorum strepitus pertaesus in conterminas Guestphaliae provincias foederatas excursionem facerem, Zutphaniae invisi. Dum sermones hinc inde caedimus: facile fit, ut in varium suavissimarum utrique nostrum literarum humaniorum genus incidamus. Dum complura de bibliothecae Lugduno-Batavae, nunquam mihi visae cimeliis narrat: in sui memoriam offert mihi has a se exscriptas *varias lectiones*; gratum omnino benevolentiae & amoris *μνημόσυνον*. Quae quum sic mei juris factae; neque hactenus aut ab ipso, aut ab alio in lucem fuerint emissae: harum cupediarum amantibus invidere eas nec potui, nec debui. F. St.

ἀπραγμόνως] ἀπραγμοσύνως.
ἢ βιβλίων ὧζε] ἢ βίων ὥσε.
μετὰ νῶτα] με τά.
ἵπποι φέρονται μόνον] . . . . .
. . . .
ἀνηνιοχότες] ἄνθρωποι ἡνιοχόι τε.
ἤδη κὶ] ἤ που.
ἰπαρισία] ὑππασία.
δεῖ σου τȣ͂] σοι.
αὐτόθι γαρ] θεν.
p. 17. κατόψεται] τή.
ὡς ἔνεςι] . . .
. . .
πολιτευσάμενος] πολιτευόμενος.
εὐφραίνων — τὴν σὴν] εὐφραίνοις — τιθεμένȣ
κὶ τὸν — ἔχοις] . . . — ἔχεις.
. .
κελεύσεως] κεφαλῆς.
τὸ ἀλλήλοις] λους.
τὸν λοιπȣ́ντων] τῶν λυπȣ́ντων.
γραμματίȣ ἡμῶν] ματιδίȣ.
Ἀμαλὲκ τὸν] ὡς πιςεύομεν ἀμαλήλ.
εὐθυπορίαν] ρείαν.
κὶ ἡμῖν κὶ πᾶσι] . . .
. .
p. 18. διὰ σȣ͂ .] . τῶν. συναλγῶν .] . ὡς φιλάδελφος.
τῶν λοιπȣ́ντων] . . . . ἀποίση] ἀποίσει.
. . . . . .
p. 20. καί κεν] . . ἢ εν] εἶ εν.
. . .
κὶ οὔπω τȣ͂το ἂν] . .
. .
εἰσπηδᾶν — τραύμασι] ἐπιπηδᾶν — τρώσασι.
Ἀντίπαλρον] τρου.
ἐπιθανατιόντι] θανῶντι.
p. 21. ἰȣδαίων] γηρουσίας.

 ἵνα

ἵνα φησὶ — πενθᾶς] . . . — . . .
ἐν ταῖς — ἡμέραις] τῇ ἡμετέρᾳ.
θείαν — πλείους] οἰκείαν — μείζους.
σπουδάζοντας — προαπελθόντος] σπουδάζουσιν — θόντες.
τοῦ τ' ἢ] τούτῳ
δὲ τοὺς — δημίους] καὶ — δαίμονας
πολυποικίλης] λου
ἢ κἀκεῖνο] οὐκ ἐκεῖνο
ἔξιν ἡ κακία] ἔξοδον
ἐτάζων . τοὺς νεφροὺς] . καρδίας καὶ
αγαθότητος .] . αὐτῷ
τῷ ἴσῳ ἔργῳ] τὸ ἴσον ἔργον.

p. 22. ὁ θεὸς τούτῳ] . . .
σοὶ καὶ αὐτῷ] . . . — τοῦ
σαλεύοντα — . πνευματικὸν] ἀποσαλ -- . ἀλλὰ
αἰνίττεται] τονται
καὶ ψυχὴ καθαρὰ] ψυχὴν
ἐπὶ γῆς — καὶ . σύφον] ἐπὶ τῇ γῇ — . τὸ
καὶ . ἐν τρόμῳ] . τὸ
ἐννοήσομεν] σα
τί ἄλλο . ἢ . τετραμερες] . πάντως — . τὸ
πρὸς τὰ τοιαῦτα . βλαβερὰ] . ὡς

p. 23. καταλήθοντ' ἐιν αἴδαν] κατὰ λήθον τινα ἴδω
θάνοντα φίλον] θανόντι φίλῳ
τρισμακαριωτάτῳ] τρισμακαρίτῃ
καὶ παραμίλλῳ] ἄπαρα
πειραθεὶς τῆς τύχης] θεις
εἰ γὰρ μὴ μόνον] . . .
τὴν αὐτοῦ . εἰς τὸν] . χεῖρα

αὐτὸν

αὐτὸν δράξεσθαι] αὐτῆς δράξασθαι
ἐι * μὴ ἐγὼ] * δὲ
ὀνειδίσῃ] σει
p. 24. δωδεκάκρομον] δεδεκάκρουνον.
τῆς ἱερουσαλὴμ] τὴν
χωρὶς αἱμάτων] χώριον
ἐι τὸ μὴ μᾶλλον] κὶ — ἄλλον
Φεῦ! τῶν] Φευκτῶν
ἀνεωχμώθη] ἀνεοχμώθη
πρὸς τὰς] τὰ τῆς
τίθεμαι] δέχομαι
κὶ τῶν κοίνων] . . . :
. .
p. 25. τῶν * τέκνων ἰδίᾳ] * ὀικείων
δώσω * κάνονα] * σοὶ
ἐξήρηται] ἐξήρτηται
χάριτας * τοσοῦτον — δέξεις] * ἵνα δὲ σοι κὶ ἀντιστρέφω, ὅσας καταθήσει τῷ ἐμῷ μελιτι μεληματι τὰς λογικὰς χάριτας — δείξω
ὑπὸ σοῦ ὀργιας] σοι
ἔδεξα μὴν] εδεξάμην
μὲν * καλὰ] * γὰρ
ἐκεῖνο ἀνέχεας] . . . ἐνέχεας
. . . .
διψῶντι] τα
μὲν καρδίαν — ὀρίλησεν] τὴν — σας
p. 26. ἰησοῦ δικαιομενην] διακαιομένην
γνωμη κὶ] γνώσει
ἔχοντες — σώματι] ἔσχες — σόματι
ὄυτω γὰρ τελείως] ὄυπω
κὶ τοὶ μάλα] πάνυ
ὡς κἂν τῷ] ὀυκ ἐν
οἶσθα] οἶδας

p. 27. ἀνανήψαι — ἐζωγράφησαν] ἀναλῆψαι — ἐζωγρήθησαν
ὁ Φίλος] Φίλιος
ἐν τὴν . θέμιδος] . τῆς. προςάτης .] . τις
αὐτοὺς — περιπαἶεῖν] αὐτὸς — περιπάἶου
τούτων -- ἐνέτω] τοῦτο -- ἀνέτω
κὶ διὰ τούτων] . . .
ἐργ᾽ ἄτἶα -- ποιουμένην ἐμμελῆ] ἐργαἶὰ -- μενα ἐν μέλει

p. 28. ἢ κὶ πρὸ -- ἐντῇ καρδίᾳ] ἐι -- καρδίας
ἐυωχῦ -- ἔπληνα] ἐμφορῦ -- ἕλληνα
πέπραγε] γα. θέλγηἶρον] θέλγιςρον
τὰ γραμμαἶα -- τοι -- μεγαλύνη] τὸ γραμμάτιον -- τοῖς -- νει

p. 29. τὴν σοφροσύνην — κακότης] ... — κακότητι
ἐλεεινων. νῶν — κατεπάνος — τρία] σι — νῦν — καἶάγχων — τρίτον
. ἀπὸ τῆς κλησεως — τοῦ παντὸς ἡδέος Νικόλαος] . ὡς γοῦν — τὰ πάνἶα ἡδέως νικολάου.
κὶ — ἐκ τῶν ὧν ἔιδοσαν κακῶν — ἐυ ἀγγελος .] . . — ἔἶῶν ὧν ἔιδομεν κακὰ — . ὁ δὲ παρ̕ ἡμῶν προληφθεὶς Κωνςαντῖνος ὁ χοιροσφάκἶης ἐν οἷς ἂν σου δεήσεται εἰς τὸ πἶωχοκἶηματίζιον τῆς ἐκκλησίας, συνεργείσθω διὰ τῆς ἀντιλήψεως σου. ἀφιλέςερος γὰρ ὢν ἄλλως κὶ μαλακώτερος, ἐι μὴ πολλῆς παρ̕ ὑμῶν τυγχάνει συνάρσεως, τελειως ἂν φανείη ἀδόκιμος· ὁ κύριος τηροίη σε πάσης κακίας ἀνώτερον κὶ κακώσεως

p. 30.

P. 30. λέγων. ἐν μέσοις Βουλγάροις] .αὐτὸς

P. 31. παρὰ τῷ Σολομῶντι] τοῦ — μῶντος
ταῦτα δὴ καὶ τὰ ᾄσματας] . . . .
. . . .
ὑποκρύπτετε] ἀποκρύπτεται
ἢ ἐπὶ τοῖς ἐμοῖς ἔοικα] ἐπιτραγῳδεῖν
ἔτι παρεῖναι] ἔστι

P. 37. κυρίῳ Ἀδριανῷ] . . . .
. . . . . .
πανσέβαστε μέγιστέ μου] παμμέγιστέ μοι
καὶ τοῖς καλῶ:] κἂν
συναρμολογεῖς] . . .
. . .
ἐμοὶ τοῦ νῦν] τοίνυν
μιαινομένης] μιαινούσης

P. 38. περιήρυτο] περιήρητο·
ἡ θεόπνευστος] θεόπλαστος
ῥέων — ἀπὸ παντὸς] ἰὼν — ἀποπλᾶν
γὰρ οἷα — ἐπ' ὀλίγον .] καὶ — .ἡμᾶς
εὐώδης — μόνην — τοῖς μὴ κλη:] εὐωδία —
μόνοις — μὲν
πώματι — δι' ἣν] πνεύματι — ὃν
τὴν τηνικαῦτα] τηλικαῦτα

P. 39. ἀγαθότητος ἀπηχήματα στηρίσουσι] στηρίζουσι.
ἀποστάζοντες — θρηνήσουσιν ὥς γε μειουμένους]
ἐπιστάξαντες — θηρεύσουσιν ὡς ζημιου-
μένους.
πλούσιος — φιλοκρινοῦντα] ιοι — φιλοκρα-
τοῦντα
συνεκφαινόμενον — πορίζονται .] — νοι — .τὴν
δικαι-

δικαιȣμένων] δικαίων
χριςὸν] χριςιανοὺς
ὕψει . τῶν] . κὶ μέρος ἐλύπησεν . . .

p. 40. ἡγησάμενος -- πρόσκλησιν -- ἔργων] νους -- πρὸς κλῆσιν -- . . . .
ἡμετέραν -- Φέρεται -- αὐτῆς] ὑμε: -- Φαίνεται -- αὐτοῖς.
δυσχερῶν] συμΦορῶν.
τάττεσθαι] ταττόμενος
ἡμετέροις -- ἡμᾶς -- ἐυξίαν] ὑ -- ὑ -- ἐυεξίαν.
Παχȣριανῷ .] . Κυρίῳ Νικολάῳ.

p. 41. ἐκ τοῦ κοσμȣ] . | . .
χριςιανȣ̀ς] νῷ
εἰς τὴν Φύσιν] ἐπὶ
τὴν Φύσιν ἐνώσεως] τῆς Φύσεως . . .
θηριωδῶν] θηριωδία
ἀπαιτεῖσθαι ν. τ. τ. χρηςοτέρȣς] . . . . .
κὶ πᾶσι τὰ ἀ] . . .
οὕτω τε τὴν] . .
δὴ τῆς πίςεως -- δαψιλέσερου ἑλκύσας] δεῖ -- δαψιλεςέρας ἑλκύσεις.
ὑφ᾽ οὗ . τηροῖο] . κὶ
Τῷ τ. κ. Τρηγορίῳ] τῷ αὐτῷ.

p. 42. Φιλάθηθοι] Φιλάγαθοι
τὰ Νεσμᾶν] πανεσμὸν

ἑλλη-

ἑλληνίδος] νίδας
παρίημι κὶ παχὺς] περίη -- . . .
ἤδη] . . .
λησῶν . ἀπεθρ.] . νόμοις
Τάρανι] ταρωνίτη
ἄχειρα] ἄχυρα
ἐπέκτινεν -- ἢ . τὰς τ. ε.] ἐπέκλιναν -- . κουφοτέραις

P. 43. ὁρῶ τὴν] ὁρατὴν
τὸ σὸν μεν γένος] . . .
τȣ͂ γενναιοτάτȣ] τῶν -- τῶν
ἐφ᾽ ὑμῖν] ἡμῖν
προσεύχω -- σοι νίκη] προσδέχου -- σῇ.

P. 44. σωτηρίης] σωτηρίους
τόξον ἀνεῖς] . . .
ἄμαχον] ἀπρόσμαχον.
τί δε † ου μέλλειν ὁρῶν] † quae sequuntur ad finem hujus Epistolae in MS. desiderantur.

III.

JOANNIS FLODERI

LINGUAE GRAECAE PROFESSORIS REGII ET ORDINARII IN ACADEMIA UPSALIENSI

DISSERTATIO.

INDICANS

VESTIGIA POESEOS

HOMERICAE ET *HESIODEAE*

IN

ORACULIS SIBYLLINIS.

D. D.

§. 1.

Quae in veterum monimentis auctorum memoriae prodita sunt de *Sibyllis*, adeo sunt perplexa, & sinuosis erroribus plena, ut, si ea digerere volueris, fateri cogaris, alia tibi opus esse Sibylla, quae viam monstret, quam sine prolapsionis periculo sequaris. Si enim primo omnium quaesieris, unane an plures hoc nomine fuerint celebres foeminae? observabis,

vabis, scriptores in diversas tendere partes, ut, quid in ista varietate & dissensione sequendum sit, ambiguum esse videatur. PAUSANIAS (a) dicit, *Lamiam* quandam, Neptuni filiam, primam mulierum vaticinatam fuisse, ab Afris dictam Sibyllam; illa recentiorem fuisse *Herophilem*, itidem Sibyllae nomine signatam, Trojano bello antiquiorem, quae quum multis aliis in locis degerit, tum vero maxime Delphis, neque tamen diversam esse a nobilissima illa Erythraea Sibylla; cui dicatum in Coryco monte antrum Erythraei etiam recentiori tempore ostenderint: post illam floruisse Cumanam Sibyllam proprio nomine dictam *Demo*: & plures praeterea diverso tempore exstitisse eodem cognomento illustres fatidicas mulieres. VARRO ad decem fuisse ait, temporum intervallis disjunctas, foeminas, quae id nominis habuerint: cujus ductum secutus ERASMUS SCHMIDIUS (b) de natali illarum loco & aetate particulatim disserit. At si alios consulueris, non minoris auctoritatis scriptores, in aliam facile deduceris sententiam. PLATO certe ita ubique de Sibylla loquitur, quasi nomen hoc uni proprium fuisset ἐὰν δὴ, inquit (c) λέγωμεν Σίβυλλάν τε καὶ ἄλλους, ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ πολλὰ δὴ πολλοῖς προὔλεγον εἰς τὸ μέλλον ὀρθῶς. Et

(a) *Phoc. p. 631.*

(b) *Orat. I. de Sibyllis.*

(c) *Dial. qui inscribitur Phaedon.*

Et alio loco (*d*) εἴποις ἂν ὧν μοι τινα ἐπωνυμίαν ἔχει Βάκις τε καὶ Σίβυλλα καὶ ὁ ἡμεδαπὸς Ἀμφίλυτος. Ut in priori loco distinguit & separat Sibyllam a ceteris vatibus, ita in posteriori tres nominat vates singulares, duos viros, Bacidem & Amphilytum & foeminam unam, Sibyllam. Quin etiam PLUTARCHUS (*e*) distinguit Sibyllam & ab Aristonice & ceteris vatibus; quod facturus non fuisset, si cum pluribus id commune fuisse nomen credidisset: τί δε, inquit, ἀπολείπει τοῦ λέγοντος ἐρωτικὴν μόνην γεγονέναι Σαπφῶ, μαντικὴν μόνην γεγονέναι Σίβυλλαν καὶ Ἀριστονίκην καὶ ὅσοι διὰ μέτρων ἐθεμίστευσαν. Quo accedit, quod alias (*f*), ut Sapphus carmina contendi cum Anacreontis possunt, ita dicit τὰ Σιβύλλης λόγια τοῖς Βακίδος ἀντιπαραβάλλεσθαι. Ut vero heic Sibylla & Bacis conjunguntur, ita de hoc vatum pari loquitur CHRYSOSTHOMUS in duali numero: ταῦτα, inquit, καὶ Σίβυλλαν εὑρήσετε μαντευομένην ὑμῖν καὶ Βάκιν· εἴπερ ἀγαθῷ χρησμολόγῳ καὶ μάντιε ἐγενέσθην. Neque minor de tempore, quod Sibyllae dicam an Sibyllarum vaticiniis illustratum fuerit, est auctorum dissensus. Si plures fuerint, antiquissimam merito illam dixeris, cujus oracula ad nostram transmissa aetatem omnium manibus teruntur, si ipsius testimonio de se niti fas fuerit; dicit enim ipsa, se Noachi fuisse nurum, & cum illo arca vectam univer-

(*d*) *in Theog.*
(*e*) *de Pythiis.*
(*f*) *in libro, qui inscribitur: γυναικῶν ἀρεταί.*

universali gentis humanae cladi superfuisse (g). Sed non ego credulus illi. At fides tamen illi est apud ER. SCHMIDIUM (h) eo credulitatis progressum, ut quidquid in hisce carminibus contineatur, id sibi persuadeat a vetere Sibylla Erythraea profectum esse, non sine provida sapientissimi Numinis cura, inter tot rerum & temporum vicissitudines, ad nostram conservatum aetatem. Nec mirum esse ait, Japheti (illi enim nuptam fuisse credit) conjugem graece locutam, quum fieri facile potuisset, ut, quae erat illius temporis vivacitas, ad quingentos circiter annos post diluvium prorogato vivendi spatio, ipsa cum sua progenie in Graeciam habitatum commigraret, &, quam in linguarum confusione accepisset sermonis dialectum secum eo inferret, eaque deinde sua oracula funderet. Sed sunt ista gerris siculis leviora. Quis enim, ut silentio cetera nunc praetervehar, quae absonam hanc sententiam ostendant, sibi persuaserit umquam, qua primi Graeci coloni usi sint, linguae habitum eumdem fuisse, ac fuit tempore HOMERI & HESIODI? Si quis fuerit, cui hoc persuadeatur, illi demum non improbabile videbitur, Japheti conjugem, si modo in Graeciam venisset, auctorem esse carminum, quae Sibyllae nomen praeferunt. Nam sunt illa consarcinata stilo, qui Homerici genium prorsus redolet, ut infra osten-

(g) Conf. L. I. v. 3.

(h) Orat. III. de Sibyllis.

ostensuri sumus. Ceterum vero, quae de reliquarum Sibyllarum aetate quum antiquiores, tum illorum insistens vestigiis recentior scriptor, SCHMIDIUS, disserunt, ea neque confirmare nec refellere est animus, quum ultra conjecturas progredi in hoc argumento vix detur.

§. 2.

Quamvis de aetate & numero Sibyllarum nihil, quod definitum sit & certum, ex veterum monimentis depromi possit, at inde tamen confici potest, vel exstitisse olim feminam isto nomine notam, quae peculiari Numinis an Daemonis afflatu impulsa, aut exuberantis vi imaginationis acta vaticinata sit, vel oracula saltim simpliciores fallendi consilio a quoquam conficta & sub Sibyllae nomine venditata fuisse. Et si quis fuerit, cui prius non displiceat, quique adeo pro cert o & concesso sumendum esse censeat, exstitisse quaedam genuina Sibyllae oracula, ab isto tame n ut nobis concedatur jure postulamus, fuisse, qui, quum deprehenderent in pretio esse vatis illius nomen, ejusque vaticinia plurimum valere a uctoritate, nomine isto abusi carmina ediderint, quae ut a vulgo legerentur sua interesse judicaverint. Ipsi certe gentiles, ad nullius non superstitionis inania proni, magni licet fecerint Sibyllae oracula, prudenter tamen sanxerunt, non ea omnia pro genuinis esse habenda, qua ejus esse vulgo dicerentur. In Romanorum annalibus memo-

memoriae proditum legimus, a Tarquinio tres Sibyllinorum libros magno pretio emtos fuisse, diligentissime in Capitolio servatos, totiesque a sacerdotibus, queis id curae demandatum erat, aditos, quoties ingruisset periculum, ut, si terrae motus exstitisset, si incendium vastasset urbem, si clades accepta ab hostibus esset, si caritate laboraretur annonae & maxime si portenta & prodigia nunciata essent. Quum vero Syllano tempore Capitolium conflagraret, absumti sunt libri fatales eodem incendio: quod damnum ut quodammodo repararetur, emissi sunt, qui Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias, Sibyllae carmina conquirerent. Et quum illos, quorum intererat, non praeteriret, multa vana sub nomine celebri jam tum vulgata fuisse, dabatur Sacerdotibus negotium, ut, quantum humana ope possent, vera discernerent (*i*). Sed sic tamen caveri non potuit, ne subdititia multa, (nisi talia fuisse omnia dicere malis) vel tunc adoptarentur, vel postmodum reciperentur. Quum enim Augustus pontificatum maximum suscepisset, quidquid Romae ferebatur fatidicorum librorum graeci latinique generis, supra duo millia undique contracta cremavit, & ex Sibyllinis eos tantum retinuit, qui lecti a sacrorum Magistris, riteque aestimati deprehendebantur esse genuini (*k*). Ab Augusto proba-

(*i*) *Conf.* TACITI *Annal. L. VI. c.* 12.

(*k*) *Conf.* SUETON. *in August. c.* 31.

probatorum Sibyllinorum numerum auctum subinde fuisse novorum accessione non improbabile videtur esse. TACITUS (*l*) enim refert, Quintilianum, Tribunum plebis sub Tiberio, retulisse ad patres de Sibyllae libro quodam recenti, quem Caninius Gallus, quindecimvir recipi inter ceteros ejusdem vatis voluisset. Quin etiam DIO CASSIUS (*m*) auctor est, Tiberium, quum Romanorum animos non mediocriter moveret pro Sibyllino jactatum oraculum hocce:

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν
Ῥωμαίȣς ἔμφυλος ὀλεῖ ϛάσις κ. τ. λ.

omnes inspexisse libros, qui vaticiniorum aliquid continerent, & ex illis tamquam nullius momenti alia reprobasse, alia in proborum numerum recepisse: atque in isto occupatum negotio deprehendisse dicto vaticinio locum inter Sibyllana non esse concedendum: id, quod, eodem referente DIONE (*n*), etiam Nero censuit. Quum enim, incensa ab illo Roma, cives commoverentur animo ad memoriam adlati oraculi, dixit Tyrannus illos consolandi causa, nusquam versus istos repertos esse, sed ludendi animo a quodam fictos esse & vulgatos: quare illi, mutata sententia, ut vere sibyllinum canere hunc versiculum coeperunt:

Ἔσχα-

(*l*) *Annal. L. VI. c. 12.*
(*m*) *L. LVII.*
(*n*) *L. LVII. p. 708.*

Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγομονεύσει.

Hisce gemina permulta alia ex historiae penu, si nunc id ageremus, peti possent: unde constet, Sibyllae nomen, vel ipsis fatentibus Romanis, ejus admiratoribus maximis, saepius usurpatum fuisse ab illis, queis volupe fuit varie, ut necessitas rerumque circumstantium habitus exigere visus fuit, movere & excitare alios, passimque adeo per totum orbem jactata fuisse commentitia & ad fallendum composita oracula.

§. 3.

Collectio Sibyllinorum, quae hodie exstat, carmine hexametro Graeco, in octo distributa libros, prodiit primum ex codice Bibliothecae Augustanae Vindelicorum opera XYSTI BETULEJI anno Chr. 1545 saepius deinde recusa & eruditorum virorum observationibus illustrata (*o*). Illam non auctorem agnoscere Sibyllam Erythraeam, quam SCHMIDIUS existimat fuisse Noachi nurum, Japheti conjugem, verbo indicavimus §. 1. Nunc ergo sequitur, ut paucis videamus, an Sibyllina haec eadem sint ac oracula ista, quae Sibyllae tributa fuere a Romanis, aut horum saltim quaedam particula. Duplicis imprimis generis oracula, Sibyllae nomine illustria, adoptata fuisse a Romanis monuimus §. 2. Altera a Tarquinii

 usque

(*o*) *Conf.* FABRICII *Bibl. Gr. L. I. c.* 31.

usque aetate ad tempora Syllana viguerunt: & altera, igne cum Capitolio absumtis prioribus illis, Erythris aliisque ex locis collecta sunt, aliorumque super alia accessione subinde adaucta. Primos istos Tarquinio oblatos fatidicos libros in hac nostra collectione non contineri, vel inde constiterit, quod non illi docuerint aliud, nisi quibus ritibus sacra facienda essent Diis, quomodo ostenta ac prodigia procurare oporteret, aliaque ad Ethnicae superstitionis inania pertinentia; quod LIVIUS aliique Romani scriptores passim docent. At contra nostrorum auctor librorum singulis ferme paginis detestatur & damnat profanorum Deorum cultum, minis insequitur, qui illis sese addicant, unum Deum mundi conditorem & architectum religioso cultu prosequendum esse docet; & multa praeterea pandit religionis Christianae arcana, non aliunde, quam ex scripturae sacrae fonte haurienda. Concedit quidem etiam SCHMIDIUS, Sibyllam illam, quae Tarquinio libros fatorum Romae vendiderit, diversam fuisse ab illa, quae nostrorum auctor sit carminum; at quod ad oracula attinet Syllano primum tempore collecta, atque deinde sub Augusto Imperatore ab adventitiorum faece purgata & digesta, quin illorum haec nostra sint quaedam fragmenta, nullum sibi dubium esse dicit. At falli illum opinione certissimum est. Non quidem me praeterit esse in Graecorum scriptis quaedam conservata vetusta oracula & effata, quae in hanc collectionem translata legun-

leguntur, ſed inde illius aetatem ſpectare nequaquam licet, quum dici non immerito poſſit, de induſtria eſſe illa inſperſa ab ejus auctore, ut quaedam antiquitatis fides ipſi conciliaretur. De totius fatidici corporis comprehenſione nos loquimur, atque illam non Syllae tantum, verum Auguſti quoque tempore eſſe recentiorem, omni adſeveratione dicere nobis poſſe videmur. Inducimur autem, ut hoc credamus, inde maxime, quod multa habeat Pſeudo-Sibylla haec, quae non qua ſenſum tantum, verum ipſa etiam verba, in N. T. ſcriptis continentur: id quod paucis prolatis exemplis probatum ibimus. De Chriſto legem non ſoluturo, ſed impleturo, ita vaticinatur. *L. I. v 413. ſeqq.*

Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεȣ̃ παῖς ἀνθρώποισι
Ἥξει σαρκοφόρος, θνητοῖς ὁμοιȣ́μενος ἐν γῇ
Ἀυτὸς πληρώσει δὲ Θεȣ̃ νόμον ȣ̓ καταλύσει
κ. τ. λ.

Quis non heic agnoſcit ipſius ſalvatoris verba a MATTHAEO relata *Cap. V. v. 17. ȣ̓κ ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἀλλὰ πληρῶσαι.* Quemadmodum quae ſequuntur:

Τȣ́τῳ, προσκομίσȣσ᾽ Ἱερεῖς χρυσὸν προφέροντες
Σμύρνον ἀτὰρ λίβανον — —

non aliunde hauſta videntur, quam ex MATTHAEI *Cap. II. v.* 11. *Καὶ ἀνοίξαντες (ὁι Μάγοι) τȣ̀ς θησαυρȣ̃ς ἀυτῶν προσήνεγκαν ἀυτῷ δῶρα,*

 χρυ-

χρυσὸν καὶ λίβανον καὶ Σμύρναν. Vaticinium illud de Christo eumque adoraturis Magis excipit in eodem libro aliud ad Johannem Baptistam respiciens:

> Ἀλλ' ὁπόταν φωνή τις ερημαίης διὰ χώρης
> Ἥξει ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς, καὶ πᾶσι βοήσει
> Εὐθείας ἀτραπὰς ποιησέμεν. κ. τ. λ.

Confer hoc cum MATTHAEI *verbis C. III.* 3. de Johanne: *φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ,* & videbis, quo spiritu acta fuerit Sibylla. Sed non aliunde tamen hoc manifestius patebit, quam ex illis, quae de miraculis Christi differit *L. I. v. 40. seqq.*

> Βλέψουσιν δὲ τυφλοὶ, ἀτὰρ βαδίουσι τεχωλοὶ
> Κωφοὶ τ' εισαίουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες
> Δαίμονας ἐξελάσει, νεκρῶν δ' ἐπανάστασις ἔσται
> Κύματα πεζεύσει, καὶ ἐρημαίω ἐνὶ χώρω
> Ἐξ ἄρτων ἅμα πέντε καὶ ἰχθύεσσι δύοισι
> Χιλιάδας κορέσει πέντε, τὰ δὲ λείψανα τούτων
> Δώδεκα πληρώσει κοφίνους.

Prima hujus vaticinii pars continet ipsius Salvatoris verba ad Johannis legatos apud MATTHAEUM C. *XI.* 5. *τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, χωλοὶ περιπατοῦσι, κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται.* Quod vero deinde futurum esse praedicit, ut Christus compesceret tumentes maris fluctus, & quinque panibus ac duobus pisciculis pasceret

ret quinque hominum millia in deserto, collectisque dein frustis impleret duodecim cophinos, id sanctorum prophetarum nemo praecinuit. At perpetrata esse illa miracula docet historia evangelica: prius refertur a MATTHAEO *C. VIII. v.* 13. *seq.* & posterius ab eodem Evangelista *C. XIV. v.* 16. *seq.* Quis vero jam sibi vel aliis persuaserit, profanam vatem magis partite, definite & distincte aperuisse Messiae opera, quam ipsi Dei prophetae, quos constat peculiaribus in hoc dotibus fuisse instructos, ut ea panderent, quae Judaeos aliquando deductura essent ad ejus agnitionem. Neminem, credo, fore, quin, re recta judicii lance ponderata, fateatur, Sibyllam non haec vaticinatam fuisse, sed quod factum esse aliunde didicisset, id carmine comprehendisse. Inspiciamus porro ista Christi oracula, quibus Hierosolymae excidium praedicitur, atque ultimus ad judicium adventus, & videbimus etiam haec in Sibyllina nostra esse translata. Verba Salvatoris apud MATTHAEUM *C. XXIV.* 19. *οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.* ita metrice effert *ψευδόμαντις L.* 2. *v.* 99. *seq.*

Ἀι ὁπόσαι κείνω ἐνὶ ἤματι φορτοφορεῦσαι
Γαστέρι φωραθῶσιν, ὅσαι δέ τε νήπια τέκνα
γαλαδοτεῦσιν — — —

Verba MARCI C. XIII. v. 24. quibus docetur, quae signa antegressura sint Christi adventum, *ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει*

τὸ

τὸ φέγγος αὐτῆς, καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔσονται ἐκπίπτοντες, hoc poëtico habitu induit vates nostra *L. 2. v. 102. seq.*

Ἀχλὺς γὰρ ζοφερὴ σκεπάσει τὸν ἀπείρονα κόσμον
— — — Ἀτὰρ οὐράνιοι φωστῆρες
Εἰς ἓν συῤῥήξουσι, καὶ εἰς μορφὴν πανέρημον
Ἄστρα γὰρ οὐρανόθεν τε θαλάσσια πάντα πεσεῖται.

MARC. XIII. 35. & LUC. XII. 37. commendat nobis Salvator vigilantiam in bonis spiritualibus administrandis & conservandis: γρηγορεῖτε, inquit, οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ κύριος ἔρχεται, ὀψὲ ἢ ἀλεκτοροφωνίας ἢ μεσονυκτίου, ἢ πρωΐ. Μακάριοι οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι, οὓς ἐλθὼν ὁ κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντας. Hoc imitatur Sibylla L. II. v. 87. seq.

Ω μάκαρες θεράποντες, ὅσους ἐλθὼν ἀγρυπνοῦντας
Εὕροι ὁ δεσπόζων. τοὶ δ' ἐγρήγορθεν ἅπαντες
Πάντοτε προσδοκάοντες ἀκοιμήτοις βλεφάροισι
Ἥξει γὰρ τ' ἠῶος ἢ δείλης, ἢ μέσον ἦμαρ.

Divinam supremi judicis majestatem ut in imagine quodammodo conspiciendam praebeat Deus humano intellectui, dicit eum nubibus vectum & myriadibus angelorum comitatum esse venturum. Neque alia utitur Sibylla imagine extremum judicium depictura. L. II. v. 147. seq.

Ἥξει δ' ἐν νεφέλῃ πρὸς ἄφθιτον ἄφθιτος αὐτὸς
Ἐν δόξῃ χριστὸς σὺν ἀμύμοσιν ἀγγελτῆρσι
Καὶ καθίσει μεγάλως ἐπὶ δέξια βήματα κρίνων.
κ. τ. λ.

Ex his aliisque, quae se legenti passim offerunt, exemplis manifestum est, Sibyllinorum auctorem ita sibi scripta N. T. ad imitandum proposuisse, ut non sensum tantum expresserit, sed verba nonnumquam ipsa, ubi metri leges id permiserunt, retinuerit, &, quod inde sequitur, esse illum & Christo & ejus ministris, Evangelistis & Apostolis, recentiorem. Non tamen existimamus, fuisse illum ab his longo temporis intervallo disjunctum; quum, qui secundo seculo floruere scriptores Ecclesiastici, JUSTINUS MARTYR, THEOPHILUS, ATHENAGORAS, CLEMENS ALEXANDRINUS, plures ex hac Sibyllina collectione decerptos versus in sua scripta transtulerint, pia simplicitate credentes, quae inde depromerentur, argumenta fore efficacissima ad refellendos gentiles. Sed nec defuere ex horum coetu, qui dolum subodorati Christianos dixerint frustra suae religionis praesidium mutuari ab illis scriptis, quae a quodam illorum ordinis esse conficta manifestum esset.

§. 4.

Quum ergo certissimum sit, carmen hocce ad nullam referri posse illarum Sibyllarum, quas

quas Iliacis temporibus antiquiores fuisse quidam sibi persuasere, palam est falli illos, qui, dum relatum legunt, Sibyllam praetulisse HOMERO facem ad immortale Iliados & Odysseae opus condendum, hanc nostram notari credunt: quemadmodum & ipsa manifestissimae se ream peragit fraudis, ubi HOMERUM, quem ψευδογράφον & ψευδόπατριν adpellat, sua carmina expilaturum esse ait. Conf. L. III. v. 362. Nobis persuasissimum est, HOMERUM non usum fuisse Sibyllino carmine; at hujus auctorem in illius aeque ac HESIODI scriptis fuisse versatum, patet ex convenientia, quae hisce cum illo intercedit & rerum & verborum; quod nunc sequitur, ut palam faciamus.

HESIODUS in ἔργοις, dividit totum illud tempus, quod ab hominum origine ad ejus aevum effluxerat in quinque aetates, queis a metallis nomina dat. Hanc fictionem imitata Sibylla totidem constituit aetates a lapsu Adami ad diluvium. In descriptione autem hominum cujusque aetatis si a suo exemplari nonnihil variet Poëtria nostra, id nemini mirum videatur, si modo consideret secum, quo consilio scripserit, & ad quod se conformare voluerit. Suffecerit utriusque vatis fictionem ad eandem referri summam, ut nempe ostendatur, quibusdam gradibus venisse homines ad malitiae apicem, atque in carmine Sibyllino sese offerre vestigia imitationis Hesiodeae. Aurea Ascraei senis aetas genuit homines ἀφνειὲς μήλοισι, φίλες μακάρεσσι θεοῖσι, qui vivebant νόσφιν

ἄτερ

ἄτερ πόνων καὶ ὀϊζύος ignorabant δειλὸν γῆρας & tandem θνῆσκον ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι. Eodem modo in Sibyllae oraculo sistuntur homines primae aetatis ὄλβιοι, ὓς ἐφίλησε Σωτὴρ ἀθάνατος βασιλεὺς Θεὸς, quibus Deus dederat πολυχρόνιον ἦμαρ εἰς ζωὴν πολυήρατον· ὖ γὰρ ἀνίαις τειρόμενοι θνῆσκον ἀλλ' ὡς δεδμημένοι ὕπνῳ.

Uterque ergo Vates dat illis omni felicitatis genere florentem vitam, & somno simillimum exitum: neque si verba & phrases spectaveris, multum deprehendes discriminis. A primaeva illa felicitate multum degeneravit argentea aetas; produxit enim homines, qui neque potuerant ἀπέχειν ὕβριν ἀλλήλων, ὖδ' ἀθανάτυς θεραπεύειν ἤθελον. In theatrum sibyllinum prodeunt homines secundae aetatis gnavi & industrii, qui varias meditando extuderint artes: sed sic tamen erat illis ἄπληστον δέμας, atque ipsi erant σιβαροὶ μεγάλοι τ' ἐπ' εἴδει, neque adeo absimiles illis, quos HESIODUS fingit vixisse argentea aetate. Seculum aeneum tulit genus humanum δεινόν τε καὶ ὄμβριμον, οἷσιν Ἄρηος ἔργα ἔμελε, & sic simillimum illi, quod tertia Sibyllae aetas genuit. Nam & hoc erat γένος ὀμβριμόθυμον, cui placuerunt ὑσμίνη, ἀνδροκτασίαι τε μάχαι τε h. e. ut HESIODUS loquitur, ἔργα στονόεντα ἄρηος. Aeneam Hesiodi gentem excepit alia, studiis asperrima belli, quae periit in armis, partim ad Thebas, partim ante Trojae moenia: nec alia fata habuerunt homines quartae aetatis Sibyllinae. Nam

&

& illos, πολεμόι τ' ἀνδροκτασίαι τε μάχαι τε εἰς ἔρεβος προΐαψαν. In ferream denique aetatem conclusit Jupiter omne nefas. Exstitere enim homines, qui, abjecto pudore Deorumque metu, in nulla non flagitia proni ruerunt. Etiam Sibyllae aetatem quintam nobilitarunt deterrimi mortalium, ὑβρισῆρες καὶ μιαρῶς δύσφημα χέοντες, qui id demum effecerunt, ut grassantia scelera diluvii aquis expiarentur. Neque improbabile videtur, istum HESIODI locum, ubi scelera aperit ferreae aetatis, versatum fuisse ob oculos Sibyllae, dum ista commemorat flagitia, quae extremo die justissimi Judicis vindictam provocatura sint. Ita enim describit aeternis cruciatibus damnandos homines, ut Ascraeus senex expingit scelestissimae aetatis mortales. Conf. ἐργ. v. 185. seq. & SIBYLLAM L. II. v. 180. seq. Prudenter quidem Sibyllinorum Auctor temperavit ab illis memorandis fabulis, quibus profanorum Poëtarum carmina scatent; sed uni tamen de Saturno & Titanibus locum concedit *L. 3. v. 48. seq.* ita quidem illam referens, ut in aliis consentiat HESIODO, in aliis se ab illo disjungat. Quae per totum *Theogoniae Hesiodeae* corpus de Saturno sparsa sunt, ea in hanc brevem summam cogi possunt. Coeli terraeque filii, quod infesti essent patri, in tenebricosum carcerem contrudebantur: id aegre ferens terra suasit natis suis, ut patrem ulciscerentur. At hi metu absterriti nihil ausi sunt moliri. Solus Saturnus, falce accepta a matre, resecuit Patri pudenda (*v. 150. seq.*). Saturnus

nus paternum regnum adeptus masculam pro-
lem ex Rhea editam deglutiit; quod sciret in
fatis esse, ut a filio quodam suo regno spolia-
retur. At Rhea clam enixa Jovem transporta-
vit in Cretam educandum (*v. 453. seq.*) Jupiter,
ubi adoleverat, cogit Saturnum devoratos ite-
rum in lucem emittere (*v. 493*) vinculis libe-
rat patruos, Briareum, Cottum & Gygam
(*v. 501. 617.*) horumque viribus adjutus bellum
suscipit adversus Titanas, quod varia fortuna
per multos annos gestum est (*v. 629. seq.*) In-
fulsa quidem ista fabula videtur esse, sed nul-
lum mihi est dubium, quin sub rugoso ejus
cortice occultata lateat memoria eorum, quae
ab antiquissimis Graeciae colonis gesta sunt.
Sive vero Sibylla nostra retrusam illam & ab-
ditam veritatem devinando sit adsecuta, sive
minus: constat tamen illam magis, quam HE-
SIODUS, definite designavisse tempus, quo
haec acta sint. Decima, inquit, post diluvium
generatione, quum jam Noachi posteri per to-
tum orbem dispersi essent, aequas regni por-
tiones, ex patris coeli consilio, acceperunt
Saturnus, Titan & Japetus: Pax sit ea lege,
ut Saturnus quidem Patri in imperio succede-
ret, sed nullam educaret prolem masculam,
quo certius post ejus fata ad Titanis progeniem
sceptra venirent. Adpropinquante partu ad-
erant Titanes, & dum masculam enitebatur
Rhea, illum discerpebant illico. Clam tandem
in lucem editum Jovem transtulit in Phrygiam,
similique fraude Titanum saevitiae subtraxit Plu-

 tonem

tonem & Neptunum. Quum hoc cognovissent Titanes, vinculis constrictos Saturnum & Rheam in carcerem conjecerunt: ob quod bellum exarsit Jovem inter ceterosque Saturni liberos & Titanas. Patet ergo HESIODO cum Sibylla optime convenire in summa fabulae, licet quandam habeant rerum particularium discrepantiam: Earum enim nonnullas finxit ipsa, quum rationibus permota aliis, tum forte etiam, ut, quae divino motui parum convenire videbatur, insulsitatem illam evitaret, cujus Hesiodeum commentum arguitur, atque in nonnullis ceteros secuta est Mythographos. Ceterum vero laudantur Poëtae ob singulare, quod ipsis ferme proprium est, artificium ad hominum similitudinem effingendi imagines rerum naturalium & moralium; unde efficiatur, ut quod sub sensus non cadit, id oculis quasi contuendum exhibeatur, penitus in mentem influat, miraque eam voluptate adficiat. Hujusmodi fictae personae ubique sese offerunt in Theogonia Hesiodea: sed nostro suffecerit proposito unicum adtulisse exemplum. Composito cum Titanibus gesto bello, legitimis sibi nuptiis jungit Jupiter Themin atque ex illa suscipit:

Ευνομίην τε Δίκην τε καὶ Ειρήνην τεθαλῦιαν (p).

Qua quidem fictione nihil Poëta significatum voluit aliud, nisi Jovem regno potitum, praecipue studuisse justitiae, &, quod inde sequitur,

---

(p) *Theog. v.* 902.

tur, in id operam contulisse, ut aequae sancirentur léges, poena adficerentur malefici, totaque respublica pace floreret. Quum enim ista commoda nascantur ex justitiae studio, finxit eleganter *Ευνομίαν*, *Δίκην*, *καὶ Ειρήνην* esse Themidos filias. Huic non absimilem imaginem effingit Sibyllinorum Auctor *L. III. v.* 310 dicens, pacata Asia atque Europa, futurum ut coelo delabatur *Ευνομία*, eamque comitentur *Ευδικία καὶ ὁμόνοια*, quae non diversa est ab Hesiodea *Ειρήνη*. Hisce, dicit porro, propitiis Numinibus sceptra tenentibus, fugient *Δυσνομίη καὶ νείκεα λυγρὰ*, quam HESIODUS (q) fingit infamem esse Eridis prolem.

§. 5.

Quum falsa Gentilium numina ubique detestetur Sibylla, verum tamen Deum designatura Epithetis utitur, quae Jovi vel proprie vel cum ceteris Diis communiter tribuuntur ab HOMERO & HESIODO. Quod fulmina & tonitrua Jovis imperio subesse putarentur, vocatur frequentissime *τερπικέραυνος*, *ὑψικέραυνος*, *ὑψιβρεμέτης*, *βαρύκτυπος*. Quae singula de vero Deo usurpantur in Sibyllina Poësi: neque id quidem existimavero esse reprehendendum, quum nec sacros scriptores abhorruisse constet ab ejusmodi nominibus, quibus aëris eorumque, quae in aëre gignuntur, imperium Deo vindicatur, quemadmodum nec male Sibylla

 Deum

(q) *Theog. v.* 230.

Deum vocat *αἰθέρι ναίοντα L. III.* 19. *αἰὲν ἐόντα L. V.* 503. *ὑψιμέδοντα L. I.* 181. licet istis Epithetis coelestes Deos ubique designent Gentilium Poëtae. Nec desunt, qui culpa liberent istos vates, qui, licet carminis argumentum ex divino fonte sit petitum: profanorum tamen Deorum nominibus utuntur ad designandas res naturales, queis illi praeesse sunt putati, dum id modo temperate fiat, nec ita, ut sanctissima religionis mysteria quoquam modo profanentur. Est ergo & illis ratio, cur crimine exsolvant Sibyllam, quod cladem illam, quam universale diluvium humano generi importavit, tribuit Σεισίχθονι, Ἐννοσιγαίῳ *L. I.* 277. quae in poësi *Homerica* & *Hesiodea* Neptuni nomina esse constat. Praeterea vero in universum dixerim, in Epithetis, quae vocantur latinis adposita, & si non prorsus fuerint otiosa aut adj hiatum carminis implendum unice composita, permultum conferunt ad decus ac splendorem, ita HOMERUM & HESIODUM imitatum esse Sibyllinorum Auctorem, ut nullum ferme habeat, quod ab illis non sit mutuatus: id quod mecum fateatur oportet quisquis operae pretium putarit illos inter se conferre. Nobis suffecerit speciminis loco pauca adtulisse exempla. Terram vocat Sibylla χθοία δῖαν. *L. III.* 2. Conf. *Hom. Il. ω.* 532. χθόνα πουλυβότειρην *L. III.* 555. conf. *Hom. Il. III.* 89. Arvum ζείδωρον ἄρουραν *L. I.* 145. conf. *Hom. Il. I.* 114. *Hesiod. ἐργ.* 18. Montem ὄρος ἠλίβατον conf. *Hom. od. IX.* 242. *Hes. Theog.* 282. Exitium αἰπὺν ὄλεθρον *L. I.* 377.

377. *Hom. Il. VI.* 57. Viros armatos ἄνδρας χαλκεοθώρηκας. L. I. 484. conf. *Hom. Il. VI.* 448. *VIII.* 62. Mulos ἐρῆας ταλαέργȣς L. II. 10. conf. *Il. XXIII.* 654. *Hes. ἐργ.* 46. Senes πολιοκροτάφȣς L. II. 63. conf. *Hes. ἐργ.* 181. Mare, ἅλα δῖαν L. III. 16. conf. *Il.* 141. ignem πῦρ καλεϱὸν. L. III. 23. conf. *Il. XX.* 315. coelum ȣρανόν ἀςερόεντα L. III. 38. conf. *IV.* 44. *V.* 769. infantes νήπια τέκνα. L. III. 205. conf. *Il II.* 136. 311. alibique passim, ferrum πολύκμητον σίδηρον. L. III. 229. conf. *Il. VI.* 48. *X.* 379. *XI.* 133. dolores ἄλγεα λυγρὰ L. III. 238. conf. *Il. XXIV.* 742. Oves, πίονα μῆλα L. III. 460. conf. *Il. XII.* 319. boves, βȣ̃ς ἐριμύκȣς. L. III. 46. conf. *Od. XV.* 235. & *Hes. ἐργ.* 190. feminas βαθυζώνȣς γυναῖκας. L. III. 2164. conf. *Od. III.* 154. Tauros, ταύρȣς ζατρεφέας. L. III. 515. conf. *Il. VII.* 223. malas & perniciosas actiones ἀτάσθαλα ἔργα. L. IV. 38. conf. *Il. XI.* 69. *Od. III.* 207. bellum φύλοπιν αἰνὴν L. IV. 61. conf. *Il. IV.* 15. 65. Viros fortes & bellicosos ἀρηΐφιλȣς φῶτας L. V. 10. conf. *Il. III.* 21. 136. *VI.* 73. diem, quo quis redeat in patriam, νόςιμον ἦμαρ L. V. 91. conf. *Od. I.* 9. 168. *VIII.* 466. fluvios ποταμȣ̀ς βαθυδίνεις vel βαθυδινήεντας. L. V. 137. conf. *Il. XXI.* 603. 143. feroces homines & magnanimos, καρτερόθυμȣς L. VII. 107. conf. *Il. V.* 277. *XIII.* 315. Abyssum τάρταρον ἠερόεντα. L. VIII. 280. conf. *Il. VIII.* 13. homines μέροπας βροτȣ̀ς vel ἀνθρώπȣς L. I. 92. quod Epitheton in Homerica & Hesiodea Poësi exprimens id, quo insignes maxime sunt homines,

mines, & comparati cum aliis differunt, ita frequentatur, ut nusquam ferme sine illo nominentur. Evam vocat Sibylla κȣριδίην ἄλοχον *L. I.* 121. ad HOMERI imitationem, qui hoc nomine notat Clytemnestram, Agamemnonis conjugem, & quamcunque generatim, quam pater intactam dederit primisque jugarit ominibus conf. *Il. I.* 114. *XIX.* 298. Et quis numerum inierit eorum epithetorum omnium, quae ex alieno fonte hausta, vel discretionis, vel proprietatis aut ornatus causa, substantivis adduntur a Pseudosibylla? Horum certe si rationem habueris, ita illam Homerizare dixeris, ut in paucis sui ubertatem ingenii explicuisse & excussisse videatur.

§. 6.

Quemadmodum epitheta, si temperate &, ut sciverit rei tractandae indoles, adhibeantur, permultum decoris conciliant orationi, ut quae legentium animis eam spectandam offerant rei formam, quae argumento ciendisque adfectibus maxime congruerit: ita non minus splendoris mutuatur carmen ex locutionibus ipsis concinnoque vocabulorum nexu. Si enim vel maxime de eo laborandum est Poëtae, ut non doceat tantum & oblectet, sed feriat etiam & percellat, consequens est, ut ultra vulgi in loquendo exilitatem oporteat illum eniti, abstinere ab illis loquendi modis, qui frequentiore usu triti sordent, atque eos seligere, qui nihil qui-

juidem habeant inanis fastus & tumoris, sed
juadam tamen novitatis gratia, pro argumenti
iatura, & placeant & admirationem excitent.
n hoc genere ita excellit HOMERUS, ut ad
oëtici stili dignitatem enitenti suo posse exem-
lo praeire, judicent scientissimi hujus artis
iagistri. Utut vero ab illa locutionum digni-
ate, qua Maeonius vates superbit, plurimum
listet Sibyllinorum Auctor, suo tamen carmini
b illo mutuatas loquendi formas, velut gem-
nas pretiosissimas, passim inspergit. Ut quandam
umescentium maris fluctuum animis insinuet
maginem, quam simplex vox θάλασσα non
ieque excitat, vocat illud οἶδμα ἅλιον *Hym. in Apol. v.* 417. atque εὐρέα νῶτα θαλάσσης *Il. II.* 159. Utrumque imitata Sibylla repraesentat
Noae arcam, innantem οἴδματι πόντου *L. I.* 349.
conf. *v.* 40. & Antiochum, ut volunt interpre-
tes, Aegypti onustum spoliis discedentem ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης *L. III.* 553. Ex alia par-
te, dum HOMERUS repraesentare vult mare
navigiis transitum praebens, nominat ὑγρὰ κέλευθα *Il. I.* 312. *Od. III.* 71. Quomodo etiam
vates nostra Xerxem facit πεζεύειν βυθοῦ ὑγρὰ κέλευθα *L. IV.* 76. An vero aeque commo-
de istum loquendi modum transferat *L. III.* 82.
ad signandas Eurotae fluminis aquas in mare
devolutas? judicent alii. Nobis quidem vide-
tur, tum demum isti imagini locum concedi pos-
se, quum respicitur ad naves, pisces aut alia,
quae cursum per mare teneant: atque adeo
non satis adcurate dicit ποταμοῦ ὑγρὰ κέλευθα

ῥέειν εἰς ἅλα. Et quum νυκτὸς ἀμολγὸς Homero ubique designet noctem intempestam & mediam (conf. *Il. XI.* 172. *XV.* 324. *XXII.* 28. *Od. IV.* 841.) uti EUSTATHIUS etiam ad *Il. XI.* illum exponit per ἀκμαῖον καὶ μέσον τῆς νυκτὸς, videri posset Sibylla minus commode hac uti ῥήσει *L. II.* 198. ubi infernales cruciatus expingens dicit justissimum scelerum vindicem damnatos objecturum esse teterrimis monstris ἐν νυκτὸς ἀμολγῷ, nisi se forte tueri posset auctoritate EURIPIDIS, quem HESYCHIUS ait vocavisse noctem tenebricosam νύκτα ἀμολγόν. Sed feliciore successu aliis in locis suum magistrum imitatur. Furentium ventorum stridorem audire nobis videmur, quoties legimus vel Zephyrum, vel ventum quemcunque alium κεκληγόθα - - μεγάλη σὺν λαίλαπι θύειν vid. *Od. XII.* 400. 408. 426. quemadmodum etiam in ista imagine cernere nobis videmur illum impetum & furorem, quo vel Mars ipse, vel ejus alumni, fortissimi heroës, inter volantia tela, ruunt, & veluti subita tempestate ac turbine aliquo obvia quaevis sternunt λαίλαπι ἶσοι conf. *Il. XII.* 347. *XI.* 746. *XX.* 51. Qua homerica imagine eleganter repraesentat Sibylla ruituri casum mundi. Dum enim Deus dicitur L. VIII. 124. λαίλαπι θύων γαῖαν ἐρημώσειν, indicatur repentinum fore ejus adventum, futurumque, ut res cunctae quasi turbine violentissimo correptae & involutae pereant. Quo loco admonemur huic non absimilis loquendi formae, qua cuncta impellentium ventorum vis

vis vocatur *ἀνέμων ῥιπὴ*. Arca Noae jactatur in aquis *ἀνέμων ὑπὸ ῥιπῆς L. I.* 317. eodem impetu, quo nives & grandines apud HOMERUM *ὑπαὶ ῥιπῆς Βορέαο Il. XV.* 170. *XIX.* 358. De morte ubi loquuntur Poëtae, variante ingenio locutiones ita circumagere ſolent, ut, vocibus licet conſtent in communi ſermone uſitatiſſimis, novae tamen nec ex trivio petitae adpareant. Qui fatis funguntur, deſcendunt *δόμον ἄιδος ἔισω L. VIII.* 119. conf. *Il. VII.* 131. *XIV.* 457. *μαλακῷ δεδμνημένοι ὕπνῳ L. I.* 162. conf. *Il. X.* 2. & HES. *εργ.* 117. illos etiam *γαῖα ἀμφικαλύπτει L. I.* 172. conf. HES. *εργ.* 121. Exanimi manes vocantur *ἔιδωλα καμόντων L. VIII.* 48. conf. *Il. XXIII.* 72. *Od. XI.* 475. Et mors ipſa *περιφραστικῶς* dicitur *μοῖρα θανάτε L. I.* 131. eadem figura qua in Homerico carmine frequentiſſime nominatur *θανάτοιο τέλος Il. III.* 309. *V.* 553. *θανάτοιο ἄισα Il. XXIV.* 427. 750. *κῆρες θανάτοιο Il. XXII.* 202. immo etiam *μοῖρα θανάτε Od. II.* 10. In ſingulis praeterea paginis hujus generis aliae occurrunt *ῥήσεις*, quae fingentium HOMERI & HESIODI ingenio debentur, quarum nonnullas, ut ſe legentium oculis obtulerunt, indicabimus. Adam ex Dei Architecti manu recens, conſpecta Eva, *σοφοῖς ἠμείβετο μύθοις L. I.* 124. qui loquendi modus ita HOMERO ſolemnis eſt, ut nusquam ferme ſine illo effingat ſuorum colloquia heroum: quemadmodum etiam finito unius ſermone, ad alterius exprimenda verba tranſit hac ſolemni forma *ὡς φάτο* conf. *Sibyll. L. I.* 150.

237. Primae sibyllinae aetatis homines varias invenerunt artes *εὖ καὶ ἐπισαμένως* *L. I.* 160. & HESIODUS pollicetur Persae fabulam a se compositam *εὖ καὶ ἐπισαμένως*, *εϱγ.* 107. Sibyllini diluvii fluctus disjiciuntur *ἄλλυδις ἄλλοι* *L. I.* 409. conf. *v.* 27. & in bellica HOMERI scena fugiunt perterrefacti Trojani *ἄλλυδις ἄλλος* *Il. XI.* 486. 744. Noacho arcam ingressuro perficit Deus quaecunque prius *ὑπέσῃ καὶ καττένευσε* *L. I.* 292. & Idomeneus fidus est Atridae socius *ὡς τὸ πϱῶτον ὑπέσῃ καὶ κατένευσε* *Il. IV.* 267. conf. *Il. XIII.* 368. Arca Noae agitatur in undis *ἔνθα καὶ ἔνθα* *L. I.* 348. & Vulcano furente circa Xanthi ripas urinantur pisces, flammarum vi adacti, *ἔνθα καὶ ἔνθα* *Il. XXI.* 354. conf. *Il. XXIII.* 164. Noachum adloquitur Deus *ὀϱανόθι πϱὸ* *L. I.* 357. conf. *L. V.* 355. & gruum clangor excitatur *ὀϱανόθι πϱὸ* *Il. III.* 3. Decima post diluvium generatione mittit Deus sua fulmina in homines *οἱ ἄτεϱθε δίκης κϱίνουσι θέμισας* *L. II.* 24. & Jupiter rapidissimos effundit imbres, iratus hominibus, *οἱ σκολιὰς κϱίνουσι θέμισας* *Il. XIV.* 387. Anni volventes vocantur passim ab HOMERO & HESIODO *πεϱιπλόμενοι ἐνιαυτοὶ* & *χϱόνος πεϱιτελλόμενος* conf. *Il. II.* 551. *VIII.* 404. *Theog.* 184. *εϱγ.* 386. Nec minus frequenter in sibyllinis oraculis. Conf. *L. III.* 96. 501. *VI.* 114. Quo magis terribilis effingatur belli imago, plura a vatibus nostris cumulantur vocabula totidem animis insinuantia ideas, quae ex pluribus simul partibus bellum intuendum exhibeant. Sic canit HOMERUS *Od. XI.* 611.

Ὑσμῖναι

Ὑσμῖναι τε, μάχαιτε, φόνοι τ', ἀνδροκτασίαι τε.

Et HESIODUS *Theog.* 228.

Ὑσμίνας τε φόνους τε, μάχας τ', ἀνδροκτασίας τε.

Atque alio loco, *Scut. Herc. v.* 155.

Ἐν δ' ὁμαδός τε Φόβος τ' ἀνδροκτασίη τ' ἐδεδήει.

Haec imitatur Sibylla ita canens *L. I.* 197.

Καὶ τοὺς δ' ὑσμίνη ἀνδροκτασίαι τε μάχαι τε.

Et in alio loco *L. I.* 205.

Καὶ τοὺς μὲν πόλεμοί τ' ἀνδροκτασίαι τε μάχαι τε.

Quis porro eſt, quin videat, quem Pſeudoſibylla ſequatur *L. V.* 8. ubi de Romanorum origine ita loquitur?

Ἔσσονται γενεῆς τε καὶ αἵματος Ἀσσαράκοιο.

Verba non diverſa ſunt ab illis, quibus Glaucus Homericus utitur *Il. VI.* 211.

Ταύτης τῆς γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Conferas Aethiopas Sibyllinos *L. VII.* 15. ῥομφαίαις πλήξοντας, ὑπὸ χρόα πεπτηῶτας, cum Graecis ante Trojae moenia ὑπὸ τεύχεσι πεπτηῶτας *Od. XIV.* 474. Penelopes procos ὑπέρβιον ὕβριν ἔχοντας *Od. I.* 368. cum Titanibus Sibyllinis ὑπέρβιον ἦτορ ἔχουσιν *L. I.* 401. Sibyllae λοιβήν τε κνίσσην τε *L. III.* 514. κριοὺς

τε τελείας *L. III.* 515. cum HOMERI λοιβῇ τε κνίσσῃ τε *Il. IX.* 496. ἀρνοῖς τε τελείοις. *Il. I.* 66.

§. 7.

Quamvis ex illis exemplis, quae supra adtulimus, pateat stili *Homerici* & *Sibyllini* maxima convenientia: tamen, ne cuiquam in mentem veniat dicere, eam esse casui adscribendam, communique, qua usi sunt, linguae, quae non potuerit non se aeque SIBYLLAE ac HOMERO officiosam praebere, atque, ubi non absimiles res animis sunt observatae, eadem etiam vocabula & loquendi formas subministrare, juvabit superioribus exemplis pauca addere, unde manifestius constet, integros versus & hemistichia, vel nulla, vel admodum exigua mutatione, ex dictis fontibus in sibyllina oracula esse translata. HESIODEUM μύθον de quinque aetatibus diximus §. 4. ita Sibyllam esse imitatam, ut iisdem nonnumquam verbis rem eamdem extulerit: sed nec cavere potuit, quo minus integri versus inde in ejus poëma irrepserint. HESIODUS e. g. ἐργ. *v.* 126. ita canit:

Δεύτερον αὖτε γένος πολὺ χειρότερον μετόπισθεν.

Et *Sibylla L. I.* 210.

Καὶ πάλιν ἄλλο γένος πολὺ χειρότερον μετόπισθεν.

Quam

Quam HESIODUS *Theog.* 38. Musis tribuit praeteritorum & futurorum scientiam:

Εἰρεῦσαι, τά τ' ἔοντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

& HOMERUS Calchae *Il. I.* 70.

Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

eam sibi vindicat *Sibylla* eodem metro *L. III.* 758.

Ὡς τε προφητεύειν με τά τ' ἐσσομενα, πρὸ τ' ἐόντα.

Neque ullum mihi est dubium, quin, ubi *Sibylla* praedicat felicitatem eorum, qui instantia effugerent mala his verbis *L. VIII.* 164.

Τρὶς μακάριστος ἔην καὶ τετράκις ὄλβιος ἀνήρ.

ob oculos habuerit Ulyssis verba haecce *Od. V.* 306.

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις.

Quod ad excitandam aliorum attentionem & studium frequenter dicunt vatum principes:

Συ δὲ ταῦτα μετὰ φρεσὶ βάλλεο σῆσι. ἐργ. 272. &

Συ μετὰ φρεσὶ σῆσι νόησον *Il. XX.* 310. vel

Συ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῆσι *Il. I.* 297.

id totidem verbis occurrit in *Sibyllae* carmine. Dicit enim *L. I.* 227. 419.

Συ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῆσι νόησον,

& *L. III.* 500. Καὶ ἐν φρεσὶ κάτθεο σῆσι.

Conferas praeterea inter se sequentia hemistichia:

HOM.

HOM. *Il. IX.* 310.	Καὶ ὡς τετελεσμένον ἔςαι
& *Sib. L. I.* 142.	Τὸ δὲ γὰρ τετελεσμένον ἦεν
HOM. *Il. I.* 5.	Διος δ᾽ ἐτελέιετο βȣλὴ
& *Sib. L. I.* 306.	Θεȣ̃ δ᾽ ἐτελείετο βȣλὴ
HOM. *Od. VIII.* 82.	Διὸς μεγάλȣ διὰ βȣλάς
& *Sib. L. I.* 371.	Θεȣ̃ μεγάλȣ διὰ βȣλάς
HOM. *Od. VIII.* 155.	Καὶ πολλ᾽ ἐμόγησα
& *Sib. V.* 491.	- - πολλὰ μογήσεις
HOM. *Il. VI.* 57.	Τῶν μήτις ὑπεκφύγοι αἰπύν ὄλεθρον
& *Sib. L. I.* 377.	- - ὅτ᾽ ὑπεκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον
HOM. *Od. III.* 154.	- - βαθυζώνȣς τε γυναῖκας
& *Sib. L. III.* 464.	Ἄξȣσιν καὶ τέκνα βαθυζώνȣς τε γυναῖκας
HOM. *Il. VII.* 131.	Δῦναι δόμον ἄιδος ἔισω
& *Sib. L. VIII.* 119.	- - δόμον ἄιδος ἔισω
HES. *Theog.* 18.	Ἠελιόν τε μέγαν λαμπράν τε Σελήνην
& *Sib. L. III.* 3.	Ἠελιον πυρόεντα μέγαν λαμπράν τε Σελήνην
HES. *Theog.* 462.	Ἔχη βασιληΐδα τιμήν
& *Sib. L. III.* 58.	Εχων βασιληΐδα τιμήν.

Haec

Haec atque hujus generis alia ferme innumera, quae ſe attentioni legentium ſubducere non poſſunt, haut quaquam prodere videntur animum extra ſe raptum fatidicique Numinis ſtimulo agitatum, ſed auctorem potius arguunt ſui conſcium, qui data opera & ſtudio ſectatus ſit ſtili Characterem, quem ſedula combiberat Graecorum Poëtarum lectione.

IV.

IV.

AD M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATA
LECTIONES VARIANTES ET NOTAE
INEDITAE
HADR. BEVERLANDI.

Pervenit ad me forte fortuna ex auctione publica emtum exemplar Martialis Collesianum, quod olim HADRIANI BEVERLANDI fuit. Hic fronti libri sua manu inscripsit: *Hadrianus Beverlandus M. cum variis contulit MSS. & Scriveriana lima fecit politiorem emendatioremque. Londini MDCLXXX.* Apparet illico, inspecto codice, parasse eum novam editionem hujus poetae. Neque enim solum purae chartae folia in principio & fine libri, & si quid alias vacuae paginae esset, collectis doctorum virorum judiciis & observationibus ad Martialem pertinentibus implevit, sed & in margine libri ad singula ferme epigrammata varias lectiones veterum codicum, passim etiam observationes

&

& interpretationes eruditas adscripsit. Unde hauserit eas varietates, ipse indicat in primis foliis, ubi hi vetusti Codices nominantur: *Cod. Vaticanus*, *Thuaneus*, *Florentinus*, *MSS. Chartaceus*, *editio antiqua Ferrariensis*, *anni* 1471. quorum notas etiam plurimis variationibus apposuit, in multis tamen omisit. Plerasque jam pridem occupatas ab aliis interpretibus video, praesertim Scriverio, quem ipse fatetur se secutum esse, sunt tamen haud paucae, quae nesciam, an usquam ab alio sint erutae. Conferre eas omnes cum aliis vel editis, vel scriptis non licuit, quod paucorum tantum exemplarium mihi copia est. Neque adeo certum habeo, eaene varietates, quibus nullam codicis notam addidit BEVERLANDUS, soli ipsius ingenio, an cuidam Mspto debeantur. Itaque satius duxi, omnes, quas ille annotavit, nullo delectu, recensere, ne, quae in illis singulares & novae sunt, neglectae videantur. Observationes & interpretationes, quas subinde adscripsit, illae ipsae sint notae ineditae BEVERLANDI, quas Fabricius *Bibl. Lat. Tom. I. p.* 465. memoravit, an vero aliae reperiantur his locupletiores, equidem non possum affirmare. Certe has paucas dignas judicavi, quas cum viris doctis communicarem. Sunt enim eruditae, ab ingenio acuto & multa lectione profectae, neque ei nullius usus futurae, qui aliquando Martialem velit novis illustratum curis edere. Subinde ipse breves annotationes adjeci, ubi falsum esse BEVERLANDUM viderem. Paucas tantum

omiſi, quas aut parum ad rem pertinere, & ad aliena digredi videbam, aut in locis nuptis explicandis haerere. Haec omnia, quum in exemplari Colleſiano ſeorſum poſita, & ad calcem libri rejecta ſint, hoc libentius praetermiſi, quod omnino nolebam turpioribus hiſce referendis meam operam accommodare.

W. (*r*)

EX LIBRO SPECTACULORUM.

Ep. I. 3. *Molles honores*] ſunt ſacerdotes Epheſi in templo Dianae, qui domi deſides, potentes & divites, jure meritoque dicuntur *molles* poſſidere *honores*. Perpetua hic ſynecdoche. Cum autem ſermo ſit de ſacerdotibus Epheſiae, ingenioſe legit Scaliger *molles laudentur Jones*. Scriverius laceſſit τὸ *molles* legitque *moles*. Sciolus, cum columnae (quas *lapideas moles* dixit Seneca Ep. XC.) in iſto fuerint templo, Plin.

(*r*) Eſt is V. C. JO. CHRISTIANUS WERNSDORFIUS, Academiae Julio-Carolinae ornamentum inſigne; cujus eximia de orbe literato merita quis ignorat? Gratum certe erit iis, qui his ſtudiis favent, ex autographo Beverlandiano ſollerter deſcriptum hoc exemplum. Longe gratiſſimum certe celeberrimo ANTONIO DE ROY, Gymnaſii Dordraceni Rectori meritiſſimo, qui novam elegantiſſimi ſuaviſſimique poetae editionem parat, & animadverſionum ſuarum in illum ſpecimen edidit haud certe contemnendum. Licet enim ſubinde minus neceſſarias audaculasve videatur tentare emendationes: ubi tamen δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι ſequutae fuerint; eximia quaevis in hunc auctorem merita exſpectare ab illo licebit. F. St.

Plin. XXXVI, 16. Vitruv. Lib. III, 1. mavult *moles laudentur Jones* corrigere, sed tum debuisset *Jonides.*

Ibid. Triviae] sic dicta Diana, quod tres figuras habet Luna C. ☽. O. Athenaeo Τριμορφος. Horatio *triformis.* Trina facie Apulejo. Trivia trinis capitibus horrifica, Min. Fel. Hecate Triglathena. Virgilio Trigla L. 4. ibique Serv. Auson. *Tergemina est Hecate, tria Virginis ora Dianae.* Eustathius dicit Dianae sacrum fuisse Triglam sive mullum, *quia,* inquit Erasmus, *apud inferos coenabant viles pisces, ut maenides triglasque.* Atqui Romae mullus vendebatur VII. millibus nummûm, Macrobio teste. Nec verisimile est, molles hos sacerdotes plebejo victu saginasse corpora sua. Nosti Saliares dapes fuisse opiparas atque opimas (Macrob. III, 13. Albanae dapes Mart. XII, 48.) quarum nidor feriit nares Claudii Imp. sedentis in tribunali: sed eo deserto adscendit ad sacerdotes, unaque discubuit. Suet. cap. 33.

v. 4. Dissimuletque Deum. *Deion* Cod. Thuan. lege *Delon.*

6. Cares in astra. *Turres ad.*

II. *De operibus Amphitheatrum cingentibus.* Th.

III. *De consensu nationum.* Th.

v. 10. *Aliter* est contrarium. Cels. 3, 20. *Morbus aliter phrenetico contrarius.*

11. Populorum eſt vox tamen una. *tum tamen una eſt.*

IV. *De delatoribus.* Th.

v. 3. Traducta eſt titulis. *Getulis* V. C. Th. Confutat hanc lectionem G. Merula. Aldina editio *Traducta eſt Gyaris.* Rectius Scaliger *Tradita Getulis.* Vide G. Voſſii l. 2. Ariſtarchi p. 301. (Sed tamen illa lectio, quam Colleſſus ſequitur, a Lipſio lib. 2. cap. 11. de cruce, primum aſſertam, *Traducta eſt titulis* omnium optima videtur, & magnis auctoritatibus aequalium ſcriptorum defenditur, Suetonii & Plinii, qui delatores prius traductos per arenam Amphitheatri, deinde avectos in inſulas memorant. Ille in Tito c. 8.: *Delatores — noviſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubjici in ſervos & vaenire, partim in aſperrimas inſularum avehi imperavit.* Hic in Paneg. cap. 34: *Velut piaculares publicae ſollicitudinis victimae ſupra ſanguinem noxiorum ad lenta ſupplicia gravioresque poenas ducebantur. W.*)

6. Impenſis vitam. *Haec licet impenſis Principis annumeres.* Th.

V. 4. donat arena tibi. *praeſtat.*

VI. *De Kal. April. qua die omnis venatio per mulieres confecta eſt.* Th.

1. ſaevit in armis. *ſervit* Th. V. 2. ſaevit & ipſa. *ſervit.*

3. Nemees & vaſta. *vaſta Nemees.* Hunc verſum ſeparat a prioribus Th. atque haec prae-

praemittit: *De venatrice, quae leonem primae formae venabulo excepit.*

VII. *De Lauriolo.* Th. 3. fic pectora praebuit. *viscera.*

IX. *De Rhinocerontis pugna prima.* Th. fecunda ep. XXII.

4. Quantus erat cornu, cui pila taurus erat. *Quantus erat taurus.* Th. Pilae, teste Asconio, erant fimulacra hominum de foeno, quibus objectis tauri irritabantur. Sic urfi & leones irritabantur mappa. Marcil. Senec. lib. 3. c. 30. de ira. ofcilla, Macrob. l. 1. c. 7.

X. 2. contemerare manus. Vid. lib. 2. epigr. 75. Seneca l. 1. c. 3. de benef. Epift. 86. l. 2. c. 31. de ira.

XII. *De apro praegnante, per cujus vulnus excidit partus.* Th.

3. *Exiluit* partus miferae de vulnere *mortis.*

XIII. *Idem.* Th. 6. foluta parens. *falute.* fera eft. *fama.*

XV. *De Carpophoro confectore ferarum Domitiano acceptiffimo.* V. C. *De Carp. qui pariter immiffos, aprum, urfum, leonem, pardum confecit.* Th.

1. quae gloria famae. *qui — palmae.* Omnia non pariter rerum funt omnibus apta, Palma nec ex aequo ducitur illa jugo.

7. porrexit vulnere pardum. *bardum.*

8. praemia cum laudis, cet. *laudem ferre adhuc poteram.* Sic Th. & Vatic.

XVI. *De Hercule qui infidens Tauro raptus eft.* Th.

 Do-

Domitianus Herculis aemulus, l. 9, 66. 104. ubi dicitur filius Jovis major. Inde ſtatuas Herculis forma fieri juſſit. l. 9, 65. 66. 67. Sic in hoc epigrammate exhibet tauri automa, quod in theatri faſtigio, ſive apice erat locatum, unde teſſerae in caveam mittebantur, populo diripiendae. Dio l. 49. Marcilius.

3. Vexerat Europen. Hic diſtinguit Th. & praeponit *Idem.*

4. in aſtra tulit. *vehit* Vat.

5. atque Jovis confer. *cum fert* MS. nunc ſchema: juvenci. *Stama juventus* Th. ergo Scamma in Gloſſ. σήκωμα. ςάμα tribunal Imperatoris, ubi ludos Circenſes ſpectabat. *Schema juvencos* legit Carrio, & ſic corrigit Suetonium, Aug. c. 94. interpretaturque horoſcopi diſpoſitionem, quam genituram Spartianus dixerat. *Stemma* Salmaſius pro *ſtegma* ἀπὸ τῦ ςέγειν ſuſtinere. Hinc fulcimentum ſtegma.

XVII. *De elephante, qui Caeſarem adoravit.* Th.

4. numen ſentit & ille tuum. *noſtrum ſentit & ille Deum.* F. Vid. lib. 2. ep. 29. l. 7, 33. Sueton. in Domit. *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet.* Victor de Domitiano: *More Caligulae dominum ſe ſe Deumque dici coegit.* Xiphilinus Δεσπότης τε καὶ θεός. Marc. θεός dictus apud Graecos & barbaros. Dio Chryſ. 512. D. ſic intelliges, quae auctor in vita Juvenalis ab Henninio editus nobis refert.

XIX.

XIX. *De Elephanto & tauro.* Th.

3. cornuto ardore petitus. *ad ore* Th. leg. *nare potitus. ab ore* MS. *potitus* C. V. ICtis potiri hoſtium pro venire in poteſtatem hoſtium. l. XI. D. de captiv.

XX. *De Myrino & triumpho.* Th.

XXI. 5. pecudum genus. *pecori* Th. & MS.

8. Haec tamen. *Nec.* ficta alia eſt. *pictoria* Th. *fida* MS.

XXII. *De Rhinocerotis pugna ſecunda.* Th.

3. Deſperabantur promiſſi. *Deſpectabantur promiſſa.*

4. is rediit. *huic red.* 5. gemino cornu. *cornu rabido. rapido* Fl. & Med.

XXIII. 1. Dorica. *Norica.* 4. bubalus atque biſon. *bubulus atque biron* Th. De uris Caeſar. l. 6. Oppian. l. 2. Macrob. S. l. 6, 4. de biſontibus Oppian. 2. Xiphil. in Severo. Plin. 28, 10. Solin. 23. Seneca in Hippolito: *villoſi terga biſontes, latiſque feri cornibus uri.*

XXIV. *De naumachia priore.* Th.

1. ſerus ſpectator. *ſervus* C. V. 2. ipſa fuit. *iſta.* Th.

3. Engo. *hemo* C. V. 5. ſpectes, dum laxent. *ſpecta dum laſſant.*

XXV. 4. Et feſſus. *Et nimium tum.* 6. dum redeo. Adde Ep. 181. l. 14. Ad imitationem rei geſtae Domitianus hoc ſpectaculum edidit ad lychnuchos, ut ſolebat in ludis gladiatoriis. Suet. c. 4. Mitis Caeſaris unda pepercit reo, morte damnato,

 per-

personamque Leandri sustinenti, quem tamen obruerant olim Neptuni fluctus.

XXVI. 1. docilis chorus. *facilis* MS. *Thetidis* Vatic.

3. nexu fuit. *nectho* Th. *morsu* Vat. 6. perspicuo. *conspicuo.*

XXVII. *De Carpophoro, qui XX. hircos pariter emissos confecit.* Th.

2. Jam nullum monstris orbe fuisset opus. *Non amarathon cum barbara terra ferat.* Th. forsan *Jam nil monstriferum barbara terra ferat.* Scriverius *jam nullum in monstris.* Vossius ad Catull. *Non Diomedis equos barbara terra ferat.*

5. Haec armata manus. *Hoc armante.* 7. Ignipedes. *Igniferos.*

6. Solvere & Hesionam solus, & Andromeden. Hujus loco versus tres ponit Th.

Possit utramque feram vincere Pasiphaes.
Si sit ut equorei revocetur fabula monstri,
Hesionem solvet solus & Andromedam.

(Hos versus Beverlandus paullo aliter exscripsit, atque ab aliis factum esse video. Atque adeo nescio, qui rectius. In altero Gronovius emendat *Cetus & aequorei*, ubi propius ad scripturam codicis velim *si vetus aequorei.* Vel potius recte se habet haec lectio. *Si sit* i. e. si contingat. W.)

XXVIII. *De Naumachia minore.* Th.

1. laudes fuerant. *labor hic fuerat.* Th. *fuerat labor hic* C. V.

4. Galatea feras. *vias* Vatic. 6. ipse putavit.

vit. *isse.* Credidit esse Neptuni equos Hippocampos, delphinis geminos. Philostr. imag. Eustathius Iliad. XIII. Maritimus hic Triton pingitur apud Ciceronem in Nat. Deor. invehens natantibus belluis. Marcilius.

7. saevis ratibus. *scaevis.* 8. Abnuit in liquidis. *Horruit in liq. i. pedestris aquis.* Th. sic & C. V.

11. & pigri Neronis. *Tigri* Th. Otii appetens Nero. Dio in Ner. & Suet. c. 42. Addit *pigri*, quia Nerones alias sunt nervosi c. 49.

EX LIBRO EPIGR. I.

Epigr. II, 3. Quos arctat brevibus membrana tabellis. L. XIV, 190.

7. Quaere secundum. L. V. ep. 80. Secundus Lucensis doctus & disertus bibliopola, qui olim fuerat scriba Othonis, Plutarcho teste. Calderin.

IV, 6. rhinocerotis. Th. *Rhinocerontis.* utrumque bene, ut supra elephas & elephantus.

7. cum grande sophos. Vide epigr. 50, 67. l. 3, 46. l. 6, 48. dum basia captas. *jactas.*

10. tristis arundo. Horat. l. 2. S. 1.

12. I, fuge; sed poteras. *Vel frige si.*

V, 3. quoque ferre. *quam ferre.* 5. Qua Thymelen sp. deris. Latinum. Juven. I, 36.

VII, 3. exorat praeda leones. exorare tigres, Manil. l. 4. exarmare Statio Theb. 12.

VIII. Stella doctissimus. l. 8, 78. l. 12, 3. De Catulli passere l. 4, 14. l. 7, 13. lib. 14, 77.

IX. *Ad Decianum.* Th.

XI, 4. tussit. Tussis desperatae valetudinis signum. Horat. S. 5. l. 2. Saepe tamen fallebat heredipetas. Mart. 2, 26.

XII. Ad Sextilianum. Th. 4. potares. *potasses.*

XIII, 1. Itur ad Herculei gelidas qua. *Intus ad Herculeas gelidi quam.*

12. probare Deos. *Deum.*

XIV, 2. traxerat ipsa. *strinxerat.*

XVIII, 3. Quoniam agricultura tota est ulcus: serendum, ut metamus, & metendum ut seramus, absurdo rei circuitu; qua ratione arator sibi jugulum petebat, referente apud Stobaeum Phavorino. Ideo dicit rem esse magnam.

XXIII, 1. Quid nunc. *non* Gronov.

XXXIII, 1. Non amo te. Adde Ep. 17. l. 3.

XXXV, 7. vel ab Helide. *Hellade.* Nomen mulieris in Inscript. Siculis, p. 69.

XXXVIII. *Bassum* Th. v. 2. *Basse.*

XL, 5. imitator honesti. *mirator* Th.

XLIII, 1. fatum. *factum.*

XLIV, 5. lenta pendent. *longa.* 6. punica mala. *grana.* fiscina metas. *fasina.* C. Th.

LIV, 2. signata. *si grata.* 4. vitio cont. uncto. *vilis — unco.* 7. errat. *erant.* 9. Atthide. *alite.*

LV. *Ad Fuscum P. Praet. in Dacis.* Sic lemma in C. V. & in Mss. Juvenal. *Qui vulturibus servabat pectora Dacis.*

LVI.

LVI. ult. albus in officiis. Albus pro albatus, ut Horatio marita pro maritata.

LVII, 2. Cupit caupo vinum infuſcatum & aqua jugulatum; ſed nunc vinum ex uvis aquoſis expreſſum non patitur aliam aquam inſuper ſibi infundi, adeoque cogitur vendere merum. Caupo Rauennae vendebat falernum merum, & anus apud Auſonium XX. potabat *merum merum.*

LX, 4. lavor. *laver.*

LXII, 11. Te Liciane. *Liciniane* G. Voſſ.

LXIII. *De Laevina.* Th.

LXVII, 7. Virginis pater chartae. Inae chartarum ſuſcitantur uſu. In evolvendis chartarum voluminibus partem adhuc involutam mento ſubjiciebant convolutam. Horridior fiebat manu & mento trita, excitatis inarum filamentis & fibris. Strato:

Εὐτυχὲς ὃ φθονέω, βιβλίδιον, ἦρα σ' ἀναγνοὺς
Παῖς τις ἀναθλίβει πρὸς τὰ γένεια τιθείς.

Salmaſ. in Solin. p. 392.

LXVIII. *Ad Cerylum* & in ipſo ep. *Ceryle.*

LXIX, 5. Scriberet. *Scripſerat.* 6. numen. *lumen.* 8. una eſt. *vana.* furis. *fuit?*

LXXI. *Ad librum ſuum.* 7. radiata Coloſſi. *coloris.* 10. Cybeles. *crudeles.* 11. ſub fronte. *tibi fonte.* 15. propior quam Phoebus amat. *potior Phoebus amat.*

LXXIV. *Ad Micilianum.* Th. 2. *Meciliane.*

LXXVII, 11. Permeſſidos unda. *Permeſſide nuda.*

LXXXII. E servo. *A servo* Th.

LXXXVII. micropsycho. lege Μικροσκόπῳ. Microspicum pro micropsycho Scaliger. Microspicus est homo sordide parcus, qui nullum ad coenam invitat. Plin. XXII, 25. Seneca lib. 2. Benef. parcissimum hominem vocat pusilli & contracti animi, hoc est μικροψύχος. Salmas. Martialis hoc nomine senem aridum & deparcum notat. Medicis autem μικρὸς σφυγμὸς, cui minutus & pusillus pulsus, ut est animo deficientium. (In editione vetusta, quae ad manus est, Paris. 1528, extat *De Nævio Microspico.* W.)

LXXXVIII, 3. obstat. *obstent.* 4. ructus. *ruptus.*

LXXXIX, 6. humida. *roscida.* 9. supremos annos. *supremus annus.*

XCVI. *Ad Aelium* & v. 1. *Aeli.* Th.

XCVIII, 1. tu, Naevole, semper. *tunc Naevole tantum.* Th.

CV, 1. delicata. *deligata.*

CX, 1. Putat Carrio Catulli librum designasse Martialem, cum dicat: *Donabo tibi passerem Catulli: magno mittere passerem Maroni:* & hic, *Issa est passere nequior Catulli.* Carrionem sic sentientem stellionem vocat Jos. Scaliger in poster. Euseb. (qui eum voluit occidere, quod folium ex Gellio laceraverat, in quo Menandrum correxerat) Attamen non primus fuit Scaliger, cui haec observatio accepta ferri debeat, ipsum

ipſum quippe hoc jam diu antea annotaverat Parthenius. Iſ. Voſſius.

CXVI. *Procellum* & v. 1. *Procelle.* 2. Toto cand. *Coto* Th.

CXVII, 2. pauca. *pulchra.*

EX LIBRO II.

Praefat. *Valerius Martialis Deciano ſuo ſalutem.* Parum ne. *parum enim.* Curione non egent. Guther. de jure Pont. 2, 14. Et togam ſaltanti. Eraſm. 2 Chil. 5 cent. 38. non laſſi pervenient. *lapſi.*

II. Domitianum del. Th. 6. ex Dacis. *ex Caſtis.*

V, 3. diſtinguunt. *disjungunt.*

VI, 12. Si totus tibi. Scriverius mavult, *Si totus triduo tibi legatur.* Sed prior in triduo & biduo eſt porrecta. Terent. in Eun. *Rus ibo, ibi hoc me macerabo biduum.*

VII, 8. ardelio. *ardalio* V. i. e. nebulo.

VIII, 7. quaſi nos. *quae ſi.*

X, 1. quae das. *quod das.*

XI. *Ad Rufum de Sillo coenipeta.* Th.

1. Selium. *Sillum.* 2. ferus. *fera.* 3. Lugubre. *langore.* 10. domi coenat. *domicena eſt.*

XVI. *In Zoil. aegrotantem.* 3. ſindone. *Sidone.*

XXII. *Ad Apollinem de Poſtumo.*

XXIII, 4. offendere. *oſtendere.*

XXIV, 7. Mecum ergo miſer es. *Mecum erit ergo miſer.* Th. *es* V.

XXVI, 3. rem factam. *terrae fortam.* V.

XXIX,

XXIX, 5. Marceliano. *Marcellino.* V. 6. trita. *tota.*

8. cingit aluta. *pingit aluƈta.*

XXX, 2. erat. *erant.* 3. felixque vetusque. *fidusque verusque.*

XXXII, 3. Patrobas. *Protas.* . 5. Laronia. *Latronia.*

XXXV, 2. In rhytio. *Bruthio* Th. ῥυτὸν in Epig. apud Salm. in Solin. p. 638. item Heronem in Spiritalib. Ulpianum in Demosth. p. 679. B. Figuram habes in parte 2 Antiquitatum Alexandri Petavii Senator. Paris. Attamen cum Th. caeterique MSS. habeant *Brythio*, forte hic locum habet Βρυτέων, de quo Aretaeus, p. 14, 112. Βρύτιον Aeoles.

XXXVII. *In Caecil. coenipetam.* Th. 2. imbricemque porci. Est nasus ῥύγχος. 6. Stillantemque alica. *stellantemque halyca.* 11. vocavi. *vocabo.*

XL. *In Tongilium gulosum.* 3. modo. *nunc.* 5. saccentur. *sincentur.* Opimi. *Opimus.* 6. fusca. *fusa.*

XLI, 4. Quamvis. *Verum ut.* 10. Spanius. *panius.* Quam ventum Spanius, manumque Priscus. *Quam ventus vatius, manumve lippus.* Scriv. Edentula haec ita risum oportet fugiat, ut vatius, qui crura habet exterius (interius varus) flexa, qui facile quovis vento subverteretur, ut apud Athenaeum Phileta, l. 13. Hinc sic quoque lege l. 12, ep. 70:

Lintea

Lintea ferret Apro vatius cum vernula nuper. Scriver.

11. Fabulla. *tabula.* 12. Sabella. *tabella.* 18. perſpicuo. *proſpicuo.*

XLII, 2. Spurcius ut fiat. *Spurcior ut fias.*

XLIII, 1. *παντα. coena.*

XLVI, 1. ut pingitur. *ubi ping.* 3. perlucent praela. *conlucent prata.* 8. lateris. *later* Th. *lateri* V. 10. Ne metuas, non te. *Quid metuis monte.* T. *Quem renuis non te.* V. tineas. *timpas.*

LII. Explica per l. 5. ep. 49. & 8, 47. 10, 83.

LIII, 7. vincitur. *juncitur*, lege *jungitur. Quique ſui Venerem junxit cum fratre mariti.* Vide N. Heinſium ad Ovid.

LVI. *Ad Gallum.* Th.

LVII, 2. media ſepta. *mediam viam.*

LVIII, 1. Pexatus. *Vexatus.*

LIX. *Stibadium.* 2. tholum. *thorum.* 3. tingere nardo. *nardo liquido.* in Cod. S. *νάρδω πιστικῷ.*

LXIII, 4. haec mage. *haec quoque.*

LXIV. *In Laurum cauſidicum.* Th. 2. Taure. *Laure.* 3. vel Neſt. *& Neſt.* 9. ſpectabimus. *ſperavimus* Th. & V. *ſperabimus.*

LXVI, 2. incerta. *inſerta* Herald. ita olim Salmaſ. ad Solin. 760. 4. ſectis icta Plecuſa. *ſaevis jacta Phleguſa.* 6. Tangat. *tangit.* 7. ſaeva. *nuda.*

LXVIII, 2. Quem regem. *Quod reg.* 3. Ne me. *Non me.*

LXXI, 1. Candidiu. *Callidus.* Th.

LXXIV,

LXXIV, 7. Fusciculenus. *Ruriculemus.*

LXXV. *De leone & pueris.* Th. 3. Dedidicit. *Et didicit.* 7. furiali. *furioso.*

LXXVI, 2. is tibi. *hic tibi* Th. & V.

LXXX, 2. non furor. *num furor.*

LXXXI, 2. *sandapila est.*

LXXXII, 1. servum. *servo.* fingis. *figis.* 2. Nescis. *Nesci.* Th. lege *Nescin.*

LXXXV, 1. niveae coctae. *nitidae — coptae.* 4. quereris. *quaeris.*

LXXXVII, 2. sub aqua, Phoebe, natantis. Lego *nitentis.* Niti quid sit, notum ex Suetonio, qui Vespasianum dixit habuisse vultum nitentis. (Infeliciter hic conjicit Beverl. Nam *nitentis* metrum non patitur, atque ea mutatione perit antithesis, *ardere puellas* & *ipsum sub aqua natare.* W.)

EX LIBRO III.

Cum edidit hunc librum III, Romae non erat. Vide ep. 1. 4. 5. 56.

I. Ad lectorem de libro Gallicano. Deest in MSS. Th.

II, 11. cocco. *croco.* 12. Probum. *probrum.*

III, 2. Sed non. *At non.* 4. vel tunic. *aut tun.* Th. & V.

IV, 3. rogabit. *rogarit.* 7. dicet: responde. *tu respondeto.*

V, 4. Julius affid. *Cujus & affid.* 5. adeas, primique. *primi quaeres.*

6. Daphnis, Grammaticus. Daphitan vocant

cant Strabo & ejus epitomator, & Val. Maximus. Suidae Δαφιδας, qui propter divitias Δαπαντης vocabatur. Hujus vitam habes apud Suetonium. Vide Salm. p. 47.

VI, 4. Libat; Suet. in Ner. 12. Cal. 10.

XI, 2. putas. *doles.*

XIII, 1. leporem. *pullos.* mullum. *piſces* Th.

XV, 1. credit. *credat.*

XVI, 5. Luſiſti, ſatis eſt. *Luſiſti corio.*

XVII, 1. Circumlata. *Circumjacta.* ſcriblita. *inſcripta.*

XIX, 3. tentat. *temptat.* 5. caeco ſceleratae. *celo ſcelerata.* ore. *ere* Th.

XX, 4. adſtruit. *aſſeruit.* 15. Titine. *Stertitne.* 18. currit ad. *curritat.* 20. naviclatur. *jaculatur.*

XXII, 2. laxum. *luxit.* 3. ne fam. *ut fam.* 4. duxiſti. *perduxit*, lege *perduxti* pro perduxiſti. Scriv. 5. Nil eſt. *Nullum.*

XXIII, 1. retro pueris. *pueris retrahens.* tradas. *tractas.*

XXIV, 2. grata. *digna.*

XXV. *De Sabineo Rhetore frigido.* Nugatur hic Domitius, & recte hic ſimile eſt ſcomma Gnathenae apud Athenaeum in Diphili dramata, quibus inquiebat ſe ciſternam ſuam refrigerare.

XXVII, 1. venias cum ſaepe. *cum ſis prior ipſe.* 3. utriuſque. *utrinque.*

XXXI, 2. Urbanique. *Albanique* Th. 3. domi-

nae numerosus. *domino numerosae* Th. & V. 4. mensa. *massa.*

XXXVI, 5. Lassus. *lapsus.* 6. laver ipse Titi. *laber - citi.*

XXXVIII, 3. disertius. *disertior.* 10. vides. *putes?*

XL, 1. quinquaginta. *quinquagena.*

XLII, 1. Lomento. *Tomento.* 4. esse malum. *esse nefas.*

XLIV, 12. sonas ad aurem. *fugas edentem* Th. 13. licet. *finis.* non licet natare. *tu tenes euntem* V. 14. tenes euntem. *sonas in aurem* V. 15. fugas sedentem. *edentem* V.

XLVI, 5. cunctos. *cuneos.* Turneb. Adv. XIII, 19. 7. caussis. *caussam.*

XLVII, 2. Almo. *almae.* 4. fervet Herculis fanum. Fervens Suburra Juven. calere Mart. 7, 7. tepida Catullo. & Tertullianus aestuare carcerem dixit apol. 44. Scriv.

XLVIII, 1. Extruxit cellam. modica hospitalia, l. 5. 1, 2. μοναὶ cellulae monachorum. de caeteris cellis lege Vitruvium.

XLIX, 1. tu Mass. *ubi Mass.*

L. 3. affertur protinus. *protinus apponitur* V. 4. oxygarumque. *ostrigerumque.* 7. recitas. *ponis.* denique librum. *denique bruma.* 8. Putidus. *putridus.* 9. dones. *donas.*

LIV, 1. rogantem. *roganti.*

LV, 4. sic bene. *tam bene.*

LVII, 2. Cum peterem mixtum. Graecis miſtum ὑδαρὲς, non miſtum ἄκρατον.

LVIII, 12. cortis. *cobortis*. 36. *Somniculos*. 39. texto. *ciſto*.

LX, 4. mytilus. *mytulus* Th. *myrtilis* V. 5. ſuillos. *puſillos*. 10. quod non eſt. *quae non eſt*.

LXII, 3. ſpecioſa. *ſpatioſa*. 6. nulli eſt. *mula eſt*.

LXIII, 2. dic mihi. *Cottile*. 5. qui Gad. *qui & Gad*. 6. modos. *choros*.

LXV, 2. quae venit. *pervenit*. 8. ſparſa. *paſſa* Th. *paſta*. 10. Quid. *Quod ſi*.

LXVI, 1. Phariis. *pactis*. 2. Abſcidit. *Illa comam laevo morienti abſcidit ephebo*. Lucan. 1. Recte itaque. 3. laeta. *Roma*.

LXVII, 2. Eridanoque. *Ratinaque*. Vatreno Ratinaque. flumina ſtagnantia Ravennae. *Vatreno Raſinaque* Gruter. vide G. Voſſii Ariſtarch. p. 300, l. 2. 4. figitis. *fingitis*. 6. laſſos. *lapſos*.

LXVIII, 2. interiora. *inferiora*. 10. proba. *proca*. 12. totum. *tantum* Th.

LXXVII, 5. Capparin, & putri. *Capparis & putris*. 8. Reſinata. Hirtius; ipſe de tempore reſinam & nardum identidem ſibi infundit. 8. ſaprofagis. *figis apros*.

LXXVIII, 2. Jam Palinurus. Turneb. Adv. 13, 19.

LXXXII, 5. galbanatus. *galginatus* V. 6. cubitis. *cubitiſque*. 8. ructanti. *ruptanti*. 9. Pinnas. *Spinas*. 14. doctam. *dextram*.

23. Maſſilianis. Vitruv, X, c. ult. adde l. 4, 36. 13, 120. 14, 116. 25. myrrhiniſque. *myrtiniſque.* 26. fuſus. *fuſcis.* 28. capillare. *capitale.*

LXXXVI, 1. Ne leg. *Nec leg.* 2. Praedixi. *Praedixiſti.*

LXXXIX, 2. Nam faciem. Facies dure nitentis *ſtiptica* dicitur.

XCI, 9. qui parte. *cum parte.* 11. fama eſt, quondam. *quondam fama eſt.* 12. Pro cervo. Vide Crinitum l. XIX, c. 8.

XCIII. *De Vetuſtilla.* Sic & verſu 1. Th. 3. cruſculumque. *crus colorque.* 9. Adriaticus. *Atrianus.* Th. *Hadrianus* V. 12. uropygium. *ortopygium* Th. & V. 17. poſſit. *poſſis.* 21. quis te. *te quis* Th. & quis V. Ad 10. Noctuae vident mane. Diluculo & crepuſculo vident: meridie nihil cernunt, quia lumen oculorum diſſipatur, ut nobis in nivibus ambulantibus evenit. Nocte media quoque non vident, ſi illunis ſit: at vero luna ſplendente & aëre illuminato unitur & fovetur earum viſus. Errat itaque Martialis, & Mart. Capella cum noctividam alitem vocat. G. Voſſius.

XCV, 2. Curius. *corvus.*

C. Vid. lib. IV, 10. IX, 59.

EX LIBRO IV.

Ep. II, 2. munus. *mimmus.*

IV, 5. bardiacus quod evocati. *Bardaici os quod exoleti.* 12. malles. *mallem.*

V,

V, 8. Cano. *plano* Th. *Plano* V. 10. Philomelus. *Philomeus.*

VI, 3. Massiliane. *Malisiane.*

VII, 7. Eupheme. *Euphene.* 9. laxatur. *lassatur.* 11. timet ire. *metire.*

IX, 3. ἔχεις ἀσώτως. *ethisacos octhos* V.

X, 1. neque adhuc. *& adhuc.* 5. punica. *pumica.*

XIII, 1. Pudenti. *parenti.* 9. ipsa sen. *illa sen.*

XIV, 4. levesque. *saevosque.* 8. & hinc. *& inde.* 14. Passerem Maroni. Adde l. XI, 7. Per passerem intelligit Catulli versum, qui incipit: passer deliciae meae puellae. Sic plerumque citantur leges a prima voce. Sic *Ilia Ennii*, & Lucretii *Aeneadum genetrix* ab Ovidio l. 2. Trist. citata. Carrio. Verum sicut Grotius, Heinsius, Canterus, Wouwerus & alii multa Scaligero debent, ita haec ab eodem Dynasta habet Carrio. Scalig. in Euseb. adde Scaligerana Fratrum Puteanorum. Hinc Carrionem stellionem vocat Scaliger, ante quem tamen id observaverat Parthenius, notante in Catullum Isaaco Vossio.

XV, 1. nocte. *luce.* 4. paucaque vasa. Lego *pandaque.* Virg. Georg. 2. *Lancibus & pandis fumantia condimus exta.* Lanx μαζονόμος Gloss.

XVIII, 3. templa. *tecta* Fl. V.

XIX. *Ad Sequanicum.* 4. endromida. *Endromeda* Fl. *Andromeda* V. 5. tepidumue. *trepidum-*

pidumve. 8. Atham. *Athan.* Fl. & V. *Atlan.* 12. sindone. *Sidone* Fl.

XX. *Ad Collinum.* Th. 1. Caerelia. *Cherellia.*

XXI. *De Segio.* Fl. & V.

XXII. *De Cleopatra natatrice.* 1. & adhuc. *nec adhuc* Fl. & V. 5. Condita. *candila.* 6. teneras. *tenuis* Scriv. 8. Basia. *Oscula* V.

XXIII, 3. Gratum quisve. *Gratumque* Fl. comparabit. *comparavit.* 6. Qui si. *Qui sic.* 7. sale. *Scolae* Fl.

XXV, 5. Timavo. *Tymanno.*

XXVII, 2. non minus. *cui minus.* 5. corrodit. *contorsit.* V.

XXVIII, 5. dominos. *numeros.* 7. misella. *Miscella.*

XXIX, 7. memoratur. *numeratur.* 8. Marsus Amazonide. Sicut duo fuere Codri, unus poeta celebris a Virgilio laudatus, alter a Juvenale explosus; ita quoque duos crediderim fuisse Marsos. Unus ab Ovidio cum Rabirio comparatus, alter hic a Martiale *levis* dictus. Nam quod Scaliger in MSS. Codrum legerit, vix adducor habere fidem, cum optimos Thuaneos, Florentinos aliosque pervolverim, qui cuncti unanimi consensu habent Marsum. Naso eleg. ult. Pontic. *Cum foret & Marsus, magnique Rabirius oris.* Epigramma scripsit in Tibullum. Scaliger ex MS. Codrum legit, intelligitque eum, de quo in pr. Juvenalis. Vereor tamen ne ipsum fefellerit corrigendi labor. Quippe in

in Epistola lib. 1. epigr. & l. 5, 5. Marsus cum Catullo conjungitur. Marsus concinnam brevitatem, venustatem argutam, acutum salsumque, quod titillat ac pungit, acumen observabat in epigrammatum lingua: in Amazonum vero historia minime ingeniosus, utpote in alieno litigans foro. *Facile est epigrammata belle scribere, sed librum scribere difficile est.* Mart. Sic Tibullus in jocosis cum puellis elegis est divinus ac facetus; sed in seriis, puta ad Messallam, exulant omnes Gratiae atque Veneres.

XXX, 13. rogator. *rogare.* 16. venerare dedicatos. *sine errare delicatos.* Utrumque bene. Nam delicata veteres dixere *dedicata*, & *delicare* pro dedicare. Fest.

XXXI, 2. esse tibi. *iste tibi.* 5. averso fonte. *aversa fronte.* 9. adoptes. *adopta.* 10. Hippodamus. *Hippodamnus.* Sic Hippodamna & Hippodamia apud Justinum M. Sic Ovidius l. 4. epist. 12, V. ult. ex Ponto se excusat, ad Tuticanum: Rutilius Numat. ad Rufum Venerium Volusianum, Albini filium, v. 419:

> *Optarem verum complecti carmine nomen,*
> *Sed quosdam refugit regula dura pedes.*

7. Sirmond. ad Sidon. 103. Fugit hoc virum qui plura congessit, quam digessit. de H. L. p. 222.

XXXII. electro. *gutta arboris.*

XXXVII, 3. Serranus. *Cerranus.* 4. ſoldum. *ſolidum.*

XXXIX, 3. Scopaeque. *Copaeque.* 6. Glaniana. *grantiana.* 7. Callaico, *Callanico.*

XL, 10. Hoc, fortuna, placet. *Fortunae placet hoc.*

XLIV, 3. plus Bacchus. *modo Bach.*

XLV, 5. uxor. *arbor.*

XLVI, 9. defruti. *defricti.* 10. gelata. *cellata.* 12. cliente. *clyento.* 14. polita. *polluta.*

XLVII, 1. Encauſtus. *Incaſtus.*

LI, 2. hexaphoro. *aſſe foro.* 4. ecce pedes. *ipſe ped.*

LII, 1. Aedyle. *Hedyle.*

LIV, 5. puellas. *ſorores.* 7. Divitior Criſpo. lege *Criſo* pro Croeſo.

LV, 21. Turgentisque. *Turuntique.* 22. Vetoniſſae. *Toveniſſae.* 26. Matineſſae. *Matinenſe.* 28. Rides. *Ridebis.* 29. Britannos. *Bitunnos* V.

LVII, 2. pumiceis. *punicils.* antra calent. *arva rigant.* 3. Argivi. *Argoi* Th. *Argolici* V. 4. bis decimus lapis. Antoninus ponit ſpatium XVI millium: hodie XX numerant.

LVIII, 2. Num plor. *Jam plor.*

LX, 5. cum mors. *quin mors.*

LXI, 6. lineisque ter cinctum. *lychnidemque & ceritem* Pal. Cod. lychnis & lichnites idem. Cerites Plinio a cera dicitur.

LXII, 1. nigra Lyc. *fuſca*, ut infra. nam nigra rediit.

LXIV,

LXIV, 4. imminent. *eminent.* 15. brevesque Rubras. *Rufras.* Rufrarum meminit Livius. Sic Virgilii Cod. Flor. Rufras. 19. patet. *tacet.* 28. patet. *pater.* 31. qui put. *quae put.* 34. dedite Saetiam. *deditis ediam.*

LXVI, 2. dulcius. *vilius* Gruter. fic l. 7, 27. vilius efurio: minori fumptu. 14. fluit. *fuit.*

LXVII, 2. cara notus. *nota carus.* 4. juftus. *juffus.* 5. Scorpo. *Strope.*

LXIX. *Ad Papylum.* Th. 1. Maffica ponis. *Marfica. potas.*

LXX, 1. Ammiano. *Mamiano* Fl. veftem. *reftem.* Lipf. Ita Theon libertinus dicax delator ita fuum laceffivit dicacitate patronum, ut legati titulo juberetur *reftem fibi palumque emere.* Adde Infcript. Gruteri, pag. DCXCI. 9. DCCXV. 10. Scriv. 3. putet potuiffe. *putat poffe* V. *putaret poffe.* F. Maronille. *Marulline.* 4. Ammianus. *Mammianus.*

LXXI. *Ad Saphronium.* Th. 1. urbem. *orbem.*

LXXII, 3. fanus. *fi vis.* Tryphon erat ἀρχαιογράφος & antiquarius amanuenfis. Sid. 9, 16. Auguftinus S. 44. laudat antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem. Adde Caffiodor. 15. T. 30. de divin. lect.

LXXIII, 4. pulla. *nulla.* V. 5. caris. *carus* F.

LXXIV. *Ad Caefarem.* 3. audent. *ardent.*

LXXV, 3. Te patrios. *Jam patr.* 5. injecta?

intenta. 7. certe. *certo.* vitae. *famam* Th. *pectore famam* Fl.

LXXVI. *In Bissenam.* Fl.

LXXVII. *In Zoil. invid. de voto.* 4. Caussa est tam subiti. *Quae causa subiti novique voti.* V.

LXXIX. *Ad Rufum senem inquietum.* Th. 7. clivo. *divo.* 8. Sigeriosque. *Sydereosque* V.

LXXX, 1. Matho. *Maro* V. 2. emis. *emas* V. rus. *jus* Fl.

LXXXI. *Ad Maronem febricitantem.* Th. 1. Mathon. *Maron.* Fl. 2. Mathon. *Maron.* Th. & Fl. sic & v. 6. Fl.

LXXXIII. ult. opus. *onus* Fl.

LXXXIV, 4. gratus. *natus* Th. *notus* Fl. & V. nati sunt clari & nobiles: omnes tibi videntur obscuri.

LXXXVI, 2. Prodat. *fraudat.*

LXXXVIII, 1. Fabulle. *Catulle.* 2. vocat. *facit.*

LXXXIX. *Ad Septicianum.* Th. 5. thyni. *cyrri.* 8. posses. *possis.* 9. benigno. *benigne.* notus. *votis.*

XC, 5. corpusque frico. *corpus fingo.* Cujac. 13. obs. 13. 7. Pondero. *Prandeo.* 9. Haec dat. *Nec dat.* nox lucubrata. *elucubrata.*

XCI, 4. scheda. *scola* Fl. *schola* V. forte *stola.*

EX LIBRO V.

Ep. I, 1. Hoc tibi. *Haec tibi* Th. Albae. *Albis* V. 3. discunt. *dicunt.* 4. Plana. *Plena.* freti. *maris.* 10. Galla cred. *falsa cred.*

II,

II, 6. jocetur. *jocatur.*
V, 1. Palatinae cultor Minervae. Domitianus se Palladis filium dici credique voluit. Philostratus in vita Apollonii l. 2. adde ep. 1. lib. 8.
VII, 3. Taliter. *Talis.* 4. ipsa. *ista.*
VIII, 5. ruber. *rubens.*
IX, 1. protinus, *omnibus.* sed retinendum *protinus.* 3. Centum me tetigere manus. Aulus Corn. Celsus monet, ut peritus medicus non protinus, ut venit, apprehendat manu brachium decumbentis, sed primum resideat hilari vultu, percunctetur-que, quemadmodum se habeat, & si quis ejus metus est, eum probabili sermone leniat, tum demum ejus corpori manum admoveat.
X, 3. Hi sunt. *Insunt* V. F. 6. Et laud. *Sic laud.* F. V. Julia. *vilia* Th. V.
XI, 2. Portat. *versat* F. V.
XII. *De annulis Stellae* Fl. 7. Portet. *Levat* F.
XV, 3. honorato. *honoratus.* multus nomine. *multum carmine.*
XVI, 1. malim. *malo.* 3. cantas. *cunctas* Th. *jactas* Fl. 9. comessatorque. *miseraturque.* 11. hac. *&* Th. *ut* V. 13. satis est: laudabimur. *juvat & laudabimus.*
XVII, 4. nupsisti, Gellia, cistifero. Legebam olim caestifero, i. e. pugili, qui flagellum fert, & in cujus caesto clavi erant ferrei.

Terga boum plumbo insuto, ferroque rigebant. Virg.

Lege

Lege obſecro A. Rubenium, cujus in hoc epigrammate acumen plus ſaporis plusque gratiae habet, quam unatim cuncta Ferrarii analecta. Audi ſodes elegantioris viri explicationem, omnibus numeris non minus abſolutam, quam Gratiis conditam. Matrona R. & tumida nolebat nubere anguſticlavio, ut tamen videretur laticlavio nubere, nupſit ſacrificulo calaſiri ſola beato. Ciſtifer eſt myſta ciſtam ferens & calaſiri indutus in ſacris Herculis. Silius Ital. lib. 3. — — *velantur corpora lino,*

Ex Peluſiaco praefulget ſtamine vertex.
Diſcinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

καλάσιρις praeterquam quod apud Herodotum, Ariſtophanem, Ariſtarchum, Heſychium ac Suidam eſt, reperitur quoque in Ἀριστοφάνους θεσμοφοριαζούσαις apud Clem. Alexandr. Paed. l. 2, 12. ubi male τρυφοκαλασισις: lege, ſicut & in Polluce l. VII. c. 22. τρυφοκαλασηριον, & apud Heſychium quoque uno comprehendendum eſt ſpiritu Τρυφοκαλασιρὶς. H. Beverlandus.

XIX, 1. veri. *veris.* 5. major. *melior.*

XX, 2. Flammataeve togae. *Flammariſve* Th. F. lege palmariſve togae vel ſtolae. palmata tunica apud Feſtum. ſcrupula. *reripala.* 3. tumidique — reges. *timidique regis.* muneribus pacem ſibi redimebant a Romanis

manis Reges timentes. 8. non vis. *nobis* V. recte.

XXII, 1. Macrum. Rob. Titius emendavit Macrum. nam Marcus erat etiam praenomen Licinii Craſſi. Macri meminit Tibullus. *Caſtra Macer ſequitur*. 2. Apollonius. *Apollodorus* Th. lege Apollodotus. 4. ſcripſit & edidicit. *ſcripſerat & didicit.*

XXIII, 7. vincere. *rumpere.*

XXIV, 5. cocco mad. *oſtro mad.* MS.

XXV, 9. Iocariorum. *jocariorum*. Vide Salm. ad Solin. p. 234.

XXVI, 2. curre, late. *ſurge, tace* Fl. 8. croco. *mero.* Fl.

XXVII, 2. cum joc. dum. 4. beta. *vita.*

XXVIII, 3. ſunt. *ſint.*

XXIX, 5. Marcos. *Macros*. 6. Paullos. *Faulos.*

XXXI, 3. ſcena. *ſcema.* 6. ſuo. *novo.*

XXXII. *Parabola tauri.* Fl. 6. poſſent. *poterant.* Th. Fl. 7. greſſus. *geſtus* Th. Fl. ſed de diſcrimine palmae. *& nec diſcrimine parvo.*

XXXV. *Ad Frontonem.* Th. Verſui 3 praeponitur in Th. *De Erotione.*

XXXVI, 1. Cum. *Dum.* patruelibus. *Patrenſibus.* Patruenſibus a Patris Achaiae civitate. 2. Ducenta. *Ducena.*

XXXVIII. *De Herotionte puella.* 5. pecudis Indicae. *pecoris Indici.* 8. nitellam. *mitellam* V. Aureae mitellae meminit Optatus, 82. 83. quem locum male corrigit Caſaubonus. Fiebant iſtae mitellae (mitrae) ex panno

&

& lana aurea. Isid. Etym. Male Salmasius nitelam legit, cum nitela, eo teste, idem sit ac sciurus, quod sequitur. quam itidem male a nitendo deducit prima producta; ad Solin. p. 316. Hinc Theocrito Περσαι αἰολομιτραι. In Copa corripitur prima in mitella. Sed tamen dixere quoque mitrella & mittella. Nitella καλλυντρον Gloss. H. Stephani. Sed aliud id. namque nitela est dentifricium, ut ex Apulejo constat. 15. avara. *amara.* 19. pulsans. *pulsem.* vellens. *vellem.* V. & ita omnino legendum, nempe inquit Paetus vetat ut pulsem pectus &c. (Sed omnino errat hic Beverl.) 24. Ducenties accepit. Rigaltius male haec interpretatur ad Artemidorum.

XXXIX, 3. σῦκα μέριζε. σῦκον ἐφ' Ἑρμῃ. Proverb. cum aliquid in via reperissent. Pro eo dicebant κοινὸς ὁ Ἑρμης. Suid. vide Phurnutum p. 23. Inepta Petiti conjectura in Miscellaneis.

XLVIII. *De Philone Foriscoena.* Sic domicoena, Cupidicenus in Gloss. Τρεχέδειπνος.

XLIX, 2. nec proh. *non prob.* 7. nec prop. *ne prop.* brevibus nec crede. *brev. ne cede.* Cede i. e. succede. ut sit sensus: Semper tu Encolpe sis brevis & similis capillis tuis brevibus, diuque puer. Vel. sic: O barba tarda veni & ne cede; sed si venias, sis similis brevibus capillis.

L,

L, 2. Labiene. *Laviane.* 5. nec puer. *vel puer* Th. Fl.

LI, 3. petis. *velis* Th. *putes* Fl. 8. coquus. *focus* Th.

LIII. *In Postumum, de munere.* 7. dones. *dona* Th. Fl.

LIV, 2. Quid. *Quo* Fl. *Nioben. Andromachen. Andromedem* Fl.

LVII, 2. diuque tentas. *diu rogasque* Fl. 10. Si duri puer ingeni. Si ſagax pater filium videat tardioris ingenii & imbecillis memoriae, recte talem ad lapides vel preces recitandas ablegabit. Vitruvium forſan ſugillat. Lege Nic. Cabeum in meteorol. Ariſtotelis, de Ingeniariis.

LVIII, 2. meum. *tuum.*

LIX, 7. ſerum eſt. *tardum* Fl.

LXII, 8. certus. *coecus.* 9. Procuratorem vultu. Procuratoris vultus pro aſpero & gravi. Nam ſervi urbani atrienſes, oeconomi, villici, diſpenſatores & duicenſi ipſi aliquid ſibi eſſe videntur. Petronius 30. de diſpenſatore; ſuperbum ille ſuſtulit vultum. Multi ſervi fuere negotiorum procuratores in Familia Auguſti.

11. alapis Latini. J. Voſſius ad Catullum. Latini & Mamercorum alapae Panniculo infliguntur. Scurrae qui capita contumeliae locabant, quo ſonantiores fierent alapae, tubicinum inſtar malas inflare ſolebant, ut ea ratione aemulum tubae redderet colaphus ſonum. Tales Salpittones, Salvi-

Salvitones, Salutiones, Salpyctae, Salpittae & Salapittae dicti. Salvitto Plinio & Suetonio. In Glossis salapitta exponitur ῥάπισμα seu colaphus. Sic Barbaris *Bufon* qui buffam sive *buffetonem* tumentibus genis excipiunt. *sufflectus* a sufflando. Apud Catullum, superstite re publica, Exiguus Calvus, attamen disertus, quoniam magnum ore sonabat, Salapittium dicitur; MSS. habent Salaputium, Salapatium. Valeant jam Scaliger & Salmasius cum Salaputio Beroaldi, & Rob. Titius & Nic. Heinsius cum Salicippio, & Turnebus cum suo Calabotio.

LXIII, 4. digitum. *lectum.*

LXV, 2. Alcine, funde. *Alcime solve* Fl.

LXVI, 3. Libycae. *Siculae* V. 6. nec. *non* F. 14. Hydra. *ira* V.

LXVII, 2. Sic erit. *Diceris* Th. *eris* V.

LXVIII, 4. diripuere suae. *deripuere suam* Th.

LXXIII, 2. Ille potest. *Hic potuit.*

LXXVI, 2. dicere. *ducere.*

LXXVII, 1. poto. *loto* F.

LXXVIII. Ad Marullum *Pedarisiam* Fl. 2.] oleum. *olens.* Lege tolens vel potius *toles*, quod nihil aliud est quam faucium inflammatio & tumor. Ut enim illi qui toles habent in faucibus, non possunt loqui, ita nec audire, qui eas habent in auricula. Itaque ait illum nolle audire, sed semper loqui. (Ingeniosa satis haec conjectura

Bever-

Beverlandi. Sed vereor, ne *toles* hoc loco adversum sit metro. W.)

LXXIX, 3. deerunt. *dederint.* προπίνειν. *propinqui.* 5. Divisis cybium. *Et dives Sycibium* Fl. 15. tostae. *coctae.* 18. esuritionem. *exhauritionem.* 25. dominus leget. *domini leges* F. 29. non grave. *nec.* 30. condyli. *condylis.* 31. sequeris. *si queris.*

LXXXIII, 4. I., tibi. *Si tibi.* es. *est.*

LXXXIV, 1. insequor. *& sequor* Th.

LXXXV, 3. proditus. *protinus.* 8. quae. *quam.* 10. vestra. *nostra.*

EX LIBRO VI.

Ep. II, 1. sacrae. *ferae* Fl. 2. immeritos. *innumeros.* Fl. 4. quos. *quod.*

III, 6. totam. *toto.* nebit. *nubit* Fl.

IV. Adulatorium. Sic ep. 72. l. 10. ep. 15. l. 12. non videtur lemma ab ipso Martiale epigrammati suo inscriptum: nam in MSS. ad Caesarem.

V, 3. tacitum. *tacito.*

VII. *De Thelesilla.* Th. 1. renata. *relata* F. V.

VIII, 6. Dignum quid fatuo. *Dic nunquid fatue.* Th.

X, 4. pudeat. *pudet ab.* 11. mihi. *modo.*

XIII, 1. formatam. *formavit* Fl. 3. tacita. *tacta* Fl. V. 4. decor. *liquor* V. pro splendore. 7. revocetur. *renovetur* Fl.

XV, 4. nunc pret. *nec pret.*

XVIII, 4. Vivit, qua voluit. Saloninum non totum periisse dicit, utpote qui majore sui parte viveret in Prisco, quem ita amavit, ut potiorem sui partem esse crediderit.

XXI. *De conjunctione Stillae & Hiantidae.* Th. 1. Janthida. *Athlantida* F. V. 3. aurem. *aure* Fl. V. 4. exitiose. *exitiosa.* 8. Jovem. *virum* Fl. 10. caede duos. *parce Deo.* Sic duo C. MSS. V. & Fl. i. e. desine male loqui de Jove.

XXV, 3. quid: *quod.* 4. vota. *nota.* 5. ne te. *nec tu.* 8. decus. *ducis?* Th. Fl. lego *& esse tuus.*

XXVII, 3. patrii. *patria.* 4. nata. *nota.* 8. fiat anus. *fiet opus.*

XXVIII, 6. integer. *innocens* Fl.

XXX, 4. moratus. *rogatus* Fl.

XXXII, 1. Enyo. *eripo* V. 2. & posset. *an possit.* 3. staturum. *saturatum* F. V. 4. Et fodit. *Effodit.* nuda: *tota.*

XXXV, 4. semisupinus. *semisopitus.*

XXXVIII, 6. tecta. *trita* Fl.

XXXIX, 3. filiusve. *filius nec.* 7. Cogisantrae. *Cosigrante.* 9. Pannici. *Pannichi.* 11. lippum. *lupum.* 14. Praecide. *Percide* F. 15. acuto. *cauto.* 20. Jamque hybridarum. *Jam vernularum* V. *jam mobidarum* F. lege *jamque ombridarum.* vide Scalig. ad Varr. p. 201. (Ex observatione Scaligeri l. c. Umbri, Imbri, Ibri, Ibridae apud veteres spurii vocati sunt, ut apud Graecos dicti ὀμβρίκαλοι. *Ombridarum* igitur, quod hic

hic fingit Beverlandus, idem erit ac hybridarum. Quid autem opus erat Martiali antiquum & obsoletum, si modo unquam extitit, prae usitato & notiore obtrudere? W.) 21. Corculus. *choredus* Fl.

XL. *Ad Lycorim, anum ex formosa.* 3. tu non. *sed non.* 4. quid. *quo.*

XLI, 1. lana. *lauro.* colla revinctus. *tempora vinctus.*

XLII, 7. principesque. *principisve* V. i. e. Domitiani. 8. micat. *vacat.* 11. aestus. *artus.* 12. Taygeti virent. *Tajeti vigent.* 18. Martiaque. *Martiave* Fl.

XLIII, 1. Dum. *Cum.* 2. nympha. *unda.* 5. Hic. *Hoc* Th. V. 6. Hic vestrae mihi sunt. *Hoc mihi sunt vestrae* Th. 9. urbi. *urbis* Fl. 10. si licet. *& lic.*

XLIV, 3. dicis. *ducis.*

XLVI, 2. facit. *facis.*

XLVII, 1. mei Stellae. *Atellanae* V. F. 3. Triviae. *Trebiae* V. antro. *antris* Th. MSS. *amne* V. Fl. 7. meo jam crimine. *modo lacrimantia* V. F.

XLIX. *In Thelesinum, ad Bithynicum.* 3. postquam. *ex quo.*

LII, 5. inde sibi. *ut debes* Th. Fl.

LVII. *In Phoebum tegentem calvam capillis.* 1. fictos. *factos.* 3. necessum. *necesse.*

LVIII, 2. Scythici. *Getici.* ferre. *pigra.* 5. lassa. *lapsa.* 6. Pudens. *pudor.*

LIX, 5. saeve. *sene* V. 7. illud. *illas* V.

LX. *De Pompullo.* sic & v. 1. Th. Fl. 3. Usiporum. *Visiporum.* Th. 7. blattasque. *plantasque.* 8. coci. *joci* V. 9. quid plus est. *quid plus sit* Th. donat. *donant* V. 10. Genium. *senium.*

LXII: *Epitaphium ad Ap.* Fl. 1. Silanus. *Salanus.* 2. Apiane. *Oppiane* V. F.

LXIII, 5. quidem. *tamen* Th. V. & Fl.

LXIV, 3. rubicunda. *deprensa.* 8. quibus. *quis.* 12. propius. *toties.* 13. Sura. *jura* V. 18. Ne val. *Nec val.* sapit. *valet.* 24. At. *Aut.* quid. *qui* Th. insufferit. *invexerit* F. 27. rabido. *rapto.* 32. tacitus. *tacita* V. F.

LXVI, 9. negavit. *negabit.*

LXVII, 1. Gellia. *Caelia.* ita & v. 2. Th. non par. *nec par.*

LXIX, 2. Baffi. *Bassae.*

LXX, 2. Cottae. *Cottae.* 4. meminit. *minuit.* 7. *computantur.* 15. sed valere, vita. Vita tamen non consistit in edendo, bibendo & ludendo; sed in philosophando, quod demum est bene valere. *Corpus enim ejus, qui cuticulam curat, non aliter quam furiosi aut phrenetici validum est.* Seneca Epist. XV. adde quae l. VIII, 26.

LXXI. *De Thelethusa.* 3. Pelian. *Peliae* F. 4. solicitare. *solicitata* F. 5. Thelesina. *Theletusa* F. & V. 6. redimit. *redimet.*

LXXIII, 3. notissimus. *ditissimus* Fl. 4. Hilarus. *Hilaris* Fl.

LXXIV, 1. imus. *unus* Fl. 2. trifilem, τρίμιτον.

τον. segmentatus. *semitatus* V. F. 3. laxa. *lassa*.

LXXV, 1. turdumque. *turdumve*. 2. simile *est*. 4. nec mitt. *non mitt*. Th. Fl.

LXXVII. *Ad Afrum mendacem*. 1. Irus. *Eros*. 5. Afer. *Aper* Fl. 7. mulo. *mullo* V. *gibbo* F. lege ginno.

LXXVIII, 1. Potor. *Doctor*. 3. Huic [dicit. *Huic eras* MS. lege *Eros*. 5. valebis. *videbis* V.

LXXX, 5. veris. *venit*. 7. quacunque. *quocunque*. 8. Textilibus sertis. *Tonsilibus sectis* Th. Fl. *tectis* V. rubebat. *subibat* Th. *ruebat* Fl.

LXXXII, 6. Batavam. *Suevam* MSS. vide Erasm. in Adagiis, Auris Batava. & quae diximus ad lib. 14. ep. 176.

LXXXIV, 2. Avite. *amica*.

LXXXV, 1. Editus est. *Seditur en* V. Fl. mi Rufe, Camenis. *mihi Ruse Camoni*. 3. numine. *lumine*. 4. reddit. *sedit*. *redditur ossa patris* V. 8. quinque. *quarta*. *quinta* Th. *quanta* V. Fl. 9. nostros. *totos*.

LXXXVI, 6. calidam. *caldam*. laudat. *livet* Th. *libet* Fl. lege livet.

LXXXVIII. *Ad Sosibianum* Fl. 2. Caeciliane. *Sosibiane*.

LXXXIX, 4. tanta. *tota* Th. *toto* Fl.

XCII, 1. Caelatus. *Dolatus*. Amiane. *Anniane* Fl. 2. Myronis. *Mironas* Fl. lege *Myronos*. bibis, *bibis &* F. V.

XCIII, 2. ſed modo. *quae modo* V. via *eſt*. 3. ora. *hora* Th. lege *ala*. 6. garo. garum liquaminis ſpecies. Quomodo liquamina corrupta corrigantur, vide apud Apicium. 9. nitet. *viret* Th. acida. *acita* Th. latet. *nitet*. 10. pingui faba. *piſta fab.* ἀποπροσωπίζεσθαι κυάμοις apud Pollucem, p. 79, 47. 11. ſe tutam. *ſecuram*.

V.

AD PAPINII STATII THEBAIDA ET ACHILLEIDA ANIMADVERSIONES SELECTAE *J. C. WERNSDORFII.*

PAPINIUS STATIUS is ſane poeta eſt, qui parum hodie pro merito tractatus, & a paucis lectus, in uſum frequentiorem vocari, & novis eruditorum curis ornari mereatur. Hoc conſilio quum nuper Thebaida & Achilleida perlegerem, permulta inciderunt loca, quae aut emendatione indigere, aut majore, quam adhuc factum eſt, illuſtranda luce viderentur. Inde ſubnatae ſunt obſervationes ad eum auctorem variae, e quibus, quas paullo diſertius explicaveram, hic excerptas quaſi per ſaturam exhi-

exhibere volui, ut eas, quae olim in *Miscellaneis Observat. Vol. I. Tom. II. seq.* sunt editae, partim locupletarem novis, partim curatius exponerem. Praeter editiones aliquot nobiliores STATII subsidio fuit *codex MS. Thebaidos & Achilleidos* saeculo medio XV in charta exaratus, a secunda manu emendatus, glossisque brevioribus instructus, qui in bibliotheca Academiae Helmstadiensis asservatur, tum alius antiquior Achilleidos in membrana scriptus. Uberiores in Papinium observationes fortasse alio tempore dabo.

Theb. lib. I. v. 22. *Aut defensa prius vix pubescentibus annis*
Bella Jovis.

Capitolium intelligi, quod cum Flavio Sabino, Vespasiani fratre, contra Vitellianos occupavit Domitianus, vix tum puber, recte annotavit BERNARTIUS. vid. *Tacit. Hist. III. cap. 71.* Putabam rescribendum hic esse *Templa Jovis*, quod minus commode dici videbatur: *bella defensa*, & Capitolii maxime res eo tumultu agebatur, ipseque Domitianus, ut scribit SUETONIUS *cap. 1. irrumpentibus adversariis, & ardente templo, apud aedituum clam pernoctavit.* Sed codices manuscripti & editi non aliter habent, quam *bella*, atque alii scriptores declarant, vulgo hoc *bellum Capitolinum* dictum esse, Domitianumque sibi tantum in eo virtutis meritum tribuisse, ut carmine etiam celebraret, vel cele-

celebrari pateretur. Sic enim MARTIALIS *lib. 5. epigr. 5, 7.*

Ad Capitolini coelestia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

STATIO igitur pro solita sua in Domitianum adulatione non integrum fuit aliter de isto tumultu loqui.

I. v. 23. *Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis*
Aeternum sibi Roma cupit.

Non satis placent, quae hic aut *glossatores antiqui*, aut BARTHIUS, commentantur. *Nova exorsa* significat novum exordium imperii, quod post extinctam gentem Caesaream per Galbam, Othonem, Vitellium erraverat, nunc per Vespasianum in gentem Flaviam translati; & *maturus parens* non alius est quam senior Vespasianus, ut apud HORAT. *in A. P.* dicitur, *Maturusne senex, an adhuc florente juventa.* Jam, inquit, succedentem Patri Domitianum in imperio recens acquisito aeternum sibi cupit Roma. Titum praeteriit, vel quod breve ejus imperium fuit, vel propter odium Domitiani.

I. v. 27. — — *licet ignipedum fraenator equorum*
Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat.

Significat, Solem ultro Domitiano suam divinitatem, suum locum & imperium coeli concedere. Sic enim & Phaethonti, currum & officium Solis accipienti, Phoebus

bus radios ſuos, inſtar coronae, imponit apud OVID. *Metam. II. 124.* Fortaſſe ſimul ſtatuam Domitiani reſpexit, quae radiata coronâ inſignis, & ſub dio poſita, faciem Soli obvertebat, atque adeo Solis adverſi luce perfuſa, impreſſos ab ipſo Sole radios reddere videbatur. Haec non inepta conjectura eſt JO. NICOLAI, *de nimbis cap. 4. §. 3.*

I. v. 44. — — *plorandaque bella protervi*
Arcados, atque alio Capaneus horrore canendus.

LACTANTIUS *alio horrore* explicat majore impetu dictionis, in quo ſenſum poetae non ſatis cepiſſe videtur. *Alius horror* hic eſt diverſus vel contrarius. Bella Arcados Parthenopaei erant quodammodo miſeratione digna, ſed Capanei cum deteſtatione horrenda. Sic STATIUS infra *l. V. 728.* de luctu Hypſipylae in gaudium verſo: *atque alio maduerunt lumina fletu.*

I. v. 55. — — — *manibusque cruentis*
Pulſat inane ſolum, ſaevaque ita voce precatur
Dii Sontes animas, cet.

BARTHIUS *inane ſolum* explicat *ſterile, obſitum, non excultum.* Antiquior Scholiaſtes, cujus particulam commentarii *codex Helmſt.* in fronte exhibet, intelligit *aërem, qui eſt ſolum avium, ſicut aqua eſt ſolum navium,* & alias inane dici ſolet.

GRONOVIUS denique vult esse vacuos oculorum locos. Cujus sententia quamquam plurium assensum meruit, plane tamen aliena a mente STATII videtur. Etenim jam versu praecedente *vacuos orbes* nominaverat, quos supervacuum erat altero statim versu alio vocabulo exprimere. Sufficiebat una verborum comprehensione dicere: *tunc vacuos orbes ostentat coelo, manibusque cruentis pulsat.* Praeterea insolentior & rarior, quam voci *solum* hoc loco tribuit, notio obscuram legenti sententiam ac minus probabilem reddit. LACTANTII interpretatio, qui *inania Tartara* intelligit, ut facilis & clara & apta huic loco, ita unice vera est. Defendit eam & confirmavit *eruditus Britannus in Observ. Miscell. Vol. I. Tom. II. p. 160.* nec rursus infirmare debebat Editor. Inania dici regna inferorum, poetis vulgatum est. Quis nescit *domos Ditis vacuas & inania regna?* Jam si *solum*, affirmante GRONOVIO, denotat locum vel fundamentum cujusvis rei, quis dubitet, *inane solum* eodem modo dici posse, quo *inania regna.* *Pulsare*, STATIUM animadverto saepius ponere pro *compellere*, *vocare*, & *vehementius rogare.* Theb. XII, 50. *Tertius Auroram pulsabat Lucifer.* ibid. v. 200. *nec surda ferae pulsabimus urbis Limina*, & v. 240. *Quas non ille domos, pecorumque hominumque modesto Pulsavit gemitu?* Hic alloqui

alloqui & orare Oedipodem Deos inferos, palam eſt. Et in eadem cauſſa iisdem verbis utitur STATIUS Theb. IV, 477. *Solvite pulſanti loca muta & inane ſeverae Perſephones.* Verbo *pulſare* hoc aptius utitur, quod Manes & inferos precaturi terram percutere pedibus manibusve ſolebant. Cicero Tuſc. II, 25. *Tum Cleanthem, cum pede terram percuſſiſſet, verſum ex Epigonis ferunt dixiſſe: Audisne haec Amphiarae ſub terram abdite.* Manibus pulſat terram Althaea apud HOMERUM, *Iliad. IX, 564.* cujus verba ab Obſervatore Britanno producta non repetam. At Medea apud VALER. FLACCUM VII, 312. plane, ut apud noſtrum Oedipus:

— — *pulſat humum, manibusque immurmurat uncis,*
Noctis heram Ditemque ciens.

Objicit A. in *Obſerv. Miſcell. l. c.* Oedipum non potuiſſe manibus pulſare terram, niſi jacentem. Stantem vero eum deſcribi a poeta, quod dicatur vacuos orbes coelo oſtentaſſe. At vero haec fruſtra ſumuntur. In tota narratione poetae nihil impedit, quo minus credamus, proſtratum eum confectumque moerore jacuiſſe in terra, unde vultu paullo erecto vacuos orbes oſtentare coelo, & manibus pulſare terram facile potuit. Contra dicitur & hoc, *terram* vel *ſolum* non *inane* dici, quia ſub iis Tartara, ſed Tartara ipſa vocari inania.

inania. Neque vero ipſe hoc volo, verbis *inane ſolum* indicari terram, ſed contendo, ipſa Tartara pulſata h. e. rogata, invocata dici, manibus quidem terram pulſantibus, quod ſub terra ubique Tartara eſſe credebantur. Certe vix poteſt alius eorum verborum ſenſus admitti, quod ritus ille terram pulſandi, in precationibus inferorum perpetuo obſervatus, hic non videtur a poeta omitti potuiſſe. Denique ut omnem dubitationem eximamus, ipſe poeta ſe explicet, qui alio loco Oedipum dicit in carcere ſuo Ditem & Furias, ut hic *inane ſolum*, pulſaſſe, *Theb. lib. VIII, 240. ſeqq.*

Tum primum ad coetus, ſociaeque ad foedera menſae
Semper inaſpectum, diraque in ſede latentem
Oedipodem exiſſe ferunt. — — —
— — — *cunctos auditque, refertque,*
Qui Ditem & Furias tantum, & ſi quando regentem
Antigonem, moeſtis ſolitus pulſare querelis.

I. v. 103. *Centum illi ſtantes umbrabant ora ceraſtae,*
Turba minor diri capitis: ſedet intus abactis
Ferrea lux oculis.

In *codice Helmſtad.* lego *vibrabant ora*, quod admodum placet, & de ſerpentibus frequenter dicitur. CLAUDIAN. *laud. Herc.*

Herc. 33. Tristis Tartarea vibratur sibilus aura. Et STATIUS *Theb. V, 508* de serpente: *tumidi stat in ore veneni spuma virens, ter lingua vibrat.* In altero versu malim rescribere *diro capiti*, & distinguere post *sedet*, ut *sedet* respondeat praecedenti *stantes.* Majores cerastae stabant in fronte vibrantes ora sua, alii minores residebant in diro capite. Ad eundem modum HORATIUS Carm. II, 20. *residunt cruribus asperae pelles.*

I. v. 197. *At Jovis imperiis rapidi super atria coeli*
Lectus concilio divum convenerat ordo
Interiore polo. Spatiis hinc omnia juxta
Primaeque occiduaeque domus, effusa sub omni
Terra atque unda die.

Obscurum & forte mendosum hunc locum esse, BARTHII, qui variis modis tentavit, fluctuatio ostendit. Caeteri fere non attigerunt. Nec *MSti* aliquid juvant, leviter tantum in quibusdam verbis variantes. Mihi videbatur commoda emergere sententia, si v. 199 pro *omnia* legatur *numina*, & distinctio ante *effusa* tollatur. Deorum Consentium & lectorum concilium in secretiore parte coeli conveniebat. *Juxta* erant, suis quaeque *spatiis*, *numina orientalis occidentalisque partis*, *hinc* ab interiore polo quasi *effusa*, tanquam innumerabilis turba & undanti multitudine, nempe terra atque unda sub omni die, h. e.

h. e. terrae marisque Dii minores ex omni regione. *Effusa* hoc loco fic dictum videtur, ut apud CLAUDIANUM de conf. Mall. v. 46. *populis undare penates*, & infra Theb. II, 213:

— — diffuderat Argos
Exspectata dies: laeto regalia coetu
Atria complentur.

I. v. 201. — — *mediis sese arduus infert*
Ipse Deis.

Codex MStus BARTHII & alius auctoris *Observ. Miscell.* praeferebat *Ipse Deus*, quod perelegans est. Nam haud raro gentiles Jovem κατ' ἐξοχὴν Deum vocant, atque additum *Ipse* honoris appellatio est, qua summus omnium, vel dominus reliquorum, indicatur. Idque Graeci Romanique observant. Ut in lingua sancta הוּ *Ipse* pro Deo aut Christo absolute ponitur, sic apud Graecos honoris appellatio est Ἀυτὸς. Haec pluribus exemplis firmat CASAUBONUS ad *Theophr. Charact. cap. 2.* περὶ κολακείας (s). Sic CALPURNIUS *Ecl. IV*, 47. Caro Imper. Jovis honorem tribuens: *Non IPSE daret mihi forsitan aurem, IPSE DEUS vacuam.* Et *Ecl. I*, 84. *Scilicet ipse Deus Romanae pondera molis Fortibus excipiet inconcussa sic lacertis.*

I. v. 227.

(s) Adde, si lubet, ELSNER ad 1 *Joh. I*, 6. 8. VRIEMOET *annot. ad dicta class. V. T. Tom. I, p.* 118. Servi sic de dominis. Vid. *Obs. crit. Vol. IV. p.* 119.
F. St.

I. v. 227. *Mens cunctis imposta manet.*
Obſcura eſt ſententia hujus loci, in quo expedire ſe non poteſt BERNARTIUS. BARTHIUS in ſuo codice hoc gloſſema invenit: *imposta*, *deceptoria*, *improba*. Et in Helmſt. *imposta*, *vitiata ad decipiendum*. Sed haec nauci ſunt. Mihi PAPINIUS videtur aut *impostus* novo ſenſu accepiſſe pro incompoſito, inquieto, emoto, furioſo, quemadmodum e contrario *compostus* & *repostus* ſedatum, quietum notare poteſt; aut, quod BARTHIO placet, impoſta mens eſt quaſi impreſſa, indita, injecta. Manet, inquit Jupiter, iſtius generis hominibus mens illa furioſa & emota, quae a principio fuit. Nam furiarum ejus & ſcelerum poſtea feriem commemorat.

I. v. 229. — — *mala gaudia matrum*
Erroresque feros nemorum, & reticenda Deorum
Crimina?

Illud *nemorum*, quod ſuperfluum & inconcinnum videtur, mutare malim in *memorem*. Sic bene reſpondent ſequentia:

— — *Vix noctis ſpatio, vix lucis abactae*
Enumerare queam mores, gentemque profanam.

I. v. 439. — — *neque enim meus audeat iſtas*
Civis in usque manus.

Elliptice locutum eſſe STATIUM exiſtimo, intellecto *venire*. *Venire in manus*, proba locutio, notat cominus pugnam conferere,

re, idque pluribus locis declaravit GRONOVIUS & DRAKENBORCHIUS ad Liv. lib. II. c. 46. Lectio codicis Taurin. *inire manus* vix probabilis. Dubitandum enim, an *ire in manus* dici possit, ut *ire in arma, enses. Istas manus* igitur interpretor tales pugnas. Si cui displiceat *istas*, possit scriptum putare *istac*, sc. ratione.

I. v. 485. *Illius in speciem, quem per Theumesia Tempe*
Amphitryoniades fractum juvenilibus armis,
Ante Cleonaei vestitur proelia monstri.

Quidam codices legunt *juvenilibus annis*, sed meliores editiones & membranae BARTHII: *armis*, recte, modo non *arma* sed *armi* h. e. lacerti intelligantur. Sola enim lacertorum vi, non armis, leonem fregit Hercules, ritu antiquissimae rudisque aetatis, quae usum armorum in venando ignorabat. GRATIUS Cyneg. v. 2.

— — prius omnis in armis
Spes fuit, & nuda silvas virtute movebant.

I. v. 652. *— — — an illud*
Lene magis cordi, quod desolata domorum
Tecta vides?

GRONOVIUS hoc loco scribit: *an illud, Leve, magis cordi?* hoc sensu: *An mavis, o leve, desolare domos innocentes.* Et sane pestilentia ab Apolline immissa paullo ante v. 634.

v. 634. *levus ab aethere ignis*, & v. 647, *tabes sinistri poli* appellabatur: atque infra noster, *Junoniaque arva dexter ames.* Nec tamen hoc pro allocutione Apollinis satis aptum videtur, & si quid mutari deberet, gravius & congruentius huic loco putarem *saeve*, quod paullo ante praecesserat, *& saevo tanta inclementia coelo est.* At omnino nihil mutandum puto, & *illud lene* exprimit ἀγανὰ βέλη tela *mitia* & *placida*, quibus Apollo apud HOMERUM ferire homines dicitur, qui morbo aliquo acuto, qualis maxime est pestilentia, moriuntur. Vid. HOMER. Odyss. V, 123. XV, 409.

I, v. 700: *Seu Trojam Thymbraeus habes, ubi fama volentem*
Ingratis Phrygios humeris subiisse molares.

Offendit aliquos τὸ *ingratis*, & BARTHIUS inversionem epitheti statuit, & poetam ingratos molares dicere voluisse. Sed hoc remedio non opus est. Ingratus non solum est injucundus & qui nullam gratiam refert, sed etiam, cui nulla refertur. Ingratis humeris subibat molares Apollo, quod nullam laboris mercedem accipiebat. Vidit hoc Scholiastes vetus: *Tu non fuisti remuneratus ab isto Laumedonte.* Et scholion cod. Helmst. *Ingratis, quibus non redditae sunt gratiae.* Hoc sensu CLAUDIANUS lib. II. in Eutrop. 191: *Ille iter ingratum, vanos deflere labores.* Vid. SERV. ad Virg. Aen. II, 101.

Lib. II, v. 213. — — — *Diffuderat Argos*
Exſpectata dies, laeto regalia coetu
Atria complentur.

Diffuderat BARTHIUS interpretatur *hilares effecerat*, & minus recte huc trahit, quod ſaepe *diffuſi vino* dicuntur. Propius vero eſt, *effecerat, ut domibus ſuis effuſi diſcurrerent per urbem, & in regiam convenirent.* Huic convenit, quod paullo poſt dicitur v. 223: *foribus cum immiſſa ſuperbis Unda fremit vulgi.*

II, v. 418: — — *ceu ſepta novus jam moenia laxet*
Foſſor, & hoſtiles inimicent claſſica turmas.

Novus hoc loco ineptum eſſe putat BARTHIUS, & ex codice ſuo *nocens* reponit, reclamantibus cunctis editis. Sed vulgatum *novus* loco movere nolim, modo id recte capiatur. *Novus* non ſolum eſt improviſus & incognitus, ſed & ultimus, & praegreſſis major, praeſtantior, efficacior. HORAT. II, Od. 15: *Deorum templa novo decorare ſaxo*, ubi *novum ſaxum* opponitur ceſpiti, qui anteceſſerat, fortuito. Jam *foſſor novus* recte dici poteſt, qui poſt alias machinas & inſtrumenta capiendae urbis, actis cuniculis, ultimam & efficaciſſimam capiendae mox urbi vim infert. Hoc ſcilicet vult Etheocles: Vis mecum paciſci, & tamen hoſtiliter agis, quaſi jam dirutis muris claſſicum caneretur invadendae capiendaeque urbi, victisque nobis leges imponendae eſſent. Hoc volebant Romani, quando obſeſſis hoſtibus pacem promittere ſolebant ea conditione, ſi prius ſe dederent, quam aries murum attigiſſet. Hoc

enim

enim facto nullus conditionibus locus, & victis ultima experienda erant. Vid. CAESAR Gall. II, cap. 32.

II, v. 556. - - *& abscissis infringens cautibus uncas Exsuperat juga dira manus.*

Infringens positum pro *infigens* vel *impingens*, sed his gravius est. Nam *infringere* notat ea vi applicare vel infigere manus, ut paene frangantur. Sic usus est Achilleid. lib. I, 574 de Achille Deidamiae lyrae carmina monstrante: *Ducitque*] *manum*, *digitosque sonanti Infringit citharae.*

II, v. 671: *Tardatique gradus, clypeum nec sustinet umbo Mutatum spoliis.*

Locus hic male vexatus est diversis recentiorum, praesertim BARTHII, interpretamentis, quibus perlectis nondum assecutus sum, ut intelligere videar. Possum tamen affirmare, pensitatis omnibus, quae in hunc locum scripta sunt, neminem meliora vidisse LACTANTIO, quem isti deseruerunt. Recte LACTANTIUS: *Hic umbonem pro humero posuit aut pro manu*, idque jam probavit LIPSIUS de milit. III, 2. Ab umbone, quae media & edita pars est clypei, ipse cubitus, quo sustinetur & protenditur clypeus, umbo vocatus est, quod & ipsa haec pars media brachii projecta & incurva est, & a clypei umbone tegitur. De brachio sane intelligendus MARTIALIS lib. III, ep. 46:

In turbam incideris, cunctos umbone repellet.

Ubi quidem de cubito hominis togati sermo

G 2 est,

eſt, qui umbo appellari commode poterat, quod in eo pars togae reſidebat, quae brachio elevata multas plicas & veluti orbem efficiebat, atque ipſa *umbo* vocabatur. PERS. Sat. V, 33. TERTULL. de pall. cap. 5. Sed ſimpliciter etiam & ſine tali reſpectu brachium appellari umbonem, hic STATII locus, ſi quid judico, aperte probat. Magis adhuc in verbis *Mutatum ſpoliis* ſe torquent interpretes, quorum ſententias hoc loco omnes adducere grave eſt. BARTHIUS primo emendans e codice ſuo reſcribit; *clypeum non ſuſtinet. Umbo mutatur ſpoliis.* Deinde mutatum umbonem vel clypeum, poſt alia interpretamenta, eſſe dicit eum, qui per inhaerentia tela, quibus hoſtem ejus ope ſpoliaverit, perfoſſus & laceratus jam non defendat virum, ſed gravet. Vir doctus, qui in *Obſerv. Miſcell.* hunc locum attingit, primo *nudatum* ſcribit, & *ſpoliis* intelligit de pellibus ferarum, quibus clypei inducti erant, atque adeo *nudatum ſpoliis* dicit eſſe umbonem, multis telis ita perfoſſum, ut pellibus ruptis & avulſis nudae crates, quibus clypeus contextus eſt, appareant. Multo planius & facilius haec explicat, ſimulque veram hujus loci lectionem indicat LACTANTIUS. Quem ſi ſecuti eſſent, aut recte cepiſſent docti viri, non tam contortas & a mente poetae alienas ſententias dediſſent. Ille ad verba *mutatum ſpoliis* ſubjicit: *Theronis ſcilicet, cujus clypeum cum perfodiſſet, acceperat.* Reſpicere poetam arbitratur ad ſuperiorem narrationem verſu 580. ſeqq: *Mox*

Mox in plana lubens, nudo ne pectore tela
Inciderent, saltu praeceps desertur, & orbem,
Quem procul oppresso vidit Therone volutum,
Corripuit.

Igitur *mutatum* LACTANTIUS exponit *quem acceperat.* Inde manifestum est, licet id minus observatum ab aliis, scholiasten hunc legisse *mutuatum spoliis*, h. e. quem Tydeus, Theronem a se oppressum spoliando, mutuo acceperat ab hoste. Atque hanc verissimam puto esse PAPINII lectionem & sententiam. *Mutuatum* eodem modo extulit, quo *pituita* HORATIUS Epist. I, 1. ult. Caeterum *perfodisset* in verbis LACTANTII mendo laborare videtur. Neque enim perfossum Theronis clypeum, sed integrum acceperat Tydeus. Fortasse scripsit: *cujus clypeum cum procul vidisset*, ex versu 582, vel *cum pessum isset*, aut *pessum sidisset* Theron, ex versu 567:

Fractaque commixto siderunt corpora ferro.

Nam *pessum sidere* corpora, cum concidunt, dixit LUCANUS III, 674:

— — — *sidentia pessum*
Corpora caesa tenent, spoliantque cadavera ferro.

Lib. III, v. 61. — — *Seu, quod pudet ire fateri,*
Vis invicta viri.

Ore fateri vetustiores editiones habent; *ira fateri* in plerisque manuscriptis esse dicit GRONOVIUS. Et sic habet quoque Helmst. superscripto *ore.* Sed *ire fateri* in quibusdam scriptis ab Anglo Observatore repertum omnino optimum & aptissimum est. *Ire* cum alio

alio verbo conjunctum bene exprimit lentam aggressionem rei, quam inviti facimus. Sic noster infra lib. III, 626:

- - Vobis ventura, atque omne quod ultra est
Pandere moestus eo.

III, v. 163: *Sed mortem obscuram, numerandaque funera passi.*

Miserandaque funera exhibent vulgati libri, testante BARTHIO, & in his Gryphiana editio a. 1559, quae ad manus est. Id fortasse ex antiqua correctione est. Nam scripti, (ut & Helmst.) magna conspiratione *numerandaque*, & sic legit LACTANTIUS. Exquisitius hoc a STATIO dictum, neque loco movendum puto. *Numeranda* funera sunt ignobilia, in quibus tantum turba & numerus agnoscitur, non nota aliqua aut factum insigne, ut HORATIUS Epist. I, 2, 27, ignobile vulgus, turbam sine virtute & dignitate numerum dixit: *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.* Quin & Graeci ἀριθμὸν dicunt hominem ignavum & imbellem. Sic enim apud EURIPIDEM in Heraclidis v. 997 Eurystheus ad Alcmenam:

Ἐιδὼς μὲν ὀυκ ἀριθμὸν, ἀλλ' ἐτητύμως
Ἄνδρ' ὄντα τὸν σὸν παῖδα.

Sciens non numerum sed vere virum esse tuum filium. Nescio an huc trahenda contrariae vocis *innumerus* significatio Theb. IV, 153:

Dat tamen haec juvenum ter centum pectora, vulgus
Innumerum bello.

Videtur dicere vulgus nobile bello & forte, cujus

cujus non numerus, exiguus nempe, ſpe-ctandus ſit, ſed virtus. Vetera ſcholia BAR-THII: *qui valeant pro innumero alio milite.*

III, v. 283: — *Quid me Tyrio ſociare marito*
Progeniem caram, infauſtiſque dabas
Hymenaeis.

Dabas me ſociare progeniem marito h. e. jubebas, ſaltem permittebas. Sic infra Theb. IV, 622:

Tunc ego te optata vetitam transmittere
Lethen
Puppe dabo.

Lib. IV, v. 353: — *Hic aegra in ſorte parentem*
Unanimum, hic dulces primaevae conjugis
annos
Ingemit, & gremio miſeros accreſcere natos.

Si codices addicerent, hic reponerem parentem *Exanimum*, vel *Semianimum*, h. e. qui aeger & ſenex vix animam trahit, orbatus praeſidio filii. Concordia, quam ſignificat unanimus, non tam inter parentes & liberos celebrari ſolet, quam inter aequales, fratres, conjuges, familiares. Et exſpectat hic lector epitheton, quod parentem deſignet deſtitutum, deſolatum, orbatum, aegritudine affectum, filio in bellum profecto.

IV, v. 626: *Cur tibi verſanti manes, aequaeve*
ſacerdos,
Lectus ego augurio? tantisque potiſ-
ſimus umbris,
Qui ventura loquar?

Hic legendum exiſtimem *tantiſne potiſſimus.* Egone tibi „e tot umbris potiſſimus videor, qui

qui ventura loquar? Prior interrogatio voce *augurio* absoluta est, &, si per sequens *tantuque* continuatur, nimium languet pro affectu indignantis Laji.

IV, v. 686: — *Argolicos paulum mihi fontibus amnes,*
Stagnaque, & errantes obducite pulvere rivos.

Fontibus hic plane abundare videtur. In Gryphiana editione reperio *sontibus*, quod quidem sensum satis commodum parit: amnes & rivos pulvere obducite sontibus, ut sontes illi, qui cladem inferre parant genti meae, aquarum penuria laborent; sed concurrentibus sic duobus diversae personae dativis *mihi sontibus*, quod inconcinnum est, malim mutare *mihi* & rescribere *Argolicos cum fontibus amnes.* Pro *errantes* quoque magis placet *arentes*, quod quidam libri habent.

IV, v. 695: — — *nocturnaque furta licentum*
Cornipedum, & cupidas Faunorum arcebo rapinas.

Cornipedum habent omnes, quos vidi. Sed *capripedum* nomine cum fere perpetuo notentur Satyri, nescio an hoc potius ponendum sit.

IV, v. 697: — *Ast illis tenuior percurrere visus*
Ora situs, viridisque comis exhorruit humor.

Plerique veteres libri, ipseque LACTANTIUS, legunt *ast illi*, & ad Bacchum referunt, parum commode, quibus & BARTHIUM assentire miror. Sermo est de Nymphis, quae parere se dictis Bacchi, & subducere

cere humorem fontibus, ipso ore suo & capillis inarescentibus, produnt. Et optima exemplaria habent: *Ast illis tenuis.* Tenuior, quod in binis libris invenit GRONOVIUS, nescio cur praeferre tot aliis auctoritatibus debeamus. *Tenuis situs* est squalor aridae & macilentae faciei, ut supra v. 512 *tenues annos* senium dixit corpus attenuans, & lib. VI, v. 196: *Obnubit tenuia ora comis.* Denique illud *comis exhorruit humor* plane ἀσύςατον & ineptum puto. Significare vult poeta, Nymphas capillis suis signum dedisse arescentium aquarum, flagrante tum sole & medio die. Ad quam rem quid faciat *exhorruit?* Itaque scripsisse PAPINIUM puto *exaruit humor* vel *extorruit* ab extorresco, quod verbum fortasse dandum STATIO hujus auctoritate loci est.

Lib. V, v. 106: — — *Si taedet inanes*
Aeternum servare domos, turpemque juventae
Flore situm, & longis steriles in luctibus annos.

Flore hoc loco otiosum & vitiosum esse, ejusque loco verbum *ferre* aut aliud simile requiri, prius mihi videbatur, quam scholia BERNARTII inspicerem, qui *ferre situm* agnoscere *codicem Lips.* & editionem principem affirmat. Et sic etiam *codex Helmst.* Unde mirum est illud *flore* irrepere in omnes editiones, quarum copia est, potuisse.

V, v. 135: — — — *Nec imago quietis*
Vana meae, nudo stabat Venus ense, videri
Clara mihi, somnosque super.

Somnos super BERNARTIUS putat ea ratione dictum,

dictum, qua *super coenam*, & notare *inter dormiendum.* At hoc jam dixerat poeta *imaginem quietis* vocans. Hic significat, plus quam somnum fuisse illam imaginem, & Venerem sibi magis claram apparuisse, quam fieri in somnis solet. Sic TACITUS Hist. III, 48: *res super vota fluentes* dixit, h. e. magis fluentes, quam votis expetere licuit.

V, v. 389: — — — *dat operta fragorem*
Pinus, & abjunctis regemunt tabulata cavernis.

Erat, quum *abiegnis* legendum putarem pro *abjunctis.* Nam ex abiete factam Argo navem, versus Ennii apud Ciceronem de Nat. Deor. III, 30. probat:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna in terram trabes.

Nunc tamen nihil moveo, quod video jam Lactantium legisse *abjunctis.*

Lib. VI, v. 201: — — *ferat haec quae dignior umbra est.*

Putabam scriptum PAPINIO vel scribendum fuisse *quae dignior ara est.* Nam quem crinem Lycurgus Jovi se libaturum ante aras & templa ejus voverat, hunc, voti non damnatus, nunc alii arae imponendum, nempe pyrae filii, censet. Pyras enim ipse poeta versu 119 vocaverat *aras*, nec umbram filii opponere Jovi ulla cum dignitate potuit. Omnes tamen libri habent *umbra.*

VI, v. 213. *Tunc septem numero turmas, (centenus ubique*
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenae reges. Pa-

Parum justa ratione GRONOVIUS *urget eques* vetustiorum exemplarium lectioni *surgit eques* praetulit. *Urget* quod ubique vim & impetum significat, parum convenit huic loco, *surgit* magis aptum est, quod notat e longinquo exoritur, vel apparet. Sic LUCANUS lib. IX, 945:

Jamque procul rarae nemorum se tollere frondes,
Surgere congesto non culta mapalia culmo.

VI, v. 217: *Ter curvos urgere sinus.* - -

Nescio, quo casu vel vitio GRONOVIUS, & qui hunc semper sequitur VEENHUSIUS, dederint *urgere*, cum *MS. Helmstad.* & tres vetustiores editiones, quae ad manus sunt, *egere* habeant, quod & multo rectius est.

VI, v. 387: *Ipse olim in terris, coelo vestigia durant,*
Claraque per Zephyros etiamnum semita lucet.

Mira ἐνεργεία summam celeritatem, qua Dii in terram veniunt, exprimit. Dudum stat in terris Apollo, dum vestigia descendentis adhuc coelo cernuntur. Sic animae vel spiritus volatum e terra in coelum describit STATIUS lib. X, 781:

Ast illum amplexae Pietas Virtusque ferebant
Leniter ad terras corpus, jam spiritus olim
Ante Jovem, & summis apicem sibi poscit in astris.

Sic fere descensum Minervae pingit HOMERUS Odyss. I, 102:

Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀΐξασα.
Στῆ δ' Ἰθάκης ἐνὶ δήμῳ, ἐπὶ προθύροις Ὀδυσῆος

Descen-

Descendit autem ab Olympi verticibus festinans,
Stetitque Ithacae in populo ad vestibulum Ulyssis.

VI, v. 496: *Anguicomam monstri effigiem, saevissima visu*
Ora movet, sive ille Erebo, seu finxit in astu
Temporis.

Obscurissima haec sunt, *seu finxit in astu temporis*, quae miror nec antiquum Scholiasten, nec BERNARTIUM aut GRONOVIUM attigisse. Nec quicquam opis ab antiquis vel scriptis exemplaribus. Nulla variatione omnes sic legunt. Videor tamen mihi a conjectura medelam afferre posse, si levi mutatione legam *in actu temporis*. Phoebus monstri anguicomi horrendam effigiem extollit, quod in dubio relinquit poeta an ille Erebo evocaverit, an ipso eo tempore, quo haec agebantur, finxerit ad terrendos equos Polynicis, ut dominum curru excuterent. Meliora exsculpere non possum, quamquam latere aliquid putem, quod nondum satis exploratum habeam. Fortasse *astu* pro graeco ἄϛυ, urbs, accipiendum est, ut fecit Sextus Pomp. v. *Astus*, & per *astu temporis* intelligenda extrema & prima hujus orbis ora, ubi Sol prodire, & tempora demonstrare & dividere incipit. Extrema enim omnia hujus orbis Κρόνῳ Saturno, quasi χρόνῳ, attribuere solebant, imo & urbes a Saturno appellatas ibi collocare, quia etiam Saturnus planeta omnium extremus est, quae vero ultra

ultra eum sunt, Erebum vel Tartarum vocare. Vid. VOSS. *de Idol. II, c. 34. p. 487.* Certe Oceanum, qui extremum orbem ambit, Cronium appellat ORPHEUS, Argon. v. 1079. & PINDARUS ad Oceanum & beatorum insulas Κρόνου τύρσιν, turrem vel urbem Saturni, dicit esse. Olymp. B. p. 98. Sed haec amplius judicanda relinquo.

VI, v. 663: — — *Concessit caetera pubes*
Sponte, & adorato rediit ingloria disco.

In certamine Nemeaeo Hippomedon discum magni ponderis proponit, in quo vires suas experiantur. Soli cum Hippomedonte certare audent Phlegyas & Menestheus: *concessit caetera pubes* cet. Hic notatum diligentius ab interpretibus velim insignem usum verbi *adorare.* Hoc enim significat cum reverentia vel honore dimittere, quod excellentius & majus, quam pro merito nostro, putamus. Sic infra lib. VIII, v. 283. Thiodamas, sacerdotio post Amphiaraum admovendus:

— — *oblatas frondes submissus adorat,*
Seque oneri negat esse parem, cogique meretur.

Pariter de Nerone SUETON. cap. 12: *Orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi, recepit, citharae autem, a judicibus ad se delatam, adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit.* Propterea elegantissime FLORUS lib. II, 6, 46. Hannibalem dicit *Urbem tantum non adoratam reliquisse.* Nempe accedebat ad Urbem, sed reve-

reverentia & quodam horrore ejus perculsus, quasi superiorem armis suis & inviolabilem putaret, conversus, & vidisse contentus, abiit.

VI, v. 744: *Ipse Deus posuitque manus, & brachia finxit,*
Materiam (suadebat amor) tunc saepe locavit
Cominus, & simili stantem miratus in ira
Sustulit exultans, nudumque ad pectora pressit.

Narrat poeta Alcidamanta a Polluce doctum & exercitatum palaestra esse. *Materiam* autem, quae hic dicitur, quo referant, & quomodo explicent, vix inveniunt interpretes, nec satisfaciunt, quae hoc loco vetus Scholiastes & GRONOVIUS monent. Suspicor materiam pro *sude* vel *palo* hic accipiendam, & poetam hoc velle, Pollucem cominus palum collocasse, ut in illo feriendo modum & rationem pugnae Alcidamanti monstraret, neve ille, si secum pugnaret, caestu nimium laederetur, (hoc suadebat amor.) Quo pacto cum saepius miratus esset, Alcidamanta, hoc imitatum, simili ira stare & in palum invadere, prae gaudio eam sustulit & amplexus est. Antiquis morem fuisse exercendi tirones ad palum, testis est VEGETIUS lib. I, cap. 11: *Contra palum*, inquit, *tiro cum crate & clava se exercebat - - ut nunc quasi caput aut faciem peteret - - accederet, recederet, assultaret, insiliret, & quasi praesentem adversarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte*

arte tentaret. Quemadmodum hic cominus, ſic eminus praeſtitutum palum feriunt miſſilibus infra v. 932:

- - - *ingentem tractu transmittere circum*
Eminus, & dictae dare vulnera destinat orno.

Ex hoc ritu fortaſſe poeta ipſum Alcidamanta vocavit materiam, quem locabat adverſum ſe, vel conſiſtere jubebat, ut pugnaret ſecum. Nam adverſarium, quocum pugnes, *materiam pugnae* vocare, non indignum poeta judico.

Lib. VII, 75: - - *Ipſi reverentia patri,*
Si prope ſit, dematque minas, nec talia mandet.

Sit dirimendum a *prope* puto, & referendum ad *reverentia*, hoc ſenſu: Ipſum patrem Jovem reverentia incederet, horrido aſpectu Martis, ſi prope eſſet, vel forte occurreret, ita ut demeret minas e mandatis, quae Mercurio ad Martem abſens dederat.

VII, v. 801: - - *Exciderunt irae, nutantia figunt*
Tela ſolo, dubiasque vagi nituntur in haſtas
Cominus, inque vicem viſo pallore recedunt.

Non nego, ſenſum hic habere poſſe verba *viſo pallore*, nempe poſtquam utrinque viderant ſe metu expalleſcere. At narrationis contextus videtur requirere *verſa tellure.* Primo tellus inferno murmure inhorret, idque putant belli fragorem eſſe, & jam conferre gradum cum hoſte incipiunt. Sed inſequitur alius tremor, viros & equos inclinans, quo conſternati & nutantes ſuſtinere ſe haſtis laborant, & nutu terrae jam ita promoti, ut cominus adſtent, rurſus verſa tellure

lure & recedente resultant, hoc est, *inque vicem versa tellure recedunt.*

Lib. VIII, v. 292: - - *visusque sibi nec sceptra capaci*
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Proprie quidem puer regius dicitur nondum implere tiaram patris, sed obtinet hic simul translata & elegans significatio, qua *implere* saepe idem est ac dignum esse, parem esse, decere, decus afferre. PLINIUS maxime eo verbo sic usus est. Lib. VII. Epist. 24, 9: *Laetor, quod domus aliquando C. Cassii serviet domino non minori. Implebit enim illam Quadratus meus, & decebit.* Paneg. cap. 50, 6: *Illud nunquam nisi Caesaris suburbanum licemur, emimus, implemus* i. e. digni illo judicamur. Conf. Epist. VIII, 13, 1. Paneg. cap. 15, 4. Addo illa FLORI lib. II, 14, 3: *Regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit.* Vid. etiam Stat. Sylv. V, 2, 45.

VIII, v. 481: *Nec minus Herculeum contra vagus Haemona ducit*
Sanguis.

Vagum sanguinem solita audacia PAPINIUS dixit pro ardore sanguinis a vago Hercule ducti. *Vagus* enim solitum elogium Herculis. Ipse infra v. 513:

- - *duris famulus cum casibus omnes*
Lustro vagus terras.

Et HORATIUS Od. III, 3: *Hac arte Pollux & vagus Hercules* cet. In ipso, quem modo adduxi, versu STATII, nescio quam exile videtur, quod Hercules *duris famulus casibus* dici-

dicitur. Omnino legendum puto *duris famulus cum jussibus*, intellige Eurysthei. Innumeri sunt poetarum loci, quibus Hercules, famulari se Eurystheo, & dura ejus imperia & jussa pati, conqueritur, quos hic recensere nolo.

Lib. IX, v. 148: *Sed memor Elysii regis, noxasque retexens Tydeos.*

GRONOVIUS *τὸ retexere* hic locum non habere dicit, quod semper sit dissolvere, infectum atque irritum reddere. Itaque ex scriptis mavult *noxasque recensens*. At omnino rectum h. l. est *retexens*; idque saepe significat a principio repetere, recensere, enarrare. Hoc sensu usus est RUTILIUS NUMANT. Itin. I, v. 295:

Inter castrorum vestigia sermo retexit
Sardoam, Lepido praecipitante, fugam.

Quae retexuntur, horum etiam tenuia stamina sic dissoluta cognoscuntur, ut singula appareant. Itaque & hoc respectu *retexere* notare potest subtiliter adeo quaerere & percensere.

IX, v. 218: *Audisse, accensumque putes hoc fulmine raptum*
Abstulit, & similes minus indignatur habenas.

Post *putes* distinguendum existimo, & deinde legendum *ceu fulmine raptum.* Neque enim videri potest poeta exhortationes Hippomedontis, quod quidem LACTANTIUS vult, fulmini comparasse. Sed hoc potius dicit: Audisse & accensus dictis videbatur equus, &

Hippomedonta tergo exceptum, ea velocitate, quae est fulminis, abstulit.

IX, v. 338: *Adjuvat unda fidem, pelago nec discolor amnis.*

Non assecutus est acumen poetae LACTANTIUS, qui *discolor* exponit *non dissimilis mari multarum incremento aquarum.* Narrat poeta Crenaeum per flumen ire, clypeumque tenere, in quo insigne Europae, per mare juvenco vectae, caelatum erat. Inde pergit: *pelago non discolor amnis*, i. e. non dissimilis erat pelago, quod Europam tulerat. Amnis pari fide Crenaeum ferebat, ac quondam pelagus Europam, atque ille, Europam in clypeo gestans, pariter ire cum illa, & similes per undas, videbatur.

Lib. X, v. 306: - - - *Huic languida cervix*
In laevum cogente Deo, mediaque jacebant
Colla relicta lyra.

GRONOVIUS hic rescribi vult *colla reclina*, & in Diatribe p. 346. *colla relapsa*, & ipsa verba sic accipit, in media lyra, capiti supposita, colla jacuisse reclinata. Sed hic sensus alienus a mente poetae, nec omnino quicquam mutandum in verbis videtur: *Media lyra* sunt ablativi absoluti. Languida cervix in laevum & *colla relicta jacebant*, h. e. eo situ, quo ea somnus oppresserat, *media lyra*, ita ut lyra media esset, vel ad medium corporis latus jaceret. Lyra enim cecinerat ante somnum, & ut statim subjicit, adhuc pulsanti similis & fila tangens, interficiebatur.

X, v. 841:

X, v. 841: *Innumerosque gradus, gemina latus arbore clusus*
Acrium sibi portat iter.

Apparet, esse hic paraphrasin scalarum, quas Capaneus fert, moenibus Thebarum admoturus. Sed ut plena & plana sit ea descriptio, necessario legendum puto *clausos* pro *clausus*. Neque enim clausus scalis incedebat Capaneus, sed gradus scalarum gemina arbore utrinque clausos ferebat.

Lib. XI, v. 427: *Ipse quidem regnis multum, & venerabilis aevo,*
Sed quid apud tales, quis nec sua pignora curae?
Alternos tamen ille rogat.

GRONOVIUS asserit, omnes fere codices habere aut *Alternos* aut *Externos*, atque illud prius probat & recipit. Sed antiquiores editiones *Exter honos* dederunt, sicut & PRISCIANUS lib. III. sub init. legit; aliae, in quibus & meae, *Extet honos* habent. Praeterea quidam libri *Sed quis* praeferunt, & *non sua*. Manifestum est e prisca lectione, quam PRISCIANUS agnovit, correctione recentiorum, quibus insolentius videbatur *Exter*, factum esse *extet honos* & *externos*, ex hoc denique *Alternos*. Sed sententia & contextum orationis poscit, ut retineatur priscum illud *Exter honos* hoc modo:

Sed quid apud tales, queis nec sua pignora curae,
Exter honos? tamen ille rogat.

Adrastus quidem satis venerabilis esse debebat regni & senii sui caussa; sed quid extranei

 honos

honos valeat apud tales, qui ne pignorum quidem suorum curam habuerunt. Sic STATIUS alio loco externum opponit cognato, Sylv. V, 2, 51:

Disce puer, nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministret
Laus animos.

XI, v. 496: - - *Dejectam in lumina pallam*
Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti.

Pietatem dicit a Tisiphone expulsam fugisse, obducta vel opposita oculis palla, ut de oblata sibi injuria apud Jovem quereretur. Haec quidem non satis considerate dicuntur a poeta, qui Pietatem paullo ante convicia ingerentem Jovi induxerat v. 462; notetur tamen antiquus lugentium vel supplicum ritus, veste vultum obnubendi. VALER. FLACCUS Argon. lib. I, v. 132: *Illa sedet dejecta in lumina palla.* & conf. Theb. XII, 469. Hinc illustrandus est Petri plorantis habitus Marc. XIV, 72. καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, i. e. dejecta in lumina veste, vel obnupto capite ploravit. Quod & aliis Graecorum locis firmari potest (*t*).

Lib. XII, v. 423: *Seu discessuros servaverat Eumenis ignes.*

Discessuros hic primus ex antiquo codice protulit GRONOVIUS, quod tamen nescio cur praeferri debeat τῷ *dissensuros*, quod omnes editi, quos vidi, habent, & ipse LACTANTIUS agnoscit.

XII,

(*t*) Conf. ELSNER *Comment. crit. ad h. l.*

XII, v. 489: *Moestarumque super libamina serta comarum.*

Necessario legendum puto *secta comarum.* Neque enim usquam me legere memini, haec libamina crinium conserta fuisse Conf. Sylv. III, 4, 90. & Theb. VI, 195. seqq.

XII, v. 529: *Ipsae autem nondum trepidae, sexumque fatentur,*
Nec vulgare gemunt.

GRONOVIUS dedit *sexumque fat.* Nescio qua ratione inductus. Omnes tamen antiquiores habent *sexumve*, quod multo rectius puto, & sententiarum consecutio requirit. Amazones, quamvis victae, nondum trepidae videbantur, vel ullo modo sexus sui infirmitatem prodere, nec gemebant adeo, quod alias mulieribus vulgare est.

XII, v. 750: *Transiit hasta duos: stiebat vulnera nec non*
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.

Antiquiores editiones habebant *faciebat vulnera*, sed BERNARTIUS ex *Msptis* reposuit *stiebat*: sic porro CRUCEUS edidit, idque omnino rectius & spiritu PAPINII dignius videtur. Proximo his versu omnia exemplaria exhibent *clamore fremendo*, quod non intelligo, nec Grammaticis placitum esse puto, quamvis ex hoc loco receptum in lexica. Suspicor scriptum a STATIO fuisse *tremendo.*

EX ACHILLEIDE.

Lib. I, v. 99: *Ter conata manu, liquidum ter gressibus aequor*
Reppulit, et niveas feriunt vada Thessala plantas.

Exprimit celerem Deorum progreſſum, qui paucis paſſibus magna ſpatia transmittunt, & fortaſſe imitari Homerum voluit, qui Neptuni ad Achivos venientis velocitatem ſic deſcribit Iliad. XIII, 20:

Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰὼν, τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ.

Ter quidem protendit greſſum, quarto autem pervenit ad locum.

Lib. I, v. 448: *Rupibus expoſitis, longique crepidine dorſi*
Euboicum ſcandens Aulis mare.

Putaverim hic legendum eſſe *ſcindens mare*. Nam crepidine & rupibus in mare porrectis illud dividit. Niſi forte eo reſpexit, quod mare ſaepe *altum* dicitur.

Lib. II, v. 19: - - - *Sociosque reſumere pontum*
Imperat, & remis Zephyros ſupplere cadentes.

Mendoſa eſſe haec verba *reſumere pontum* & ſenſu carere, nemo paullo attentior negabit. Si forte velis *retundere* vel *refringere pontum* legere, parum hoc ipſum juvabit, & longius aberrabit a veſtigiis ſcripturae. Vetus liber meus in membrana ſcriptus leviter variat: tantum *ſocios* mutat in *ſocio*. Maturantius *portum* legit, ſed nec ipſe ſatis intelligit, quid ſit reſumere portum. Hic certe locum non habet, & Ulyſſes cum ſociis non e portu veniebat, eo regreſſurus, ſed ex alto contendere ad inſulam cupiebat. Certiorem medelam afferri puto, ſi legatur *contum*. Conto i. e. ſude vel pertica ferro praefixa navis regitur & impellitur. SENECA Herc. fur. v. 768:

v. 768: *Regit ipſe conto portitor longo ratem.* Conto ſimul & remis utebantur deficientibus ventis, vel adverſo flumine, quale ſaepe eſſe ſolet ex alto in portum tendentibus. PLINIUS Epiſt. VIII, 8. de Clitumno amne: *Aegerrime remis contisque ſuperatur adverſus.* Idem hoc loco vult poeta. Antea navigantes, Ulyſſes cum ſociis, ſecundis utebantur Zephyris: *it pelago ſecura ratis* verſ. 9, 10. Itaque contum & remos, quibus opus non erat, repoſuerant tranſtris. Sed cum Scyron adnavigarent, Ulyſſes cupidus & feſtinans, ſive cauſſa adverſae & repellentis undae, ſive quod Zephyri remittere videbantur, jubet ſocios reſumere contum, & Zephyros ſupplere remis. Sic ſententia manifeſta.

Lib. II, v. 106; *Saltem ſi ſoboles, aptam quam mittere bello.*
Nunc ipſi viresque meas, cet.

Gronovius verſiculum, qui antiquioribus in exemplaribus, CRUCEI etiam, hic inſertus legebatur, tanquam inficetum & inſulſum expunxit:

Poſſem, plena forent mihi gaudia, namque juvarem.
Nunc ipſi cet.

Et recte feciſſe GRONOVIUM, duorum MStorum, qui praeſto ſunt, diſſenſus probat, quorum alter iſtum verſum habet, ſed in ſcholiis adjectis non explicat, alter in charta exaratus plane omittit. Sed ut hanc laciniam adderent quidam, adducti ſunt ſuperio-

ſuperioris verſus vitio, qui, uti olim legebatur, tam abruptus & hiulcus eſt, ut vix ſenſum admittere, niſi pluribus verbis additis, videatur. Cauſſam obſcuritatis eſſe in corrupta voce *aptam*, jam vetus Scholiaſtes declaravit, qui in explicatione ita fluctuat, ut in dubio relinquat, *aptum* an *aptam* legi oporteat. Ego neutrum verum eſſe puto, & ſententiam verſus optime declarari arbitror, ſi voce leviter mutata legatur *optem*, tum vero *ſi* accipiatur pro *utinam*, quod ſupra adfuit, vel *o ſi*, & *quam* pro *quantum* vel *quantopere*. Supra dixit Lycomedes verſu 102, utinam mihi fortior aetas, qualis olim, eſſet, libenter vobiſcum in bellum proficiſcerer. Nunc ſubjiciit: O ſi ſaltem ſoboles mihi maſcula ſit, quam velim eam in bellum mittere:

Nunc ipſi viresque meas, & cara videtis
Pignora.

h. e. nunc ipſi videtis, me ſenio impediri, nec alia me pignora habere, niſi filias. Fortaſſe magis placeat, ſi *quam* accipiatur pro *aliquam*, & diſtinctione paullo mutata ſic conſtituatur ſenſus: Saltem, ſi ſoboles maſcula mihi ſit, optem aliquam mittere bello.

MUSEUM CRITICUM

CONTINENS PRAESERTIM

VARIAS

LECTIONES

OBSERVATIONES ET DIS-
SERTATIONES

AD

AUCTORES VETERES GRAECOS ET
LATINOS

Voluminis primi Fasciculus secundus.

COLLEGIT ET EDIDIT

D. FERDINANDUS STOSCH.

LEMGOVIAE,
in Officina Meyeriana MDCCLXXIV.

VIRO
MAXIME VENERANDO DOCTISSIMO
ET LONGE CELEBERRIMO JUGALI
ANTEHAC SUO ET AMICISSIMO ET
AESTIMATISSIMO

BENJAMINO DANIELI VILELMO SCHULTZIO

IN REGIO GYMNASIO JOACHIMICO BEROLINENSI
PHILOLOGIAE PROFESSORI ORDINARIO ET
REGIORUM ALUMNORUM EPHORO

ALTERUM HUNC
MUSEI CRITICI FASCICULUM
IN
PERPETUI AMORIS CULTUSVE
TESSERAM
L. M. Q. D. D. D.
IPSIQUE ET DOMUI ILLIUS HONORA-
TISSIMAE

DEUM ΣΩΤΗΡΑ

EX ANIMO ADPRECATUR
FERDINANDUS STOSCH.



VI.

FRAGMENTUM *) DISSERTATIONIS

V. C.

PAULLI ERNESTI JABLONSKI

DUM VIVERET THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS ORDINARII IN ACADEMIA REGIA VIADRINA etc.

DE

SANCTIS QUIBUSDAM INCOGNITIS AB ECCLESIA ROMANA CULTIS, IIS VERO ETHNICIS.

I.

In *breviario* & in *missali Romano*, sanctis quibusdam, iis vero plane incognitis, diem XIX Januarii festum adsignatum esse legi-

 mus;

---

*) *Fragmentum* voco, uti est. Non enim integrum ex germanica, qua conscriptum erat, lingua in latinam

mus; uti & in *canone missae*, quem ecclesia Romana ad hanc diem praescribit, diserta eorundem mentio fit. In *breviario* sancti isti sic nominantur indicanturve, *d. XIX Jan. Marii, Marthae, Audifacis & Abachum martyrum.* Aliquanto fusius de putatiis his sanctis exponit *martyrologium Romanum*, his verbis: *D. XIX Jan. Romae via Cornelia sanctorum martyrum*, MARII & MARTHAE *conjugum, & filiorum*, AUDIFACIS & ABACHUM, *nobilium Persarum, qui Romam temporibus Claudii principis ad orationem venerant.* Post quae describuntur martyrium & mors, quae religionem Christianam confessi subierunt. Equidem religiosissimos oportet fuisse sanctos hos homines, qui tam longum *ad orationem*, ex Persia ad Romam, susceperint iter. Crederes ferme, Persas istos Christianos, magos, contribules suos, olim ad Christum adorandum venientes imitari, &, quum Christus ipse in terris non amplius esset, vicario saltem ejus Romae id honoris tribuere voluisse, ut illum inviserent, adorarent, adlatisve muneribus venerarentur. Devo-

---

nam transtuli schediasma; sed, theologicis aliisve omissis, ea tantum avelli, quae critices amantibus lectu praecipue jucunda existimabam. Caeterum conscripserat illud vir beatus, ut regio obtemperaret jussui, quo Professores Francofurtani ad talia, suo quisque ordine, ita dictis *intelligentiis Berolinensibus* inserenda obstringebantur: (Vid. *Europa erud. Tom. XI. p.* 589.) Idque anno MDCCXXXVIII. Quo tempore, quum interdum me, domestico suo, a manu uteretur: exemplum in meos usus descripsi. *F. St.*

Devota ejusmodi mens, eaque Christianorum praesertim orientalium, & quidem primis Christianismi temporibus, seculo nimirum tertio, sedi Romanae non potest profecto! non longe esse gratissima, & videri honorificentissima. Verum, nescio quo infeliciore fato, quae singularem quidem plane, sed veteri ecclesiae incognitam hanc comitantur historiam, ita sunt comparata, ut ipsa semet refutent falsique condemnent; nec hodie quisquam sit, aut esse queat in rebus illius temporis ecclesiasticis paullisper versatus, qui adeo illepidam insulsamque fabulam obtrudere sibi patiatur. Certe meritissimus de historia ecclesiae & de chronologia ordinis Franciscanorum frater, FRANCISCUS ANTONIUS PAGI, (in *crit. ad annales* BARONII *in A. C. CCLXVIII. num. VI & VII. & in an. CCLXIX. num. II.*) ingenue id profiteri non est veritus. Sunt ergo manentque boni hi Persae mortales prorsus incogniti; doctique ex pontificiis, quales sint, quidve de iis statuendum sit, sciunt cum ignarissimis. Quod quum certum exploratumve & in confesso existimem: ei non immoror; sed pergam aliquantisper & personatos istos Persas ex ignotis superis bene notos reddam mortales. Detracta persona, cujus generis sancti sint, & quis illis debeatur cultus, unusquisque facile judicabit.

II.

Fallor ego vehementer; aut isti in Romana ecclesia superis adscripti & omnino culti homines, MARIUS, MARTHA, AUDIFAX & ABACHUM, non alii fuerunt, atque occoecati idololatrae ethnicique vitiis sceleribusve turpissimis infames. Juncta hic *Marii & Marthae* nomina primam mihi meae, quam quidem adeo certam esse puto, ut vix quidquam certius esse queat, ansam dederunt conjecturae. Quis haec juncta legerit aut fando dicere audiverit nomina? cui non celebratissimus Romanorum imperator, (vulgo ita dictus triumvir) *Marius*, ejusque pellex, *Martha*, in mentem statim venerint. Quoniam tamen *Martha* ista longe minus nota est compluribus, quam *Marius*: quae PLUTARCHUS (*in vita Marii p. 414 fin. 415.*) memoriae de illa mandavit, primum adferre non gravabor. Narrat nempe, MARIUM (sic enim Graeca paullo liberius vertere liceat) *fatidicam quandam Syriam in lectica magna cum veneratione per exercitum secum circumvehere solitum fuisse, sacrificiaque & ceremonias ad illius leges peragere. — Sacrificia quum essent peragenda: purpureo, purpura quoque subdita, indutam fuisse pallio cinguloque constricta talari; manu vero perticam* (seu *virgam*) *tenuisse fasciis coronisve ornatam.* Ex antiquis scriptoribus FRONTINUS quoque (*Strategem. L. I. cap. XI. §. XII.*) hanc Marii comitem, presso licet ejus nomine, commemorat,

morat. *C. Marius sagam quandam ex Scythia habuit, a qua se dimicationum eventus praedi∫cere simulabat.* Complura, quae TENNULIUS in *notis suis* adfert, *manuscripta* legunt: *ex Syria.* Neque dubium est, quin vera haec sit lectio, & FRONTINUS *Martham Syriam* dicere voluerit; uti & *Martham* Syriaco — Judaicum nomen femininum fuisse, satis constat.

III.

SPONII si recte se habet observatio: (*voy. Tom. I. p. 17.*) Arausione in arcu triumphali *Marii* adhuc superstite saga haec *Martha* cernitur uno aurem tangens digito. Et in egregia illius arcus, quam celeberrimus MONTEFALCONIUS (*antiquités expliquées Tom. IV. P. I. p. 170.*) exhibuit tabula, adparet omnino superius imago pectus ejusmodi feminae repraesentans, scissis ac volitantibus veluti capillis, eaque, qua sagae pingi solent, forma. Ex quibus satis superque patere arbitror, *Marium* in publicis quoque monimentis, fatidicam hanc sibi jungere mulierem comitem, honori sibi duxisse.

IV.

Diffiteri quidem nec volo, nec possum, laudatum MONTEFALCONIUM communi opinioni, quod arcus iste triumphalis ad *Marium* pertineat, id opponere, quod in illo ancorae, navium partes & alia rei

navalis monimenta conspicienda dentur; unde colligendum sit, arcum hunc in memoriam tum terrestris, tum navalis proelii exstructum esse; id quod autem *Marii* victoriis non conveniat. Enimvero quid impedit, quo minus statuamus, monimenta ista navalia celeberrimam illam fossam respicere, quam imperator iste ante victoriam de Teutonibus reportatam ex mari mediterraneo in Rhodanum, magno castrorum Romanorum totiusque regionis commodo, ducendam curaverat; quaeve postea in ejus memoriam *fossae Marianae* nomen tulit. (*Videris* PLUTARCHUM *l. c. p.* 414. STRABONEM *Geogr. Lib. IV. p.* 127. ibique *notas* CASAUBONI.) Quisquis caeterum ea, quae & SPONIUS & ipse MONTEFALCONIUS de hoc arcu meminerunt, attente consideraverit: quin vera sit vulgaris de illo sententia, dubitandi nullam inveniet rationem.

V.

Detexissem ergo MARIUM ejusque conjugem, MARTHAM. Quid vero jam de duobus reliquis nominibus, AUDIFAX & ABACHUM, statuendum erit? Haeccine fortassis Persiae suam deberent originem? Me quidem judice; nihil minus quam istud: sed Germaniae potius nostrae. Quod ut demonstrem, idem ille arcus *Marianus* inservire mihi poterit. Hic scilicet in hono-

rem

rem *Marii* erectus fuerat & in duarum victoriarum praeclarissimarum memoriam, quarum alteram prope *Aquas Sextias* de *Ambronibus* & *Teutonibus*, alteram ad *Vercellas* de *Cimbris* retulerat. Priore victoria feliciter parta regem quoque horum populorum, *Teutobochum*, in manus traditum accepit; cujus, ut is *Mario* constaret honor, in aliquoties dicto arcu, nomen diserte expressum fuit. Audiamus, quae doctissimus MONTEFALCONIUS ea de re commentatur. (*l. c. p. 170.*) JOSEPHUS DE PISA, inquit, in *historia* sua *Arausionensi* anno MDCXXXIX edita, testis est, in arcu triumphali in latere occidentali, ubi tropaea captivique oculis sese offerunt, diu antea unum ex istis captivis decidisse, simulque lapidem infra sub hujus captivi signo positum quadraginta circiter annos, antequam suum conscriberet librum, delapsum fuisse, in quo nomen TEUTOBOCHUS legi potuerit; idque regis fuisse nomen, ait; additque, patrem suum hunc vidisse lapidem, dictumque in illo legisse nomen. Quibus scriptis, ille quidem judicat: quod si haec ita sese habeant, nomen Teutonicum esse potuisse. Ego vero imaginem, qualem ipse exhibuit, oculis animoque contuens, videor mihi supra statim in fronte figuram videre captivi in genua prolapsi seque victori reddentis. Etiam Romae duo adhuc ostenduntur *Marii* tropaea, in quorum uno vir juvenis captivus, manibus in

 tergo

tergo ligatis, conspicitur. (ANDR. FULVIO *antichita di Roma L. II. p. 57. 58.* MARLIANUS *topogr. urbis Romae L. IV. cap. 15.*) Quem eundem hunc *Teutobochum* esse putem. Equidem sunt, qui dubitare velint, utrum haec vulgo ita dicta *Marii tropaea* ad magnum illum imperatorem pertineant universa. Verum ea perpendentibus, quae OLAUS BORRICHIUS in *antiqua Romae facie cap. VII.* & MONTEFALCONIUS in *diar. Ital. p. 108. 109.* de hac re adnotaverunt, dubium omne, ut puto, facile tolletur. Ast nec omittendum mihi est, veteres etiam historicos hujus *Teutobochi* facere mentionem. PLUTARCHUS quidem regum Teutonum a *Mario* devictorum, presso eorum nomine, meminit (in *vita Marii p. 419.*) Sed nomen ipsum *Teutobochi* occurrit apud FLORUM *L. III. cap. 3.* Quare, quando in EUTROPIO id nominis *Teutobodus*, in OROSIO autem & in *Chronico* EUSEBII *Teutomodus* exhibetur: in hisce non minus *Teutobochus* legendum esse, dubium vix cuiquam esse poterit; licet magnus SCALIGER EUSEBII sui lectionem tueri mallet.

VI.

Quisquis jam hactenus observata bene perpenderit, atque in re critica mediocriter tantum versatus fuerit: is non difficulter sibi persuadebit, vocabulum ABACHUM in *breviario* & in *martyrologio*, nihil aliud,

ac

ac mutilatum esse TEUTOBOCHUM. Quippe, in *Marii* rerum gestarum monimentis omnibus, *Martham* ejus & *Teutobochum* quoque commemorari, in confesso est. Hos autem eadem hic ratione, in colendos licet sanctos mire transformatos, junctos videmus. Utrum AUDIFAX cum ABACHUM sit conjungendum, & utrumque ex nomine TEUTOBOCHUS depravatum sit? an vero AUDIFAX, AUDIFACEM dicat & ad *Martham* pertineat, atque *vatem* aut aliud quid ex arte fatidica denotet? nunc non inquiro; uti & alia quaedam, quae observari adhuc possent, lubens omitto.

VII.

Unum autem adhuc mihi monendum esse arbitror. Scilicet, in quibusdam horum sanctorum *actis* sepulturae honor iis non concessus fuisse legitur. *Quorum corpora jussit incendi, ne sepulturam haberent.* (*Acta MSS.* in *biblioth. Vatic.* apud ANT. BOSIUM in *Roma subterranea L. II. cap. XIV.*) Atque & hoc *Marii* fatis omnino convenit. Quum enim, post ejus obitum, *C. Sylla*, unus omnium praecipuus ejus & perpetuus adversarius hostisve, Romam rediisset; ibique rerum, pro arbitrio, potiretur: odio & vindictae cupidine incensus, hosti ne sepulturam quidem ut concederet, impetrare a se potuit; testibus CICERONE *de legibus L. II.*

cap.

cap. XXII. VALERIO MAXIMO *memorab. L. IX. cap. II.* PLINIO *hist. nat. L. VII. cap. LIV;* sed ossa ejus effodi & in praeterfluentem *Anienem* projici, metuens vero, ne idem sibi accideret, cadaver suum cremari, testamento jussit; quum genti Corneliae reliquae in more esset positum, cadavera suorum non cremanda, sed sepelienda curare.

VIII.

Ea itaque in haeresi me esse profiteor, veterem aliquam edaci rerum tempore hinc inde comesam maleque intellectam inscriptionem Romanam confingendae *Marii, Marthae* & *Abachum* historiae occasionem dedisse; quae posthac a mendaci *martyrologorum* & *Luegendariorum* genere, ut istud solebat, additis variis figmentis fuerit aucta. Si quid non sine causa conjicere licet: JULIUS CAESAR, siquidem, narrante SUETONIO in *vita Caes. cap. XI.* diruta a *Sylla Marii* tropaea restituit: hujus memoriam inscriptione aliqua honorare voluit. *Veronae* ante aliquod tempus ejusmodi honori *Marii* dicata cernebatur inscriptio; quam tamen SPONIUS in *itinerar. Tom. II. p. 286.* commentitiam esse existimat. Interim genuina inscriptio a superstitiosis reperta Christianis depravata jam haud parum & lectu difficilior esse, ab illis vero, ut barbara ferebant secula, ob notum ex sacro codice in ecclesia *Marthae* nomen, quae Christianos nominaret, censeri

feri potuit. Certe convictum me sentio, MARIUM, MARTHAM, ABACHUM & AUDIFAX, iis accensendos esse sanctis, de quibus MABILLONIUS in egregia *de cultu sanctorum incognitorum dissertatione* scribere non dubitavit.

VII.

J. D. v. H.

VINDICIAE MINUTIANEAE,

QUIBUS ETIAM ALIORUM VETERUM AUCTORUM LOCA VEL VINDICANTUR, VEL EMENDANTUR.

Cum elegantissimi Dialogi *M.* MINUTII FELICIS, *Octavius* dicti, unicus tantum in orbe adhuc superet Codex MStus: non equidem mirandum, tot viros doctos & in re litteraria fere principes, tum nostri, tum etiam praeteriti seculi, in eo emendando limandoque ingenium exercuisse, nunc feliciter, nunc satis temere. Hos inter posteriores eminet doctiss. HEUMANNUS, qui unice ingenio fisus, in MINUTIO aeque ac aliis auctoribus finxit refinxitque plane pro lubitu, quae minus erant ad palatum;

latum; caſtigatus ideo a cl. MENCKENIO & aliis in MISCELL. LIPSIENSIBUS NOVIS, aliisque ſcriptis. Sed iidem nec omnia vindicarunt, nec ipſi manus abſtinuerunt, quo minus, dum altera ſanabant, viciſſim altera vulnerarent. En exempla!

Cap. I. *diſcedens vir eximius & ſanctus:* dubitat poſt alios LINDNERUS, an *diſcedere* ſimpliciter dicatur pro *mori.* Neſcivitne ergo, Romanos ſedulo triſtia & inauſpicata cavere verba & *μειωσιν* in his amare. Sic Cyrus apud CICERON. *de Senectute c. 22. Nolite, ait, arbitrari, o mihi cariſſimi filii, me cum a vobis* diſceſſero, *nusquam, aut nullum fore.* — *Abeunt enim illuc omnia, unde orta ſunt, animus autem ſolus, nec cum adeſt, nec cum* diſcedit, *apparet.* Nihil etiam frequentius, quam *abire* pro *mori*, ut certatim monuerunt alii. Unicum addam exemplum LUCRETII, ſed ut eadem opera emendarem, niſi & hoc jam noviſſimi editores LUCRETII occupaſſent. Sic autem ille *Lib. II. verſ. 857. & ſeq.* in noſtris:

Nam quare potius leti jam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conjecta *mente reverti,*
Quam quo decurſum jam ſiet, ire & abire.

Lege: *converſa mente*, pro *conjecta*, vel *collecta.* Quae enim disjecta non ſunt, non colliguntur, aut conjiciuntur: ſed qui disceſſere, converſa mente revertuntur. Et quoties Graeci *απελθειν*, *υπαγειν*, & ſimilia de

de morte adhibent? DIOGENES *Laert. L. II. c. 7. §. 4. p. 244.* ex *Comico:*

Απηλθ' εχων Δημοσθενους την ςωβοςωμυ-
λη θραν
Abiit Demosthenis habens volubilitatem.

Et *L. VII. c. 5.* §. *4. p. m. 837.* Cleanthes ait: Καγω απιεναι βουλομαι. Adde CHARITON. *L. V. c. 10. p. 96.* & WESSELING in *Symbol. Brem. T. III. p. 329.* nec non WOLF. HEUMAN. & KYPKE ad *Matth. XXVI. 24.* & *Actor. XXII. 22.* & STOSCH ad *Jud. vs. 11.* Nihilque frequentius, quam quod haec synonymica verba: *discedere* & *decedere* permutentur. Vide ex. gr. PLINII *Epist. p. m. 443.* ibique. Negari tamen nequit, *discedere* pro *mori simpliciter* rarius occurrere, frequentius vero de animo adhiberi. Sic CICERO *Tuscul. I. 8. Sunt qui* discessum animi *a corpore putent esse mortem*; & ibidem: *qui* discedere animum *censent, alii statim dissipari* &c. sic & Graeci dicere amant: εξιεναι του βιȣ, & εξ ανθρωπων εξελθειν, quae formae tamen minus probant, quam erat probandum. Quod vero hic mortem, non absentiam, velit, ex sequentibus satis, ni fallor, patet. Ideo enim addit: *&* *sanctus.* Mortuos enim hoc cumprimis elogio ornant. VIRGIL. *Aen. X. 158.* ibique SERVIUS. SALLUSTIUS *L. II. Fragm. p. m. 57. Apud veteres & sanctos viros.* PLINIUS *L. II. Epist. 9. Nam pater ei Euricius clarus, vir sanctus, antiquus, disertus.* Conf.

adden-

addenda ad Claudianum editionis BURM. *p. 1015. col. I.* Et ſic quidem meliores, ut noſter: at ſequiores etiam de vivis & praeſentibus adhibuerunt. Vide ex. gr. MARTIAL. *L. IV. Epigr. II.* CLAUDIAN. *de Bello Gildon. v. 354.* LACTANTIUM *de Mort. Perſ. c. 18. §. 10.* ibique *Cellarium.*

Idem praeterea ex proxime praecedentibus colligitur, quando ſcripſit: *non ea, quae jam transacta & decurſa ſunt, recordatione revocare.* Et haec enim de mortuis adhibentur. LUCRETIUS *Lib. III. v. 1055:*

Ipſe Epicurus obit, decurſo lumine vitae.

Quem locum jam occupavit *Cellarius*, immo & Lexica, ſed nullus ſanavit. Num recte dicitur: *decurrere lumen vitae?* Non puto. Recte quidem & eleganter idem LUCRETIUS ſupra dixit: *& vitae cum lumen adimus:* aſt *decurrere lumen vitae*, apud probatae Latinitatis auctorem reperiri, dubito. Lege ergo:

Decurſo tramite vitae.

Mallem tamen, ſi ſimile exemplum ſuccurreret:

Decurſo limite vitae (*).

quia propius abeſt a recepta lectione.

Et quid, quaeſo! frequentius, quam quod vitam hominum nunc *viam*, nunc *curſum*, tam Graeci, quam Latini dixerint. Quae cum ita ſint, vix capio, qui Viri docti adeo

(*) Quid? ſi: DECUSSO *lumine*?

adeo nauſeent noſtrorum περιπατεῖν & πορεύεσθαι, pro *vivere*, de quibus videſis Virum, dum viveret, in republica aeque Litteraria, ac Eccleſia principem, JAC. ELSNERUM ad *Actor. IX. 2.* &, ſi tanti, *Manipulum noſtrorum II. p. 135 & 136.* Sed redeamus ad MINUTIUM, qui ſi abſentem, non mortuum, voluiſſet, nunquam in praeterito ſcripſiſſet: *utpote quum & ipſe tanto noſtri SEMPER amore flagraverit.* In quibus primo obſervamus formam *& ipſe*, qua maxime δεικτικῶς de una eademque perſona uti amant, ut diximus ad illa EUTROPII *L. I. c. 8. parens ET IPSE Tarquinii*, in *Spicil. Antiq. Rom. adjecto p. 95.* Octavius vero SEMPER, abſens & praeſens, quam diu vixit. (Hinc etiam infra pergit: *Itaque cum per univerſam convictus noſtri & familiaritatis aetatem mea cogitatio volveretur;* quibus itidem non exiguum vitae & praeſentiae ſpatium ſignificatur.) Minutii amore ita flagraverat, *ut & in ludicris, & ſeriis pari cum eo voluntate concineret, eadem velle, vel nolle.* Ubi nihil neceſſe eſt, ut praepoſitionem *in* cum HEUMANNO repetamus. Non enim ſecundi tertiive tantum ſeculi ſcriptores eam negligunt, ſed optimi quique; vel quando cum unico nomine conſtrui debuiſſet, vel quando plura cumulantur, nec propoſitio repetitur. Sic omittitur paſſim a VIRGILIO *Aen. III. vſ. 16.*

— — & littore curvo
Moenia prima loco. mox vſ. 22.
— — quo cornea ſummo.

ibique SERVIUS & *vs. 147.*

Nox erat, & terris animalia somnus habebat.

pro *in terris.* & *vs. 220.*

Laeta boum campis armenta videmus.

pro *in campis.* & *L. VI. vs. 71.*

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.

pro *in regnis.* Coll. *L. I. vs. 712.* ibique SERV. Noli vero, licentiam esse poëticam, credere. Communis est omnibus loquendi forma. Sic VITRUVIUS, plus semel a nobis laudatus, *L. VI. c. 1. Ita divina mens*, ait, *civitatem populi Romani egregiam temperatamque regionem collocavit.* Ubi cave quid mutes cum V. D. *Variarum Lect. L. I. c. 9. p. 82.* Sed videsis de hac frequentissima ellipsi, ante quartum aeque ac quintum casum, doct. DRAKENBORG. ad *Livii IX. c. 32.* & CORTIUM ad CICER. *L. I. Ep. 9. n. 77.* & *L. II. Epist. I. n. 2.* & *Epist. 7. n. 6.* & ad PLINII *L. VIII. Epist. II. n. 2.* Quid? quod saepius haec praepositio, ut alia monosyllaba, contra codices intrusa est, tam in graecis, quam latinis libris. De graecis vid. L. BOS *de Ellips.* & PALAIRET. ad *Matth. XXIII. 14.* & *XXVI. 4.* Nihil ergo necesse erat, ut SYLBURGIUS eandem praepositionem PAEANIO invito obtruderet. *L. I. c. 8.* EUTROPII. De latinis conf. *Campensia nostra Fasc. II. p. 125* & *134.* nec non *Fasc. IV. Veros. p. 77.* quosque ibidem laudavimus. Multo vero minus eandem ubique repetere necesse est,

quan-

quando plura vel ſynonyma, vel antitheta conjunguntur. Unicum ſufficiat exemplum LIVII *L. XXXIV. c. 7. in coloniis, municipibusque — quid in gratulationibus, ſupplicationibusque — in manu & tutela.* Adde CLAUDIAN. *in IV. Coſ. Honorii vſ. 207. & VI. Conſ. Hon. vſ. 432 & 423.* Plura infra ad *c. XIV. §. 8.* Caeterum *in ludicris & ſeriis* tota conficitur vita, ut probe monuit cl. GRONOVIUS. In ſequentibus vero: *eadem velle vel nolle*; multum deſudant Critici. SABAEUS, HERALDUS, ELMENHORSTIUS & CELLARIUS exhibent: *eadem vellet, vel nollet*; queis accedit V. D. in *Miſcell. Critic. novis Vol. X. p. 11.* nec non MENCKENIUS in *Miſc. Lipſ. novis Vol. V. p. 734.* Sed dubito, num e codice, & ex uſu. WOPKENSIUS fluctuat, & nunc gloſſema eſſe cenſet; nunc illorum lectionem comprobat. HEUMANNUS denique ſuo more, copulam addit: *& eadem* v. v. v. n. Sed quae plana & perſpicua ſunt, non facile a librariis corrumpuntur: quae vero minus aſſequuntur, ea refingere ſolent. Cum itaque RIGALTIUS aperte teſtetur, reliquis muſſitantibus, vetus exemplar habere: *eadem velle, vel nolle*: paroemiam eſſe cenſemus, ſatis celebratam; quam propterea non integram expreſſit, quia integra paſſim occurrit. Videatur SALLUSTIUS in *B. C. c. XX.* quique ibidem & hic certatim a commentatoribus laudantur. Uti ergo priore paroemia totam hominis vitam circumſcripſit, de qua

videſis SALLUST. *in Jugurt. c. XCVII.* & PLINIUM *L. II. Epiſt. 13.* §. *5.* ibique interpretes: ſic hoc amicitiam veram & arctiſſimam ſignificat. Sin haec non faciant ſatis, vide: num omiſſum pronomen: *ſe*, vel addendum, vel ſubintelligendum ſit. Nam uti librarii in terminationibus raro errarunt: ſic viciſſim in Monoſyllabis vel intrudendis, vel omittendis frequentiſſime peccant. Pergit noſter: *Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe etc.* Hic iterum mirus eſt Interpretum conflictus de hoc loco conſtituendo, quem maxima ex parte vide apud LINDNERUM. Sed & hic mire hunc locum diſtinguit, legitque: *Sic ſolus in amoribus, conſcius ipſe, ſocius in erroribus etc.* Quibus, quid velit, vix invenio. Nec felicius STRUCHTMEYERUS, *ſecundus*, ſive *minor*, in *Animadv. Crit. L. I. c. XI.* legere jubet: *Sic ſolus in amoribus conſcius, ipſis ſocius in erroribus, — non refugit comitem etc.* Temere ni fallor. Denique Vir quidam ampliſſimus aeque ac doctiſſimus maluit: *ſic ſolus in* moribus *conſcius etc.* Non equidem incommode: ſed praeter neceſſitatem. Non enim ſi quid rectius, plenius, elegantius invenimus: id ſtatim in auctoribus ſubſtituere licet. Haec equidem κακοζηλία infinita loca praeter neceſſitatem, immo contra codicum conſenſum, corrupit. Nam ſi per *mores* intelligas: virtutes, ſive actiones legibus, vel ſcriptis, vel non ſcriptis, conformes: eccur ille SOLUS *conſcius* dica-

dicatur, non promtum eſt dicere. Sin per *mores* ſeculum intelligatur, nihil differt ab amoribus. Acquieſcimus ergo in lectione Codicis, & diſtinctione cl. GRONOVII, *ſecundi*, quam etiam probavit ampl. MENCKENIUS *l. c.* quique etiam ſubſtantivum *conſcius* egregie vindicavit loco *Ciceronis* valde idoneo, *L. I. ad Attic. Epiſt. 18.* Adde *in Verrem IV. c. 64. Ipſi illi tui convivae, conſiliarii, conſcii, ſocii*; & *Legem 19. tit. VIII. Lib. XVI. C. Theod.* Miror equidem ſubſtantivum *conſcius* etiam offendiſſe ſummos Viros, TORRENTIUM & CASAUBONUM ad SUETONII *Domit. c. 10.* Antequam vero hunc locum dimitterem, non potui, quin ſuſpicionem & leniſſimam emendationem doctiorum judicio permitterem. Mallem equidem, ſi unquam Codex addiceret, pro: *Sic*; quod frigidiuſculum, legere: *Hic* ſolus in amoribus conſcius, *ipſe* ſocius in erroribus etc. Minime enim audiendus eſt MENCKENIUS, qui *l. c.* illud: *ſolus*, quod in primo membro legitur, in ſecundo membro ante *ſocius* tacite repetendum cenſuit. Qui enim fingi poteſt, hunc ſolum in caligine errorum ſocium fuiſſe Felicis? Aſt in amoribus non multos conſcios habere ſolent.

Sed ſatis de his. Pergamus ad alium locum aeque vexatum, *Cap. III. §. 2. Cum hoc ſermone ejus medium ſpatium civitatis emenſi etc.* Quantas hic turbas cient vel principes critico-

ticorum? DAVISIUS ſatis ſevere vocem: *civitatis* delendam cenſuit; HEUMANNUS paullo mitior, mutavit in: *itineris*; MENCKENIUS, ne nihil opis attuliſſe videretur, addit: *viae & itineris*; quia longior eſt vox *civitatis*, quam *itineris*; quaſi haec non aeque quatuor ſyllabis conſtet, ac illa; aut ſi litteras numeres, HEUMANNUS unam aufert, MENCKENIUS quatuor addit. Heu quantum eſt in rebus criticis inane! Caeteri interpretantur vel de medio ſpatio Romam inter & Oſtiam, ut WOPKENSIUS ſatis infeliciter; uti probe monuit LINDNERUS. Alius V. D. in *Miſcell. Obſ. Crit. Vol. X. p. 13.* haec de ſpatio medio inter Oſtiam & mare capienda eſſe cenſuit, probante LINDNERO. Sed, qui hoc dici poſſit medium *civitatis* ſpatium, idque ſatis latine? fateor, me ſcire cum ignariſſimis. Aliud eſt medium ſpatium urbis, aliud extra urbem, mare inter & urbem. Mihi itaque *medium ſpatium civitatis* idem eſt, ac *media civitas*, urbs, *midden door de Stadt* (*). VIRGIL. *Aen. II. 360. Mediaeque tenemus urbis iter; & Aen. VI. 588. Mediaeque per Elidis urbem.* OVID. *Faſt. IV.*

Urbis per medias exululata vias.

i. e. per vias, quae mediam urbem ſecabant. Nec eſt, quod objicias, mediam civitatem emenſos, nondum liberum litus tenuiſſe, ſed campos & agros nactos fuiſſe. Immo

---

(*) Mallem V. C. *Eine Strecke mitten in der Stadt*, ſive *mitten durch die Stadt.* F. St.

Immo vero Oſtia civitas olim *ſupra mare* erat condita. EUTROP. *I. c. 5.* Sin haec nimium premas verba, vel medium itineris & viae ſpatium emenſi, nondum liberum litus tenebant, ſed adhuc in campis & agris haeſere. Sic *medium iter tenebat* Aeneas, qui vix litus reliquerat, *Aen. V. vſ. 1 & 2. Medium viae ſpatium evolverat.* Martinus, ſecundum SULPITIUM SEV. *Dial. II. c. 3.* & *Aurelianus interfectus eſt in itineris medio.* EUTROP. *IX. c. 9.* Medium utique & finis differunt. Vel igitur *civitatis*, aut *itineris* omnino tollendum: vel ita, ut fecimus, haec interpretari oportet. Quid, quod *litus* etiam dici potuit ultima Tiberis ripa, mari proxima, ad quam Oſtia ſita erat. de qua litoris ſignificatione vid. doct. DUCKER. ad *Flor. IV. c. 11.* § 7. Num haec denique mens BARTHII fuerit, quem laudat LINDNERUS? non habeo dicere; quippe *Adverſaria* ejus nobis non ſunt ad manus.

Ipſum dialogum ſi evolvamus, innumera in caſtiſſimum MINUTIUM commiſiſſe ſtupra Criticos ſingulis ferme in paginis reperimus. Quem enim non offendit duriuſcula illa forma *Cap. V. aut ſtuprare religioſum.* F. URSINUS ergo maluit *ſciſcitari*, & ſic in codice Romano legi monuit in editione prima ELMENHORST. (*). SCALIGER tamen:

(*) Haec prima *Elmenhorſtii* editio prodiit Hanoviae, A. 1703. in 8. in qua Minutius Arnobio adjectus eſt: eamque

men: *ruspare* vel *ruspari*; ampl. VONCK. in *Spec. crit. p. 136. superare*; cl. WITHOFIUS, pater, *ad orat. funebr. Loërsii p. 36. suspicari*; HEUMANNUS *scitari permissum, aut scrutari religiosum*; cl. DE RHOER in *Fer. Daventr. p. 229. curare*; doct. KLOTZIUS in *Miscell. Crit. p. 6. disputare*, maluere. Immerito, immo temere. Pleraque enim illa praecedenti verbo *scrutari* continentur, & gravius quid, minusque licitum significare voluit. Lynceus hic fuit LINDNERUS, qui cum hoc loco contulit illud CICERONIS *L. I. ad Attic. Epist. 18.* sed e FABRI *Thes.*; quem etiam videsis in verbo *consluprare*. *Stuprare* hic est non simpliciter *corrumpere*, sed male, temere, perverse sentiendo, judicandoque quasi vim rebus divinis inferre; easque *adulterare*, ut loquitur CICERO in *Laelio*, sive *de amicit. c. 25.* simulatio *tollit judicium veri, idque adulterat.* Minimeque hoc verbum ad ἅπαξ λεγόμενα pertinet. Conf. *Epistol. nostram de vera aetate, dignitate & patria M. Minutii F. ad Ampl.* MEERMANNUM *p. 22.* Totus scilicet Socraticus est Caecilius. Videsis infra *c. XIII.*

Mox pergit: *Homo, & animal omne, quod nascitur, inspiratur, attollitur.* Hoc postremum verbum *attollitur* crucem fixit criticis, eoque

---

eamque vel repetitam, vel collatam esse ab editoribus, valde dubito. In notis vero frequenter provocat ad *Romanum Codicem*, sed procul dubio F. URSINI editionem vult, cum qua hic codex Elmenhorstianus amicissime conspirat.

eoque adegit WOWERUM, ELMENHORSTIUM, CELLARIUM & HEUMANNUM, ut rescripserint: *& alitur*; aut, ut LINDNERUS: *& tollitur* i. e. *moritur*, *necatur*; quod utique non contra *Mſſ. Regium* & editionem principem feciſſent, ſi cogitaſſent, quid hic *attollitur* ſignificet. *Attollere* & ſimplex *tollere* ſcilicet idem ſaepius eſt, ac *alere*, *educare*; ut Lexica docent. De morte vero mox: *in quae rurſus homo dividitur, ſolvitur, diſſipatur.* Ubi tamen mallem: *ſolvitur, dividitur, diſſipatur.* Solvitur animus a corpore, dividitur corpus a vermibus, diſſipatur tandem in cinerem; & mox pro *indice*, vel *judice*, vel *auſpice*, non male forſan: *vindice* reponerem, ſi codex addiceret.

Vix vero concoquere poſſum, quod CRUSIUS, praeceps equidem Criticus, paullo poſt, pro: *fulmina praemicare*, reſcribere maluerit *praecipitare*, & HEUSINGERUS, probante HEUMANNO: *promicare*, cum *praemicare* ſit verbum maxime proprium & nativum in hac re. Non ſolum enim de lucerna paſſim adhibetur, ut cl. MENCKENIUS ad *h. l.* monuit: ſed etiam de luna, ſtellis, & fulminibus. Videſis Lexica, quae exſcribere nolo. Sic etiam ſupra: *emicaret* habet; quod celeritatis verbum eſt. Vide commentatores ad VIRGIL. *Aen. II. vſ. 174. V. 337. & VI. 5.*

Crux porro Criticorum occurrit *Cap. V. §. 2.* de Diis municipibus, quos gentiles colebant,

lebant, ut *Eleusinii Cererem — Galli Mercurium.* Doct. GRONOVIUS, *secundus*, pro: *Eleusinios* maluit: *Hennaeos* legere, tum quia Eleusiniorum haud municeps fuit Dea, quippe quam e Sicilia, vel Creta deducere solent: tum quod gentes majores, aut urbes memorabiles in sequentibus commemorentur, quibus cur Eleusinii anteponantur, nulla ratio esse videtur. At primas Cereri & Eleusiniis dedisse puto, ob summam celebritatem Eleusiniorum sacrorum, apud quos Ceres prae caeteris Diis magna religione colebatur; de qua infra *C. XXI.* ubi MINUTIUS haec Caecilii respicit, ridetque. Nec Epidaurii nobiliores, aut majores, quam Eleusinii, qui tamen hic quoque in censum veniunt. Nec Mercurius magis municeps Gallorum, quam Graecorum, aut Aegyptiorum. Vid. GUNDLINGIANA *Posthuma P. II. p. 43.* Nihil ergo mutandum; nec in sequentibus, ubi URSINUS, ELMENHORSTIUS, WOWERUS & CELLARIUS: *magnam*, invito *MS.* adjecere. Uti enim Jupiter *κατ' ἐξοχὴν*, *pater*, & Castores *fratres* dicuntur; licet omnes Dii dicti sint Patres, & multi alii fuerint matres, fratres, sororesque Deorum: sic Cybele *κατ' ἐξοχὴν Mater* vocatur, nullo alio epitheto, quae plura habuit, adjecto, ut jam occupavit DAVISIUS, ad *h. l.* cumprimis in editione ejus secunda *Cantabr. A. 1712*, quam nec D. LINDNERUS, nec alii interpretes vidisse videntur;

tur; eſt enim his in terris infrequens; ideoque eandem proxime repetere animus eſt. Adde GRONOVII *ſecundi ludibria malevola* CLERICI *p. 21 & 22.* (Digitum vero praecipue intendit ad Librum ſecundum LUCRETII;) & OUZEL. infra ad *C. XXV. n. 7.* Num vero haec *Mater Dea* quoque dicta ſit, ut infra *C. VII.* edidit F. URSINUS, non convenit inter VV. DD. Clar. DE RHOER in *Otio Daventr. C. XVI. p. 112.* negat, & ideo cum aliis errorem in multis codicibus CICERONIS & aliorum inhaeſiſſe cenſet, ut *Dea* legatur: pro: *idea.* Sed ipſe vir doctus *pag. ſeq.* laudat *Monum. Ancyr.* ibique legi putat: *Aedem Matris Magnae DEAE in Palatio feci.* Et cur haec minus quam caeterae Deae, (ut ex. gr. *Iſis Dea*) ita dicta ſit, vix ratio ſufficiens reperitur. Ut tamen verum fatear, in Ancyrano COSSONIUS aliter legit, ac LIPSIUS, & qui hunc ſecuti ſunt. Videſis *Tab. IV.* ſive Pilae poſterioris Tabulam hujus monumenti apud PITISCUM ad SUETON. *pag. 1153.* & apud FABRICIUM in *Fragm. Imp. Auguſti p. 226*; ubi haec ita recitantur: *Aedem Matris Magnae in Palatio feci.* Ergo de hoc nomine amplius.

Cap. VIII. pleroſque offendit vox: *illicitae.* Haec enim languere inter fortiores *deploratae & deſperatae* videtur; quae tamen diſertiſſime in Regio legitur, teſte RIGALTIO. Et tamen ille ipſe maluit: *incitae*; SABAEUS, *inclitae*; ELMENHORST. *inclinatae*;

natae; WOPKENIUS, *inceſtae*; GRONOVIUS, *incultae*; HEUMANNUS, *deploratae inſcitiae*. Perperam! Eſt enim *illicitae* vox maxime propria, & JCtis uſitatiſſima de Chriſtianis, qui accuſabantur, quod *illicitos coetus* facerent. Vid. TRAJANUS apud PLINIUM *L. X. Epiſt. 94.* quodque *illicitam factionem iniiſſent*; Vid. TERTULLIANUM in *Apol. c. XXXIX.* ibique HERALDUM. Num etiam haec languent apud TERTULLIANUM *de Corona c. XIII. p. m. 129? Omnes alienae, profanae, illicitae, ſemel jam in ſacramenti teſtatione ejeratae.* Aut illud apud CYPRIANUM *Epiſt. LXIX. falſa altaria & illicita ſacerdotia, & ſacrificia ſacrilega.* Vide etiam infra *Cap. XXXI.*

Unicum addere liceat, & ſic te hac vice dimittere. Elegantiſſimus eſt locus *C. XVII.* quem tamen temeritas criticorum vix, ac ne vix quidem intactum reliquit. *Quid loquar*, ait, *apte diſpoſita recta montium, collium flexa porrecta camporum.* Leve eſt, quod, poſt PERIZONIUM, doct. ARNTZENIUS, *major*, ad PLINII *Panegyr. c. XXX. p. 140.* & elegantiſſimus SCHRADERUS in *Animadverſ. c. XIII. p. 251: erecta montium*, reponere maluerint: aſt longe gravius eſt, quod *collium* mutari juſſerit DAVISIUS in: *vallium*, & poſt hunc doct. BONDAM non ſolum noſtrum, ſed etiam JUSTINUM *L. XLI. c. 1. §. 11.* vexare, aggreſſus ſit, quia *montes* & *colles* nunquam apud Latinos junctos

ctos inveniamus (*). At, bona verba, quaeso; Hebraismus forsit est, sed latinitate donatus. Audiamus VIRGILIUM, qui totus Graecus, immo forsit etiam Hebraeus est. Sic vero cecinit in *diris*:

— — obstabunt jam mihi COLLES,
Obstabunt MONTES, CAMPOS nec adire licebit.

iterumque initio carminis:

Non foecunda senis nostri, felicia rura,
Semina parturiant segetes, non pascua COLLES,
— — —
Ipsae non silvae frondes, non flumina MONTES.

Et in Culice

Pastor & excelsi MONTIS JUGA summa petivit,
Lurida qua patulos velabant gramina COLLES.

Sequitur scilicet LUCRETIUM *L. I.*

Aër dissepit COLLES, atque aêra MONTES.

quem locum jam occupavit DAVISII diligentia in editione secunda. Adde TACITUM *An. II. c. 16.* Sic etiam VIRGILIUS *montes* & *arces* junxit, metri caussa; per *arces* vero *colles*, ut saepius, significat *IV. Georg.* 461.

Imple-

(*) In Epistola ad Ampl. V. magno eruditionis apparatu adornata, in *Fasc. II. Otiorum nostrorum p.* 56.

Implerunt MONTES, flerunt Rhodopeiae ARCES,
Altaque Pangaea, & Rhesi mavortia tellus.

& Georg. I. 240.

Mundus ut ad Scythiam, Riphaeasque arduus ARCES
Consurgit.

Cap. XVIII. exhibet CELLARIUS, eumque secutus LINDNERUS: *Aegypti siccitatem temperat Nilus; colit Euphrates Mesopotamiam; Indus & serere Orientem dicitur, & rigare.* Concinne satis. Num etiam MINUTIUS ita scripserit, dubito. MStus Regius & unicus paullo plenius haec recitat: *Ae. s. temperat Nilus amnis, c. E. M. pro imbribus pensat Indus flumen, & serere Orientem dicitur & rigare.* Nec utique est, quod viros doctos offendant *amnis, flumen,* quae sexcenties ab optimis adjiciuntur. Vid. ex. gr. WOPKENSIUS ad *Justini L. I. c. 8. §. 2. Cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset etc.* Plura ad EUTROP. *L. V. c. 1.* Multo minus ratio suppetit, quare: *pro imbribus pensat*, jugulaverint. Si ita in auctores veteres saevire licet, ecquid tandem illaesum manebit? Unice ergo probamus scripturam DAVISII: conjecturam ipsius nequaquam. Mox: *& Thebanorum par mortuum*: Nolo hic multiplices VV. DD. conjecturas repetere. Liceat tamen etiam nobis conjicere praepositionem: *de* desiderari, legendumque: *omitto Persas DE equorum h. a. p. DE Thebanorum pari mortuam fabu-*

fabulam transeo; *ob p. & c. r. DE geminis h. n. e.* In MSto scilicet legitur *permortuam* f; unde alii *par mortuum*, alii *par*, *mortuam* f. alii *praemortuam.* Frustra. Tantas turbas dedit omissa praepositio *de*, qua omissa, librarius necesse habuit *perm.* alii *par m.*

C. *XIX.* Mirus iterum occurrit conflictus Criticorum, qui statim initio duplicem codicis lectionem proferunt, mox in varias partes discedunt. HERALDUS in Regio inveniri tradit: *qualem parens omnium diem direxerit.* RIGALTIUS vero in exemplari legi contendit: *q. p. o. diem duxerit*; & hinc etiam *diem duxerit*, edidit, quem secuti sunt DAVIS. & LINDNERUS. CELLARIUS maluit: *q. p. o. Deus induxerit*; & HEUMANNUS: *in diem eduxerit.* At: *diem ducere* hoc sensu recte dici, vix credo. Forsit scripsit noster: qualem parens omnium *de Dio duxerit*, vel *Dio deduxerit*; vel denique *qualem parens omnium, Divum duxerit.* Sed praestat, nihil definire. Conf. interim GRONOVIUS *primus* in *Observ. L. I. c. 2. p. 24.*

Noli etiam mirari doct. KLOTZIUM, ad quaevis nauseantem Criticum, illa MINUTII quoque nostri offendisse C. *XXIII. Otiosum est ire per singula.* Nihil aliud voluit, quam quod supra C. *XVIII. longum*, dixit, *ire per singula.* Nihil certe necesse est, vel *odiosum*, vel *otiosorum* reponere; quamvis non negemus, *otiosum* & *odiosum* haud raro permutari. *Otiosum* est lentum, languidum, futile,

futile, inutile, quod nemo facit, nisi qui otio abundat. Sic QUINCTIL. *L. I. C. XII.* *ex. otiosos sermones* dixit, qui otiosorum sunt quique nullius usus. Et *L. X. c. 2. Otiosos & supinos* junxit; *auctor* vero *corruptae eloq. c. 18.* Brutum *otiosum & disjunctum* dixit, ubi conf. HEUMANNUS. Adde TERTULLIAN. *ad Uxor. c. IV. Nobis otiosum est — liberos serere*; & *de Corona c. 1. coronamento in manu otioso*; & *de poenit. C. III. Sed otiosum videri potest.* Noli ergo HAVERCAMPII conjecturam *C. X.* admittere, qui ibidem *otiosorum* legendum censuit. At in *Apol. c. VI. otiosorum* post: *turpium* nimis languidum mihi videtur. Lego itaque: *turpium & odiosarum superstitionum initia cohibentes.* Quae enim turpia sunt, etiam vitia sint necesse est. Non solum vero haec superstitionum vitia Coss. cohibuerunt: sed etiam eorum initia, quae non adeo vitiosa esse solent. Serapidis vero & Isidis superstitio clam irrepere coepit, & initia, his praecipue Coss., habuit. Videsis de his horum sacrorum apud Romanos fatis, quae pluribus dixi *Fasc. II. Campens.* (*)

(*) Ex hoc aliisve in hoc scripto adlegatis ejus auctor longe doctissimus facile cognoscitur. Quum tamen illi, nomen suum initialibus tantum literis indicare placuerit: integrum illud exprimere, merito dubitavi. *F. St.*

VIII.

VIII.

M. ABRAHAMI JACOBI PENZEL

EXPLICATIO GRAMMATICO-CRITICA

VERSICULORUM XXX. PRIORUM CLAUDIANI IN LIBRO DE RAPTU PROSERPINAE PRIMO.

§. 1.

NIMIRUM inter eos poetas, quorum lectione fallere nonnunquam tempus ſoleo, vel primas ſibi partes vindicare CLAUDIANUM, nequaquam diffiteor. Ut enim, ni fallor, SENECA alicubi dicit, non habere gratius in terra ſpectaculum Deum, quam virum fortem luctantem cum miſeria; ita neſcire me fateor, an alia quaedam lectio aeque placere poſſit candidis doctisque ingeniorum aeſtumatoribus, quam lectio placet ſcriptorum, qui eo tempore nati, ubi defloruerat jam latinae linguae nativus flos, tamen aut nihil aut parum modo ſuorum temporum aeruginis adtraxere, immunesque ſeſe aetatis ſuae ſordium praeſtitere; cum naevis enim ſaeculi ſui luctare, ut ita

dicam, ſcriptorem, triumphosque de iis devictis agere conſpicimus, quo jucundiori ſpectaculo neſcio an unquam frui mens noſtra poſſit. Quae quum ita ſint, quam non ſuaviter mulcere *Claudiani* lectio animum debet? quem ubi legis, tantum abeſt ut *Theodoſiani* aevi ſcriptorem te legere ſentires, ut in Virgilii potius ſodalitio eſſe jurares. Nec cavet ſibi ſolummodo a locutionibus aureae latinae linguae aetati inauditis, dicendique genus, quo utitur, ſimile prorſus efficere ſtudet illi, quo Virgilius olim aut Ovidius utebantur. Eſſe hoc aliquid, fateor; ſed nec unicum, nec, poëtae praeſertim, maxime neceſſarium. Quod pura dictione, ſonorisque, nec horriditate aliqua aſperis, quibus utitur, Hexametris, longe magis in eo ſcriptore admirari ſoleo, divina illa animi vis eſt, qua ubique fulgurat, ubique tonitrua ciet, lectoremque ad ſe rapit, ita ut ille triplici tectum adamante pectus haberet, qui non expertus in ſe vim hanc igneam eſſet. Ego ſane quoties legendum mihi Claudianum ſumo, toties hanc, quam dixi, experior ingenii vim; ſui plenum me rapit quos in ſpecus, aut quae in nemora vult.

§. 2.

Non defuere tamen doctiſſimi viri, quibus nec facultatem ſentiendi pulcritudinem, forſan non omnibus datam, abnegamus,

mus, qui, se quidem invenire fassi sunt in Claudiano nostro, sesquipedalia verba, quae sonare magni aliquid viderentur; iidem tamen negarunt cogitationes magnas his verborum ampullis subesse. Age quaeso, dicit horum aliquis [a]) nec infelix alias Claudiani nostri aestimator, evolvat mihi quis Claudianei poëmatis initium. *Equi inferni raptoris, afflata sidera curru taenario, & congesta mens*, quae hos equos, hunc currum *audaci* vult *prodere* cantu, in admirationem sui lectorem trahunt, qui nescio quas sibi fingit tetras horribilesque imagines, quae menti obversantur, ubi tu tamen, rationis face admota, spectare propius vis terribiles hasce figuras, evanuere illico & vanas abiere in auras. Quaeso vos, ita ego e summi *Werenfelsii* persona semper loquor, si in pinacotheca aliqua, tabula, titulum *raptus Proserpinae* prae se ferens, in manus vestras incideret, in qua pictor nil aliud quam currum & equos Plutonis delineasset, quem hunc pictorem fuisse putaretis? An ex *Protogenis* schola aliquem? Liceat dubitare. — Porro: Cur *caligantes* Junonis infernae *Thalamos* canere vult? Quod si ad misericordiam commovendam hoc addit, egregie fallitur, sponsae etenim sponsoque, qui *congrediuntur sola sub nocte per umbram* [b]) quid rei cum luminibus? Ultro

L 2 sibi

a) Vir summus, SAMUEL WERENFELSIUS, *de meteoris* §. 15.

b) AUSON. *Eid.* XIII. p. 179.

ſibi *caligantes thalamos* expetunt, & relicto pleno diei lumine, noctem & tenebras quaerunt:

Heſpere qui coelo lucet crudelior ignis?
Qui natam poſcis complexu avellere matris,
Complexu matris renitentem avellere natam,
Et juveni ardenti caſtam donare puellam? c)

§. 3.

Equidem, *ut pictura poeſis erit* d), nec fugit me ſummi vatis effatum hoc, nec ejus veritati quidquam detrahere volui. Attamen *loquens pictura*, poeſis, pictura *muta poeſis* eſt; caveamus igitur ne *muto* loquentis partes imponamus. Si penicilli vis ea eſſet, quae pingere poſſet tales equos, talemque currum, qualem nobis cogitamus, ſi de inferni raptoris equis, & taenario curru verba facit poeta, lubens concederem pingeret mihi aliquis Proſerpinam tali currui inſidentem, talibusque equis avectam, pariterque ſinus pariterque capillos rumpentem, & indignis percutientem pectora palmis e). Tali carpento vectam Proſerpinam ſtatim agnoſcerem; nec nego, lubentius me adſpecturum tabulam talem, quam illam, quae Proſerpinam mihi monſtraret, ludentium virginum choro ſtipatam, floresque in amoeno Ennae prato colligentem, & tunc demum adve-

c) CATUL. *carm. nupt.* v. 19.
d) HORAT. *arte poet.* 361.
e) OVID. *Metam.* X, 722.

advenientem tetrum raptorem, qui divelleret vagam puellam ab amatis ſodalibus. Verum enimvero ſi pictura minor eſt, quam ut hunc currum, hos equos, rite pingere poſſit, abſtineat, per me licet, a tali tabula pictor. Pluto nobis potius monſtretur, nigris fumo brachiis puellam, nequicquam reluctantem, geſtans, eamque lateri Palladis Venerisque avulſam, carpento ſuo includens f).

§. 4.

Liberalis ero. Dabimus contra artis praecepta peccare maximopere artificem, qui ſpectatoribus raptum Proſerpinae promittens, currum & equos modo Plutonis, raptaeque ſponſae thalamum monſtraret; nec minoris imperitiae reum eſſe volumus poetam, cujus congeſta mens currum modo, equos, & profandae Iunonis thalamum, audaci cantu prodere juberet. Haec omnia dabimus, inquam; negamus tamen atque pernegamus aliquid peccatum eſſe a Claudiano. His enim verſiculis illi nequaquam animus erat, Virgiliano aut Ovidiano more, ſummam carminis ſui proponere; infra hoc facit, & tam aptis, tam parum ſonantibus verbis, ut valde dubitem num *Ovidius* aut *Vir-*

f) Veteres artifices quonam modo raptum hunc exprimere amaverint, vide quaeſo apud *Dominum* BERNHARDUM MONTEFALCONIUM: *Antiquité expliquée* T. I. p. 1. Tab. 37-41.

Virgilius modeſtius & adaequatius dicendi ſummam, g) vel ipſo *Werenfelſio* judice, enuntiaverint. Admiſſus Eleuſiniorum celebrationi vates h), repraeſentari ibi viderat Proſerpinae raptum. His igitur myſteriis admiſſus, initiabatur, ut ita dicam, ad recte cantandum hunc raptum. Nec mirum eſt earum rerum cantorem, quae nocte opaca denſisque tenebris teguntur, his infernalibus ſacris initiatum, admiſſumque Hecates orgiis fuiſſe, ſi ille Muſarum choros videre, ſomnumque in bicipiti Parnaſſo captare debet, qui ſuperas res, Deorumque adverſus gigantes proelia digne canere vult.

§. 5.

g) ——— , ——— qua lampade Ditem
Flexit Amor, quo ducta ferox Proſerpina raptu
Poſſedit dotale chaos; quantasque per oras
Sollicito genitrix erraverit anxia curſu,
Unde datae populis leges, & glande relicta
Ceſſerit inventis Dodonia quercus ariſtis.

h) Quod is non mirabitur, qui cogitare vult, Eleuſinia ſacra in memoriam raptae Proſerpinae, latarumque hac occaſione a Cerere legum, inventarumque frugum, (quae tria capita pertractare in carmine ſuo promittit auctor) inſtituta fuiſſe. Habemus horum myſteriorum & doctam explicationem & diligentem enarrationem inſtitutam a ſummo viro, JOANNE MEURSIO, in libello cui titulum fecit: *Eleuſinia, ſeu de Cereris Eleuſiniae ſacro ac feſto liber ſingularis.* Lugd. Batav. 1619. 4. Quem libellum excerpſit, additis, pro more ſuo, doctiſſimis obſervationibus, vir ingenioſiſſimus, quem nunquam non ſine ſummo honoris ac amoris ſenſu nomino, JOHANNES CLERICUS, *Explication hiſtorique de la fable de Ceres*, quae diſſertatiuncula inſerta legitur *Biblioth. univ.* T. VI. p. 51. ſeq.

§. 5.

Nunc vero fingas Tibi, lector, hominem, cujus pectus recenti adhuc metu trepidat; qui ipsum Plutonem adventare teneramque virginem amatis floribus avellere viderat. Fallor, aut ille tunc non cogitabat, nec querulam matrem, ereptam sibi filiam lugentem; nec, sit mihi fas cum scholis loqui, *actum ipsum*, sed *circumstantias actus*, & externam pompam spectabat. Ubi hiscere terram, erumpentemque, omni noctis pompa Plutonem videbat; illico attonitus nil aliud praeter currum istum cujus adspectus pallescere faciebat stellas; nil aliud praeter equos sanguinea spuma madidos cogitabat [i]). Obversabatur animo tristis haec horribilisque imago; & ubi ea omnia enumerare volebat, quae in pervigilio Cereris viderat, quid, rogo Te, potius, quid prius equis his & curru hoc dicere debuisset? Horum adspectus maxime mentem perculerat, igitur ab iis, nec immerito, carmen orditur.

i) Quis enim adspectum tulisset, quem graphice sic noster describit:

Apparet subitus coelo timor, astra viarum
Mutavere fidem, vetito se proluit Arctos
Aequore, praecipitat pigrum formido Booten.
Horruit Orion, audito palluit Atlas
Hinnitu, rutilos obscurat anhelitus axes
Discolor ———

L. II. v. 187.

§. 6.

His vero *caligantes Junonis profandae thalamos* subjungit. Nos vero seria tractamus nec ludere juvat. Opera Veneris, verum equidem est, nec lucem sibi vindicant, nec splendorem solis expetunt. Abdita sylvarum, reductae vallis umbram & amabile frigus quaerunt amantes; falleret tamen qui *caligantes thalamos* amantibus in deliciis esse crederet. *Caliginis* idea nescio quid horridi secum vehit, nec amoenas has umbras, quas expetere sibi solent amantes sed intempestam noctem designat latronibus modo, qui tunc impune grassantur, & furibus aptam. Ubi igitur *caligantes Junonis thalamos* poëta nominat, conopei aut aulaeorum umbram gratam forsan puellis nequaquam designat, sed hoc vult: Junonis profandae thalamum in *loco caliginoso*, nimirum in aeternae noctis tenebrarumque regno positum, i. e. Proserpinam Erebi reginam factam fuisse. Non frustra vero Claudianus, postquam mentionem equorum Plutonis currusque taenarii injecerat, nunc quoque caligantes thalamos subjungit. Postquam enim in viridi, floribusque omnis generis distincto prato, Epoptae Proserpinam talem viderant, qualem caelicolae eam adspiciunt k), illico irruens horrida nox gratam hanc imaginem aufe-

k) Loca veterum ea de re adscribere ideo nolui, quia otium diu jam nobis fecit MEURSIUS ὁ πάνυ, quem non describere juvat.

auferebat, ubi jam non amplius divinam puellam in Ennaeo prato flores legentem, ſed Hecaten ululantibus canibus comitatam furiarumque choro ſtipatam, videbant. Si vero quis eſt, qui vel ſemel in vita ſua e ſolis lucisque abundantia, ſubito maximae caligini ſeſe immerſerit, is, puto, ſciet, quonam modo perculſum tunc fuerit pectus; & hae tam repente ingruentes tenebrae quantum triſtitiae ſecum horrorisque vexerint. Recte igitur Claudianus ea, quae animum ſuum prae caeteris perculerant, ut inde ordiatur carmen, recenſet, 1) equos inferni raptoris, 2) currum Taenarium & tandem 3) caligantes Junonis thalamos. Non dicit, quod falſe *Werenfelſius* eum dixiſſe finxit, haec tria capita ſe pertracturum in ipſo poemate; abſit! orditur modo ab iis praemiſſam Eleuſiniorum ſacrorum deſcriptionem, quam quidem nullum alium in finem praemittendam duxit operi, quam ut oſtenderet, ſe non illotis, quod ajunt, pedibus, ad nocturna illa Hecates ſacra cantanda accedere, ſed initiatum iis probe fuiſſe. HORATIUS [l]) Muſarum ſacra cantaturus, Calliopen vidit pios per lucos errantem; CLAUDIANUS tergeminam Hecaten, tria virginis ora Dianae. Iratas mihi Muſas omnes Gratiasque habeam! ſi in toto loco vel aliquid modo paullo inconcinnius dictum deprehendere

l) HORAT. *Odar. III. IV. 6.*

potis sum. Facessat igitur longe WERENFELSIUS, quem iterum iterumque res suas sibi habere, nec amplius dicam scribere poetarum optimo jubemus.

§. 7.

Nos vero non satis habemus iniquitatem censurae Werenfelsianae monstravisse. Necesse quoque est, ut explicemus ea omnia loca divini poetae, quae remoram injicere lectoribus posse videntur. Quo in negotio caveamus, ne nota nimis & cuicunque obvia proferamus; ea modo seligere juvat, ubi parum recte Claudiani mentem interpretes percepisse videntur. Igitur ea adscribere negligimus [m]) quae sine ullo negotio de *promontorio Taenario*, de *profanda Junone*, de *profanorum dimissione in peragendis sacris etc.* ex adversariis nostris depromere possemus. Cum enim haec omnia ita comparata sint, ut ex quacunque antiquorum rituum descriptione, eorum cognitio plene ac copiose peti posset, nec nos addenda quaedam doctissimorum virorum observatis habeamus, ne actum agere & post Homerum Iliada scribere videamur, ea intacta plane relinquere placet; nos *flores spargere* in Claudianum, nequaquam *enarrare* poetam, volumus.

§. 8.

---

m) Ita enim Proserpinam appellat, HOMERUM secutus, cui *Pluto* Ζευς καταχθονιος est.

§. 8.

Igitur *adflata sidera*, nos non *perculsa*, cum commentatoribus, sed *pallida*, ut quidem speramus, melioribus rationibus ducti, interpretamur. *Adflare* quid proprie notet, non est ut multis explicetur. Ubi *Anchises* apud VIRGILIUM dicit: *Et me saevus equis oriens adflavit anhelis*, aut fallor, aut istud dicit: *Ego vero equorum orientis currum trahentium halitum jamjam sentio.* Sic apud *Claudianum* TAENARIUS CURRUS, i. e. *equi*, *Plutonis*, *inferni raptoris*, *Taenarium currum trahentes*, ADFLANT SIDERA; quorum adflatu nativum splendorem amittunt, palloremque induunt. Ut enim speculum, aut quodcunque mavis vitreum politumve vas, ori propius admotum halituque nostro adflatum, *pallescit*, ita hic sidera adflantur ab equis Plutonicis & illico pallescunt. Hoc forsan recentior poeta non scripsisset, qui meliorem Astronomiam secutus, non suo, sed adscititio lumine splendere sidera scivisset; verum enim vero fugiebat sanior haec & frugi Philosophia Claudianum, qui cum antiquioribus fere omnibus laminas quasdam aureas argenteasve, aut simile quid, sidera putabat, aut firmiter saltem credebat suo proprio, non alieno lumine fulgere.

§. 9.

Congestam mentem (v. 4.) interpretes bene explicarunt, *mentem externorum*

omnium

omnium oblitam. Nimirum vagatur mens nostra, nunc hoc, nunc vero illud cogitat, & nunquam uni soli rei adeo inhiat, ut praeter hanc unam rem prorsus nihil cogitaret; sin vero hoc accidit, tunc ex omnibus, ut ita dicam, locis, in quibus exspatiaverat, in unum quasi *congeritur.* Recte se habet, inquam, explicatio haec, sed valde dubito, num *Claudianus* qui alias peritum utique se priscae Philosophiae monstravit, hic non aberraverit paululum a veterum Theologorum aut Philosophorum placitis. Nimirum patere puto, *Claudianum* hic se *νυμφολήπτον, θεοφόρητον, θεολήπτον, φοιβολήπτον*, aut quocunque demum nomine *cerritos*, *lymphaticos*, *Diis agitatos etc.* nuncupare mavis, fingere; his vero hominibus prorsus nulla mens, ne quidem congesta, erat. Ab omni actione propria vacabant, Deumque habebant pro anima [n]). *Congestam mentem* procul dubio habuit *Archimedes*, qui libris suis sepultus, numerisque geometricis defixus, irruentium militum vim non senserat, captivorum ejulatus non inaudiverat, appropinquantem mille modis belli faciem non viderat, & praeter numeros nihil cogitans suum illud: *Noli turbare circulos meos*, percussori occinere poterat. Haec est mens congesta, quae nihil, nec audit, nec videt, nec sentit, praeter id unum, quod faciendum sibi sumsit; si vero

n) Id quod fuse persequitur JAMBLICHUS *de myst. Aegypt.* p. 58-72. edit. *Torn.* 1607. 12.

vero alio eripiuntur omnes animae facultates, atque in corpore ejus ſua non amplius, ſed peregrina quaedam vis operatur; huic vero non congeſtam, ſed prorſus nullam mentem tribuerem; ipſe nihil, omnia vero divinitas, quae ineſt, facit.

§. 10.

Perſequitur nunc ipſam Eleuſiniorum ſacrorum enarrationem, quibus, non quidem corpore, ſed animo interfuit. Phoebus adeſt, qui omnes humanos ſenſus expulit; unde patet, recte ſe habere obſervationem noſtram ſuperiori § inſtitutam de *congeſta mente*, quae θεολήπτῳ tribui nequaquam poteſt, quippe qui mente prorſus vacat. Annunciat vero Deus adventum ſuum eodem modo, quo deſcendere in templum Delphicum ſolebat; nimirum adventante Deo moenia templi trepidant, & culmina lucent. Nunc vero ubi Dei omnia jamjam plena ſunt, praeſens ipſe raptum Proſerpinae videt. Audit magnum ab imis fremitum terris, quo Cecropium templum remugit o). Ulteriora quae nunc ſequuntur, erumpentem nempe terris ipſum Plutonem, & diis luminis auris ereptam Proſerpinam, ſcite tacet poeta, quia ille, qui divino oeſtro perculſus eſt, qualem ſe fingit, non ordine nec

o) Hunc fremitum mugitumque terrae, infra L. II. v. 150-185. appoſite deſcribit auctor, quem locum, ſi brevior fuiſſet, adſcripſiſſem.

nec ſigillatim omnia recenſet; ſed hinc inde nonnulla modo delibat. Vidiſſe ſe autem omnia ea quae fremitum hunc ſequebantur, ſatis aperte indicat dum ait: Vidiſſe ſe *Eleuſin* aut *Eleuſiniam Deam* i. e. *Cererem ſanctas faces*, ad quaerendam nempe ereptam ſibi filiam, *attollentem*. Nec hoc ſatis, mox quoque bellam virginem hanc in reginam Erebi transformatam, & jam non amplius Proſerpinam ſed Hecatem vidit.

§. 11.

HECATEM hanc, quod fere ſemper facit, comitatur *Bacchus* p):

Crinali florens edera, quem Parthica velat
Tigris, & *auratos* in nodum colligit *ungues*.

Ubi ingenue fateor, neſcire me, quonam modo Parthica tigris velans Bacchum, *auratos ungues* in nodum colligere potuerit. Igitur leviſſima mutatione *angues* lego, & non de tigride, ſed de Baccho, interpretor, de quo HORATIUS:

Tu ſeparatus uvidus in jugis
Nodo coerces viperino,
Biſtonidum ſine fraude crines q).

Ebrium igitur & vino madidum, *βεβρεγμενον*, Bacchum vidit, Biſtonidum comas *auratis angui-*

p) Ut ille *Liber*, ita haec *Libera* dicitur: CICERO *Verr.* IV. 48. TACIT. *Annal.* II, 49.
q) HORAT, *Odar.* II, XIX. 18.

anguibus conſtringentem; unum nimirum idemque eſt ſi auratos angues in nodum colligit, & ſi nodo viperino Bacchantium crines coercet; ita ut de veritate atque adeo de certitudine hujus emendationis prorſus nullus dubitem.

§. 12.

Poſſemus forſan unam adhuc alteramque adſpergere obſervatiunculam, quam negligere jubent moleſtiſſima, quibus premimur, negotia, & pauxillum temporis quod impendere ſcriptiunculae huic potuimus. Sunt autem forſan nonnulli lectorum, qui iſta non ſatis intelligunt, v. 21. *Opibus quorum donatur avaris Quidquid in orbe perit*; in horum gratiam adſcribere placet verba Philoſophi ſummi, PHURNUTI, ex libro *de natura Deorum* c. V. Καὶ Πλουτων δε ἐκληθη, δια το παντων ὀντων φθαρτων, μηδεν ἐιναι ὁ μη τελευταιον ἐις ἀυτον καταγεται, και ἀυτου κτημα γινεται. i. e. CONRADO CLAUSERO *Tigurino*, interprete: *Vocatur autem Pluto idcirco, quod omnia cum ſint corruptioni obnoxia, poſtremo ad ipſum deducantur, ejusque dominio ſubjiciantur*; quae verba Claudiani mentem adpoſite illuſtrant.

IX.

F. STOSCH

OBSERVATIONES MISCELLANEAE AD AUCTORES VARIOS.

I.

AD LOCUM STRABONIS GEOGR. L. XIII. FIN.

§. 1.

Quum reliquas ſex Aſiae urbes apocalypticas alii auctores aliis in provinciis ponant, in ſola *Philadelphia* Lydiae civitatibus connumeranda conſpirant omnes, & priſtini & ſequioris aevi hiſtorici. Ad Sardianam in Lydia jurisdictionem eam refert PLINIUS *L. V. v. 29.* Non minus PTOLEMAEUS *V. 2.* DIOSCORIDES *V. 131.* ZOSIMUS *V. 30.* HIEROCLES *Synecd. p. 669.* LAONICUS CHALCONDYLAS *L. II. p. 73. a.* NICETAS CHONIATES *L. II. Annal. p. 45. b*, Lydiae tribuunt, cum quibus omnes notitias epiſcopatuum conſentire, ſcribit CELLARIUS *Geogr.*

Geogr. Ant. T. II. p. 82. Quapropter STRABONIS *L. XIII. fin.* verba: μετα Λυδȣς ἐισι ὁι Μυσαι και πολις Φιλαδελφεια, ita capienda existimem, ut eam in Lydiae Mysiaeque finibus sitam esse significet. Saltem nec Mysis eam tribuere, sed his contradistinguere videtur. Lydia vero quum sub Romanorum imperio variis temporibus variis circumscripta fuerit limitibus: vel hoc ipsum Usserianam de Asia Lydiana hypothesin incertiorem reddere queat. Caeterum & ob hoc ipsum, quod ad Lydiam urbs pertineat, &, ut ab aliis cognominibus distingueretur: nomini gentili *Philadelphenus* additur interdum *Lydus;* ut apud FABRICIUM *Bibl. Gr. L. III. p. 512.*

§. 2.

Quum in Joannea apocalypsi Sardes inter & Laodiceam locum teneat; nostroque judicio ob urbium situm hic ordo observetur *): non ineptum erit, harum trium viciniam eundemque ordinem ex aliis quoque auctoribus ostendere. Pertinet huc PLINIUS Sardianae jurisdictioni eam adnumerans, HIEROCLES, apud quem Σάρδεις excipit Φιλαδέλφια; JO. CINNAMUS *Hist. L. I. p. 3.* hanc Laodiceae in propinquo commemorans; ANNA COMNENA in *Alexiad. L. XI. p. 329.*

*) Conf. antiqu. Thyat. L. I. cap. 2. §. 13. & seqq.

p. 329. & cum maxime *itinerarium* ANTONINO adſcriptum, in quo *p. 336. 337.* Sardis & Philadelphiam, interpoſita Tripoli & Hierapoli, Laodicea ſequitur; denique SMITHUS Sardibus Philadelphiam, & hinc Hierapoli ac Coloſſis Laodiceam profectus, qui eam a Sardibus ad Euronotum viginti ſeptem milliaribus aut circiter diſtare ſcribit *Notit. 7. eccleſ. Aſ. p. 32.* Quae diſtantia in memorato itinerario Antoniniano M. P. XXVIII. ponitur.

§. 3.

STRABO eandem porro *L. XII.* juxta τὴν κατακεκαυσμένην locat, quam regionem quum propter friabile ſolum & nullo negotio inflammabile terrae motibus crebro vexatam conſtet: non mirum, quod & iſtam urbem triſte hoc fatum aliquoties ſubiiſſe, hiſtoria commemoret; ita, ut ea propter σεισμῶν πλήρης ab eodem adpellata fuerit. Erat tamen eadem ad Maeandrum fere combuſta regio, illo iterum auctore, non omni terrae proventu deſtituta, ſed vitis nobilioris inprimis ferax. Conf. cl. VRIEMOET *Obſ. Miſcell. L. I. c. 2. p. 28.* Ad quam fertilitatem quum accedat ſitus commodiſſimus in clivo, qui leniter adſurgit, & ob quem aedes ejus pendulae videntur, unde fere ab omni parte in planitiem ſubjectam verſus ſeptentrionem & orientem proſpicere licet; teſte SMITHO: feciſſe hic ſitus videtur, ut

hodie

hodie adhuc Philadelphia, proximo post Smyrnam loco, tum civium copia, tum commercio, recenseri mereatur, ut idem prodit *p. 35.*

II.

PLINII LOCUS VINDICATUR.

Non sum in eorum haeresi, qui pro ingenio suo statim (si superis placet) emendant in auctoribus, quod ipsi non satis intelligunt. Cl. CHRIST. CRUSIUS in *Probab. crit. c. VI.* hunc PLINII *hist. nat. L. II. c. 25.* excutit locum: *Cometes in uno totius urbis loco colitur Romae, admodum faustus divo Augusto judicatus ab ipso, qui, incipiente eo, adparuit ludis, quos faciebat Veneri genitrici.* Quam obscura haec visa sunt viro clarissimo, & quam necessarium praecipue judicavit, verba: *incipiente eo*, non ad Augustum, sed ad cometam, referre, ac pro: *adparuit ludis*, rescribere: *adparavit ludos*; tam mihi perspicua illa, tam hae adnotationes inanes mihi videntur. Nam ut hinc ordiar: retinendum esse *adparuit ludis*, ipse PLINIUS adeo clare docet, ut clarius non possit, quando statim subjicit, Augustum his verbis gaudium suum prodidisse. *Iis ipsis LUDORUM MEORUM DIEBUS, sidus crinitum per septem dies in regione coeli, quae sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit.* Quis

non videt? id ipsum, quod Augustus *conspicuum ludorum diebus* dicit, PLINIUM expressisse, *adparuit ludis*. Quis autem feret loquutionem? *adparavit ludos, quos faciebat*. Insignis haec & inanis plane foret tautologia. Nam adparatus ludorum a ludis ipsis, quibus nempe ipsis cometes adparuit, distingui hic nullo modo possunt. Deinde, *incipiente eo*, referendum omnino ad Augustum, cujus, ex more, officium erat, ludos ab auspiciis incipere; aut qui, si mavis, dici etiam poterat ludos incipere, quando eos incipi jubebat. Longe durius, puto, & obscurius aliis videbitur, hoc: *incipiente eo*, de ortu cometae exponere, insolita plane ellipsi? quam vocem *ludos*, quae statim adest, subintelligere, dicendi genere, cujus quotidie obvia sunt exempla. Vix quidquam magis esse poterat perspicuum, quam relativum *qui*, contra plane ut CRUSIUS vellet, ad Augustum pertinere, prorsus ut apud SENECAM *Qu. nat. L. VII. c. 17.* de eadem re disserentem, & jam dudum ab aliis cum PLINIO collatum, legimus. *Nec est, quod putemus, eundem visum esse sub Claudio, quem sub Augusto vidimus; nec hunc, qui sub Nerone Caesare adparuit & cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui post necem divi Julii, LUDIS VENERIS GENETRICIS, circa undecimam horam diei emersit.* Et quid? an ne SUETONIUM quidem inspexerat CRUSIUS? qui in *Caes. c. 88.* scribit: (Caesar.) *in deorum,*

deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem LUDIS, QUOS PRIMO CONSECRATOS EI HERES AUGUSTUS EDEBAT, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam. Vide ibi interpretes DIONEM CASSIUM quoque adlegantes.

III.

LOCUS IN LIBRO APOCRYPHO ESRAE ILLUSTRATUR.

§. 1.

In libro, qui quartus ESRAE inscribitur, *c. X. vs. 2.* narrat Esrae mulier fatidica, *se, quum filius suus crevisset, & venisset accipere uxorem, fecisse diem epuli, & factum esse, quum introisset filius ejus, ut in thalamo suo occideret,* (seu, ut versio germanica habet) *de thalamo decideret:* Quo facto, *& evertimus* ait, h. e. *exstinximus omnes lumina.* Quaeritur: qualis sit ille lumina exstinguendi lugubris ritus? cujus singulare hoc est exemplum; nec alibi mentionem factam novimus. Praestatne ergo, de ritu aliquo usitato plane non cogitare, dicereque, moerorem ipsum gravissimum ad evertenda lumina plangentes instinxisse? Ita quidem videri posset. Miseram certe sponsam, lethea caligine amore fulgentibus oculis offusa, quid candelarum facium-

faciumque lumina juvare amplius poterant? Praeter omnem jam exspectationem:

δόμων ἐντοθὶ Φίλη παρὰ μητέρι μίμνει ἔυπω
ἔργ' ἐιδυῖα πολυχρύσȣ ἀφροδίτης.

Tristi huic solitariaeque vitae lumina laetitiam & commune gaudium comitantia (*) non conveniebant. Mortis tenebris חדר הורתא obducentibus, nocti quoque suae reddendae erant tenebrae. Exstinguendae infelices lucernae, palaestram visurae nullam.

§. 2.

Sed tamen de ritu paullulum circumspiciamus. Ex gentilium moribus primo quidem non derivandus videtur. Licet enim, facem inversam ad terram descendentem, ad mortem indicandam adhibitam fuisse, BEGERUS ex lucerna, in qua amor & Psyche cum face inversa conspiciuntur, doceat *de lucern. sepulcr. p. 4*: hic tamen non de ejusmodi emblemate, sed de inversione, id est, exstinctione candelarum, intus in ipsa domo & in ipso conclavi, cogitandum esse, res ipsa docet. At vero solebant Graeci Romanique in luctu domestico candelas potius accendere, quam exstinguere, easque juxta demortui cadaver collocare, quamvis caeterum in focis ignem omnem exstinguerent. Vide CASAUBONUM *ad*

Sat.

(*) Cf. Esther. IX. 16. STUCKII antiqu. conviv. Lib. III. p. 590. ABRESCH ad Aesch. p. 195.

Sat. III. PERSII *vs. 103.* PFEIFFERUM *Ant. Gr. L. IV. c. 47.* ALEX. AB ALEXANDRO *dier. genial. p. m. 131.*

§. 3.

Videtur itaque ex Judaeorum institutis res potius illustranda esse; praecipue quum apocryphus Esrae liber Judaeum auctorem habeat, Judaicumque ingenium ubique sapiat. Putarem adeoque respici ad legem *Num XIX. 15.* qua *coll. Levit. XI. 32. 33.* vasa omnis generis aperta, in conclavi, in quo quis vita functus esset, impura declarantur (*). Quum vero his vasis candelabra etiam connumeranda essent, candelae in iis exstinguerentur, necesse erat.

§. 4.

Quod vero hujus inprimis lugubris caerimoniae mulier mentionem injiciat, eam procul dubio ob causam factum est, quod in nuptiali festivitate non solum candelae lampadesque circa triclinia arderent, lumina nocturnis epulis suppeditantia, sed &, pro gentium omnium, ac Judaeorum praecipue, sollicite eum observantium, more, lumina per totam noctem ardentia, in cubiculo posita essent. Atque hinc etiam sponsus in cubiculo occidisse dicitur. Cubiculum enim, non lectus ipse per thala-

(*) Vid. CALMET Diss. sur l'Ecrit. S. Tom. I. p. 290.

mum intelligendus est, ut exemplis pluribus probat JUNGIUS in specimine academico eruditissimo *de vestigiis oeconomiae patriarchalis in vetustissima vetustissimorum populorum, maxime vero Graecorum, oeconomia p. 29.*

§. 5.

Caeterum infelicibus his sponsis non male adplicares illud M. SENECAE *excerpt. VI. controv. 6. Versae sunt in exsequias nuptiae, mutatusque genialis lectus in funebrem.* Nec longe abest Charites apud APULEJUM *metam. L. VIII. p. 114.* Thrasyllo insultantis oratio. *Sic pudicae mulieri tuae placuere oculi; sic faces nuptiales tuos illuminarunt thalamos etc.* Memini quoque Chariclis de Theogene querelae. *Τὴν πρώτην μοὶ καὶ γνησίαν θυγατέρα ταῖς νυμφικαῖς λάμπασι συναπέσβησε. Primam mihi & genuinam filiam una cum sponsalibus facibus exstinxit*, HELIODOR. *Lib. IV. c. 19.* Adde, si lubet, OVID. *her. VI. 45.*

IV.

TERTULLIANI LOCO VERA INTERPUNCTIO RESTITUITUR.

Jam dudum conjeci, verba TERTULLIANI in *Apologet. c. 5. Caeterum de tot exinde principibus ad hodiernum DIVINUM HUMANUMQUE sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum* (*), mutata paullulum interpun-

(*) Cf. MOSHEM. Diss. ad hist. eccl. Vol. I. p. 57.

punctione, legenda esse: *Caeterum de tot exinde principibus*, *AD HODIERNUM DIVINUM HUMANUMQUE*, *sapientibus etc.* Videbatur mihi auctor contendere, sapientes principes Christianorum debellatores exstitisse nullos; hisque Severum ita connumerare, ut summo *divini humanique* elogio illum ornet. Equidem, interpretationem hanc minus se probasse cl. HOVENIO, ex *altera* ejus *prolusione Campensi p. 6.* intellexi. Sed tamen eam non deserendam puto. Nollem vero cum viro amicissimo contentionis serram reciprocare. Sed hoc modo, velim, perpendat. Ex quo, auctore SUETONIO in *Caes. cap. LXXXIV. 4.* laudationis loco consul Antonius per praeconem pronunciavit senatusconsultum, quo omnia Caesari simul *divina ac humana* decreverat, ex hoc, inquam, tempore, succedentes Caesares omnes eadem sibi attribui jussisse, constat. Hinc *divini* etiam *humanique* titulo ornari voluerunt; qui propterea frequenter eis tributus occurrit. Praeter inscriptionem Smyrnensem apud SMITHUM *Not. VII. eccl. Asiae p. 58.* in qua Hadrianum suplex quis compellat φιλοθεὲ καὶ φιλάνθρωπε καῖσαρ, ARISTIDES, ejus seculi scriptor, etiam, θείου καὶ φιλανθρώπου βασιλέως nomine M. AUR. ANTONINUM alloquitur: *Orat. Tom. I. p. 101. ed. Canteri*; qui & saepe τὸ φιλανθρωπὸν ei tribuit *102. 109. 111. 112.* & θειοτάτων ἀρχόντων nomine Caesares insignit *Tom. II.*

 p. 292.

p. 292. In inscriptione Thyat. (vid. *antiqu. L. I. p. 121.*) Severus θειότατος αὐτοκράτωρ audit. Insolens certe phrasis: *divinum humanumque sapere.*

V.

HIERONYMI LOCUS VINDICATUR ET EXPONITUR.

Locus est HIERONYMI *Ep. VII. ad Laetam Opp. T. I. p. 37. edit.* TRIBBECHOVII. *Caveat omnia apocrypha. Et si quando ea non AD dogmatum veritatem, sed AD signorum reverentiam, legere voluerit: sciat non eorum esse, quorum titulis praenotantur, multaque his admixta vitiosa, & grandis esse prudentiae, aurum in luto quaerere.* Verba: *AD signorum reverentiam* adeo obscura visa sunt HEUMANNO *Diss. syll. T. I. P. I. p. 190.* ut *OB scriptorum reverentiam*; vel *scriptorum reverentia*, legendum pro iis existimaverit. Verum nulla omnino urgente necessitate. Praepositionem AD saepe actionis causam impellentem & finem indicare, nemo non novit, & lexica docent. Sicut ergo, *non AD dogmatum veritatem* legere, est: *non eo fine legere, ut doctrinae veritatem exinde disceret;* ita quoque: *AD signorum reverentiam legere* nihil aliud est, quam *ut signa revereatur, ob reverentiam, quam signis habendam ducit.* Quae vero sunt illa *signa?* Commendationes, puto, piorum, & auctoritate pollentium doctorum, quae codicibus librorum apocryphorum adjectae erant;

erant; non multis semper verbis, sed vel signo quodam, quo hunc codicem sibi lectum & probatum esse significabant. Certe solitos fuisse veteres ejusmodi criteriis vel signis codices liborum sacrorum adprobare & commendare, in *Tract. de epist. apost. idiographis p. 71*, me probabile reddidisse mihi videor. Huc & referendae sunt subnotationes eorum, qui codices descripserant, qualis occurrit in calce epistolae ecclesiae Smyrnensis de martyrio Polycarpi, nec non obtestationis illae formulae, de quibus GROTIUS & VITRINGA ad *apoc. XXII. 18. 19.* Talia igitur si quis in apocryphorum codicibus reperiret, *ad eorum reverentiam* ut ea legeret, facile moveri poterat. Posses tamen etiam per *signa* intelligere, superscriptiones apostolorum, per quas simpliciores quosque haeretici decipiebant; de quibus AMPHILOCHIUM, episcopum Iconiensem, singularem librum scripsisse, videsis in *T. III. Concil. VII. Concil. Act. V.* Quin & ipsius servatoris nomine multa apocrypha signata fuisse constat. Conf. COTELERIUM ad *const. apost. L. VI. c. 16. Vol. I. patr. apost. edit.* CLERICI *p. 347. 348.* Caeterum vix dispar est nostro loco alter ille HIERONYMI *Tract. in Matth. c. VIII. Scriptum est in evangelio quodam, quod dicitur secundum Hebraeos. Si tamen placet alicui recipere illud, non AD auctoritatem, sed AD manifestationem propositae quaestionis.* Alius item *L. III. adv. Pelagian. cap. I. Quibus testimoniis*

moniis si non uteris AD auctoritatem: utere saltem AD antiquitatem; quod omnes ecclesiastici viri senserint. Eadem significatione τὸ AD explicandum est in MINUCII FELICIS *Octavio p. 10. edit.* ELMENHORSTII. *Sane & AD vindemiam feriae judiciariam curam relaxaverant.* Caeterum confer, si libet, *Supplem. ad nov. act. erud. Tom. VIII. Sect. X. p. 442.*

X.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI
EMENDATIONES ET OBSERVATIONES
IN
HAYMONIS HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

Praefatio.

Possideo ego: „HAYMONIS Halberstaten-„sis episcopi, *historiae ecclesiasticae breviarium*, „scriptum circa A. D. DCCC. MARCUS „ZUERIUS BOXHORNIUS edidit & re-„censuit. Accedunt *prima religionis christia-„nae rudimenta, vetustissima Alemannorum & Sa-„xonum*

„*xonum lingua scripta*, ex ejusdem bibliothe„ca & MSS. partim nunc primum edita. „Lugduni Batavorum, ex officina Johannis a „Sambix, cIↄ Iↄ CL. 12. [a])" & illud quidem exemplum, quod olim b. HEUMANNUS possedit. Indicant hoc verba, quae beatus Vir in fine tituli scripsit: *Emi Jenae C. A. Heuman* 1703. Huic libro manu sua varia allevit, quibus vel emendat aliquid, vel illustrat, vel supplet, digna quae non lateant in tenebris, sed protrahantur in lucem. Licet enim non is ego sim, qui veritatem omnium harum emendationum, quarum multo maximam partem lubens ipse rejicio, tueri vellet; tamen cum apud animum meum mihi propono, in *Haymone* Criticos hucusque fere nihil laborasse, non ingratas fore credidi dapes, qualescunque demum sint, quas apponere lectoribus nostris placet. Sane piaculum mihi videbatur ea quae magni nominis, nec minoris eruditionis vir, in intactum fere scriptorem laboraverat, publico commodo invidere velle, cum JOHANNES HENRICUS A SEELEN *notas & emendationes Meursianas Glossario Rigaltiano* [b]) *adscriptas*, licet nihil fere contineant, quod non *Meursius* ipse

a) Quem libellum *rariorem* adpellat Vir summus JOANNES SCHILTERUS *Mon. Cat. T. I. Ant. Germ*, p. 89.

b) *Glossarium Τακτικον μιξοβαρβαρον. De verborum significatione, quae ad novellas Impp. qui in Oriente post Justinianum regnaverunt, de re militari constitutiones pertinent.* Lutet. Par. 1601. 4.

ipse copiosius & plenius, in edito Glossario c) suo dixisset, tamen non indignas judicaverit, quas dias in luminis auras proferret d). Haec praefaminis loco volebam, mi lector, ne nescius esses. Tuum nunc erit favore Tuo eum complecti, qui animadversionibus his obstetricias manus eum in finem admovit solummodo, ut gratum Tibi quid ac utile faceret. Vale & fave. Jesnitiae a. d. XIV. Kal. Junii cIↄ Iↄ CC LXXIII.

M. Abrahamus Jacobus Penzel.

OBSERVATIONES PRAELIMINARES e).

§. 1. HAYMON *usque ad librum octavum* secutus est EUSEBIUM, *libro octavo* RUFINUM. Fatetur ipsemet L. VIII. c. 4. *fin.* p. 157. & L. X. c. 8. p. 199. 202. 203.

§. 2. HAYMON & AIMOINUS idem videtur nomen f).

§. 3.

---

c) Glossarium Graecobarbarum. Lugd. Bat. 1610. 4.

d) *Bibliotheca Lubecensis* Vol. IV. p. 646-653.

e) Observationes quas ego sub hoc titulo cum meis lectoribus communico, B. Heumannus aversae paginae tituli, quam ex more vacuam reliquerat typographus, inscripserat.

f) Quod esse forsan potest; sed mirum quantum a veritatis tramite hic aberraret, qui Haymonem nostrum, eundem cum *Aimoino*, Francorum historiographo, cujus historiam MARQUARDUS FREHERUS Corpori historiae Francicae veteris, Hanoviae 1613. fol. edito, inseruit, de quo velim legas JOANNEM CHRISTIANUM NEVIUM, in accessione I, ad *Degorei Whear*, relectiones hyemales, *Sect.* 6.

§. 3. De HAYMONE vide CASPARUM SAGITTARIUM, *Introductio in historiam ecclesiasticam* C. VIII. §. 2. p. 41. g).

§. 4. Multa reperies in textu quae non sunt Haymonis, forte ab aliquo diligenti hujus libelli lectore in margine annotata; quod & facile animadvertendum, quia non cohaerent cum sequentibus saepissime. Talia sunt allegata & impositio nominis HAYMONIS h). Talia quoque sunt quae leguntur de numero annorum imperii Imperatorum Romanorum, item episcopatus episcoporum Romanorum. Primum non potuit esse *Haymonis*, quia secutus fuisse videtur EUTROPIUM, quem alias exscripsit, a quo tamen discrepat saepe numerus annorum imperii i). Po-

g) Habemus quoque de Haymone Episcopo Halberstadiensi, peculiarem dissertationem PAULI ANTONII, Theologi quondam Halensis celeberrimi, cujus pars prior vitam Haymonis, posterior dogmata ejus continet; ita ut in historia dogmatum magno usui esse possit. Velim quoque adeas non vulgaris diligentiae virum JOANNEM GEORGIUM LEUCKFELD in *antiquit. Halberstad. T. I. p.* 54-73. ubi vita Haymonis nostri copiose & diligenter narratur, editionesque librorum recensentur.

h) Nisi forte recensuit Haymo solummodo libellum, non autem scripsit; unde accessionibus a se profectis nomen suum praefigendum curavit. Hoc in medio aevo saepe usu venisse negari non potest, licet rem omnem in dubio relinquam, nec conjecturam meam pro certa veraque jactitem.

i) Haec quam frivola sint, quilibet, me non monente, perspiciet.

Posterius ab aliquo sedis Romanae cultore k) devoto fuit adscriptum. Addidamenta inclusi uncinulis l).

§. 5. HAYMO etiam peregrinatus est in Palaestina; quod patet ex L. VII. c. VI. p. 130. m)

§. 6. Patet ex hoc libello quod HAYMO in veterum scriptis probe fuerit versatus. Stilus tamen est inelegans.

§. 7. HAYMO scripsit vitam Hieronymi; quod ipse fatetur, L. X. c. 8. p. 195. n)

§. 8. HAYMO est scriptor prudens non credulus fabulis. Vide L. II. c. 4. L. V. c 6.

§. 9. Quo tempore vixerit HAYMO vide infra p. 203. o)

§. 10. HAYMO non omnia desumsit ex EUSEBIO ac RUFINO, sed multa aliunde depromsit.

§. 11. Quaedam HAYMO descripsit ex EUTROPII *breviario historiae Romanae.* Vide infra L. III. c. 11. L. VI. c. 7.

§. 12.

---

k) Qualis tamen strenuus, si quis alius Haymo fuit.

l) Quorum peculiarem indiculum nos infra subjiciemus.

m) Hanc observationem ne cassa quidem nuce emerim, nam *Haymo* ibi de more suo describit EUSEBIUM, quem vide *Hist. eccl. L. VII. c.* 8. Adde SOZOM. L. V. c. 21. Hic statuam illam se in Palaestina vidisse affirmat, quam Haymo, si vel totam vitam suam in Palaestina transegisset, videre non poterat.

n) Saltem scribere voluit; num scripserit hoc nondum liquet.

o) Nimirum, non ut vult TRITHEMIUS, qui scripta ejus omnia recenset, sub *Ludovico*, Caroli Magni filio, sed *Lothario Augusto*, tempore Synodi Moguntinae, A. C. 848.

§. 12. Statuit adorationem sanctorum. Vide L. IV. c. V. item p. 203.

Liber primus.

C. VI. Cfr. L. II. c. 19.
C. IX. Cfr. L. II. c. 12.

Liber secundus.

C. I. *Diaconos.* Legendum *Diacones*; nam in sequentibus ter quaterque occurrit *Diaconibus.* Invenitur tamen & bis in sequentibus *Diaconos.*

-- III. *Filiastram*, i. e. *privignam.*

-- IV. *Modo*, i. e. *nunc.*

-- XII. Cfr. L. I. c. 9.

-- XIX. Cfr. L. I. c. 6. L. VIII. c. 2. 3.

-- XX. *Et principium totius pravitatis.* Dele.

— — *Cujus magnifica authoritate statim clarum verbi Dei lumen oritur & Simonis* (†) *cum suo auctore exstinguitur.* (†) scil. *lumen.*

-- XXIII. *Clemens in sexto Dispositionum libro,* sc. ὑποτυπώσεων, ut allegat EUSEBIUS in *historia ecclesiastica.*

-- XXVII. *Paricida*, lege *Parricida.*

-- XXVIII. *Dionysius Corinthiorum episcopus qui non divisit &c.* Loquitur de duobus. Omissus vero est Episcopus Agrippinus, ut patet ex L. IV. c. 22.

Liber tertius.

C. II. *Joannes vero duas* sc. *Epistolas scripsit.* Legendum *tres* p).

-- III. *Subscriptionem*, i. e. *inscriptionem* q).

-- XI. Hoc totum caput, praeter ultima, desumtum ex EUTROPIO L. VII c. 14.

-- XXI. *Dormit.* Vide eandem phrasin de *Philippo* L. V. c. 10. Hinc nata fabula de Johanne non mortuo, sed tantum in sepulcro dormiente.

Liber quartus.

C. II. *Plinius* L. X. Ep. 97.

-- VII. *Supra* L. III. c. 15.

-- XI. *Supra* c. 6.

— — *Antistites*, lege *Aristides* r).

-- XVII. *Supra* L. III. c. 16.

— — *Catpocrates*, legendum *Carpocrates.*

— — *Imponuntur opprobria*, leg. *Imponuntur* CHRISTIANIS *opprobria.*

-- XVIII. *Valentinus Cerdo*, lege: *Valentinus, Cerdo.* Valentinus & Cerdo sunt duae diversae personae, ut patet ex capite sequenti.

-- XIX. *Valencinianum*, lege *Valentinianum.*

C. XX.

---

p) Erras Heumanne! Vide EUSEB *Hist. eccles.* L. III. cap. XXV. ubi dicit *primam* modo epistolam Johannis, neque ab antiquis unquam, neque a posteris dubitatum esse.

q) Nequaquam; sed lectio falsa palam est; ita ut ἀντὶ τοῦ *subscriptionem*, INSCRIPTIONEM necessario legere debeamus.

r) Ego sic lego: *Tunc Quadratus* — *& Aristides antistites.*

C. XX. *Cunque*, lege *Cumque*.
— — *Tentar*, l. *Tentat*.
-- XXII. *Supra*, L. l. c. 28.
— — *Theophilus quem supra diximus*. Ubi?
— — *Hic in libello de explanatione scripturarum.* Melito, ut patet ex Eusebio.
-- XXIII. *Haeresy*, l. *Haeresi*.
— — *Destuavit*, l. *Destinavit*.
— — *Utilus*, l. *Utilius*.

Liber quintus.

C. II. *Subenodis*, l. *Subeundis*.
— — *Sanctus quidam Diaconus, nomine Viennensis*, lege *Sanctus quidam Diaconus nomine, Viennensis*.
— V. *Saparat*, l. *Separat*.
— VII. *Enimus*, l. *Eminus*.
— — *Qui*, l. *Quia*.

Liber sextus.

C. I. *Appius quoque*. Hi profecto male confutarunt Samosatenum, quia ex verbis Geneseos: *in principio creavit Deus*, contra eum pugnare voluerunt, quod videntur fecisse, quia per *principium* l. c. intelligebant Christum.
— — *Absque Deo*, i. e. *absque divina natura*.
— — *Originis*, l. *Origenis*.
— II. *Ensebium*, l. *Eusebium*.
— III. Quam clarus fuerit sua aetate Origenes, vide cap. sequenti p. 117.
— — *Interpretari*, l. *Interpretati*.

C. III. *Quaedam*, l. *Quidem*.
— — *Seraphin*, l. *Serapin*; de quo infra L. X. c. 8. p. 196.
— — *Bibliotheca*, i. e. Biblia V. & N. T. Vide CAROLUM DU FRESNE in *Glossario*.
— V. *Calisto succedente quo*, nempe Calisto.
— VI. *Quandem*, l. *Quandam*.
— VII. Haec ex EUTROPIO descripta L. IX. c. 1.
— XII. *Philippus*, l. *Philippum*.
— — *Eorum* sc. Christianorum.
— — Haec ultima verba manifestum faciunt, quaedam deesse, quod & apparet in aliis locis hujus libelli. Potius tamen h. l. videtur esse glossema, quod aliquis in suo exemplari annotaverat ad marginem capitis sequentis.
— XIII. *Arca*, l. Area.
— — *Exorcistas*. Hoc fabulosum inde videtur, quia hoc tempore Exorcistarum nomen inauditum. Vide SPANH. *Comp. hist. eccles*. p. 82.

Liber septimus.

C. I. *Paginae*, sc. V. & N. T.
— VI. *Senectute*, fortasse *servitute*, ex EUTROPIO L. IX. c. 6. n. 5. [s]).
— VIII. *Per*, l. *Super*.
— — *Minine*, l. *Minime*.
— — *Immorali*, l. *Immortali*.

C. X.

s) Hac emendatione nihil certius.

C. X. *Psalmos.* Ex textu satis liquet, non intelligi Psalmos Davidis.

— — *Dicebantur* i. e. *recitabantur* & *decantabantur.*

— — *Fecisset.* Hinc patet, Samosatenum negasse Christum esse adorandum secundum unam naturam.

— — *Quas*, l. *Quos.* Quos Psalmos de se fecerat & de sua persona, non de Christo. Vel *Quas*, ut indicetur, eum proprio ausu instituisse mulieres ad cantandum publice, contra morem ecclesiae.

— — *Faciens.* Ex sequentibus omnibus patet, Paulum fuisse magnum oratorem, unde forte orta in ipsum invidia.

— — *Habitare.* Ergone hac jam aetate coepit coelibatus Clericorum?

— XII. *Gajus*, l. *Carus.*

— XIII. *Majora credi*, l. *Majora* QUAM *credi.*

— — *manes*, l. Manes.

Liber octavus.

C. I. *Vuguibus*, l. *Unguibus.*

— — *Dextris.* Exemplum Pamilii infra L. IX. c. 3. p. 163.

— II. *Maximinus*, nuper *Galerius.*

— III. *Maximinus*, nuper *Galerius.*

— — *Maximinus.* Forte hic Haymo duos confundit in unum. Nam Galerium duos Caesares creasse *Maximinum* & *Severum*, testis est *Eusebius* X. 2.

— — *Appelantur*, leg. *Appellantur.*

C. IV. *Indicit.* Haec non cohaerent cum ſequentibus, ubi alia cauſa belli allegatur, quod ſcilicet ipſe Conſtantinus bellum inceperit occaſione Licinianae perſecutionis.

Liber nonus.

C. I. *Factum eſt.* Arrius in errorem hunc eo prolapſus eſt, quia putabat, Chriſtum eſſe Dei filium proprie dictum, adeoque neceſſario poſteriorem patre. Id patet ex ſequentibus.

— — *Subſtantiam.* Arrius non potuit comprehendere, quonam modo cum ſola Dei unitate, conſiſtere queant tres perſonae. Credo Arrii dogma in hac & praecedenti pagina ſincere fuiſſe relatum, cum omnia bene cohaereant, & unum ſequatur ex altero. Ex quo & apparet, Arrium fuiſſe virum non vulgaris ingenii.

— — *Quando non*, leg. *Quia dominus* [t]).

— — *Diligens eſt*, leg. *Diligentiam* [t]).

— — *Quibuscunque. Scholaſticis.* Deleatur punctum.

— — *Addeſſe*, leg. *Adeſſe.*

— II. *Sacerdoralis*, leg. *Sacerdotalis.*

— III. *Oculis effoſſis.* Supra p. 146.

— — *Cydrius*, leg. *Cyprius.*

— — *Conſideratione*, leg. *Inſpiratione.*

C. IV.

---

t) Hic recte & feliciter Haymonem corrigit *Heumannus.*

C. IV. *Plantatione.* Datur quartum. Intellectus & voluntas sunt consubstantiales, quia simul unam constituunt substantiam apud mentem.

— — *Consenttiendum*, leg. *Consentiendum.*

— — *Videretur.* Quis hoc sibi persuadeat esse verum? An vero simile gentiles tam neglectim habuisse Deam suam? Potuit tamen fieri, ut gentiles Deae Christianis invisissimae, templum extruxerint eo loco, quem hi pro sanctissimo habebant.

-- V. *Constantia*, Conjuge Licinii.

-- XI. *Quando vult, pater est, quando vult, spiritus sanctus*, leg. *Quando vult, pater est*, QUANDO VULT FILIUS, *quando vult spiritus sanctus.*

Liber decimus.

C. I. *Recepit.* Etsi sequens historiola fabulam satis sapit, prior tamen historia per se non est incredibilis, propter dicta scripturae *Matth.* IX, 20. XIV, 36. *Luc.* VI, 19. *Actor.* V, 15. XIX, 12. u).

-- -- *Edissam*, leg. *Edessam.* Supra L. II. c. 4. 5.

-- VIII. *Veternosus.* Nempe Serapis.

u) Sit *per se* non incredibilis, ast falsa certe est; alias collector apophthegmatum *Macarii*, qui tot fabulosa hominis miracula narrat, eam non neglexisset.

CONCLUSIO.

DE CHRISTIANARUM RERUM MEMORIA.

HOC TITULO ETIAM HUNC LIBRUM CITAT NIC. OWENIUS IN CATAL. TEST. VERIT. p. 756. fin.

INDEX LOCORUM A B. HEUMANNO UNCINULIS INCLUSORUM, QUOSQUE REJICIENDOS CEU GLOSSEMATA ESSE MONET.

P. 6. Josephus in XVIII. Antiquitatum
— Idem in eodem libro
- 10 Josephus
- 15 Clemens in libro dispositionum
- 19 Quia
- 23 Tertullianus
- 24 Tiberius viginti & duobus annis sedit x).
- 28 Clemens Alexandrinus
- 30 Lucas in Actibus Apostolorum
- 35 Clemens in sexto dispositionum libro
- 37 Clemens
- 41 Origenes in explanatione Genesis

P. 52

---

x) EUTROP. VII. 6. Tertio & vigesimo imperii anno mortuus est; sic quoque CASSIODORUS p. 42. JORNAND: *de regn. succ.* p. 465. Scribe igitur *viginti & tribus*.

p. 52 Titus regnavit II. annis & totidem menſibus [y]).
- 54 Domitianus regnat XV annis
- 55 Nerva vix annum regnat [z]).
- 56 *Ireneus*
- 60 CLEMENS
- 67 Trajanus XX annis, ſex menſibus minus regnat [aa]).
- 68 Alexander papa ſedit X annos. NB. *Evidens additamentum.*
- 73 Adrianus regnat annis XXI. [bb]). Theleſphorus — annis XII.
- 78 Anicetus papa Romanus ſedit annis XI.
- 80 Irenaeus de haereſi Encraticarum [cc]).
- 82 Sother ſedit annis VII.
- 92 Eſſe
— Antoninus regnavit XIX annis [dd]);
- 112 Severus regnat annis XVIII. [ee]).
- 113 Antoninus regnat VII annis & ſex menſibus [ff]).
- 114 Zephyrinus papa ſedit annis octo.

y) Menſes VIII, habet EUTROP. *ibid.* XIV. ſed perperam, & anti τῦ *octo*, ſcribendum *duo*. Librarius enim ſic ſcripſerat *menſes* II. XX *dies*, ex quo ſciolus *menſes* IIX confecit.

z) EUTROP. Ann. I. m. IV. d. 8. recte.

aa) Non differt EUTROP. VIII. 2.

bb) *Eutropius* non differt.

cc) *Encratitarum*

dd) Noſter *Caſſiodorum* p. 419. ſequitur. *Eutropius* c. VI. habet 18.

ee) Ita & *Eutropius* c. 10.

ff) *Caracalla.* Rurſus *Caſſiodorum* p. 422. ſequitur. *Eutropius* c. XII. habet a. 6. m. 2.

p. 116 Alexander regnat XIX annis [gg]).
- 117 Maximinus regnat tribus annis [hh]).
- 119 Gordianus imperat ſex annis
- 120 Philippus regnat annis ſeptem [ii]).
- 124 Decius regnat annis duobus, & tribus menſibus [kk]).
- 125 Cornelius ſedit annis circiter tribus
- 127 Gallus imperator regnat duobus annis, nec integris [ll]).
— Stephanus diem obiit, Xyſtus Epiſcopus eligitur
- 136 Galienus imperator regnat annis XV. [mm]).
— Claudius regnat annis duobus [nn]).
- 139 Aurelianus regnat annos ſex [oo]).
- 140 Dionyſius Papa ſedit annos IX. Gajus cum filiis regnat duobus annis non integris.
- 141 Felix Papa ſedit annos ſex

p. 141

gg) Hic mendum apertum, ſcribendum XIII.

hh) Concordat *Eutropius* IX. 1.

ii) CASSIOD. A. p. 424. Annos 6. EUTROP. c. 3. Anni V. Sed JORNAND. p. 469. ut noſter, VII.

kk) Ita & *Eutropius* c. 4.

ll) Ita & *Eutropius* c. 5.

mm) *Eutropius* c. 8. Annos IX. Sed cum noſtro facit *Caſſiodorus* p. 425. & *Jornandes* p. 469. unde patet, *Eutropium* in mendo cubare.

nn) Ita & *Eutropius* l. c.

oo) *Eutropius* c. IX. Annos V. menſes ſex; ita etiam *Caſſiodorus* p. 425. & *Jornandes* p. 470. Noſter ei ſex integros annos adſignat, quia ſucceſſor ejus *Tacitus* imperio non ultra ſextum menſem potitus fuit; atque hunc Haymonis cum Eutropio parallelismum eum in finem inſtituere placuit, quia *Heumannus* ſupra animadverterat, diſcrepare ſaepe annos Haymonianos ab Eutropianis.

p. 141 Eutychianus sedit quinque annis
- 160 Ex utraque historia permutatum
- 166 Ex tripartita historia
- 169 Sozomenus in tripartita historia
- 170 Socrates ex tripartita historia
- 176 Ex concilio apud Alexandriam
- 182 Athanasius Alexandrinus — moritur.
- 189 Valentinianus regnat decem annis.

B. HEUMANNI

OBSERVATIONES IN PRIMA RELIGIONIS CHRISTIANAE RUDIMENTA.

§. 1. Hunc librum etiam *Freberus* notis illustratum edidit. TENZEL. monatliche Unterred. 1691. p. 640. pp).

§. 2. Psalterium vetus antiqua Germanorum lingua scriptum Saec. IX. meminit LIPSIUS, *Cent. III.* ad *Belgas Epist.* 44. & ex eo vocabula plurima explicata exhibet qq).

*   *
*

P. 3. *Drihten*, significat *Dominum.* Unde apud veteres Gallos *Druidarum* nomen, qui sacerdotes erant. Hodieque Belgae sacerdotes simpliciter vocant *Dominos*, die lutherische Domine.

p. 6. *Emezhic*, emsig.

p. 7.

pp) Haec observatiuncula in fine tituli addita est.
qq) Hoc b. vir adscripserat aversae tituli paginae.

p. 7. *Symbolum Apostolorum.* TENZELIUS *Exerc. sel. P. I. Disp. I.* §. 13 & 20.

— *Macadi*, i. e. Maad, *Virgo.*

— *Ewikeru*, est adjectivum & epitheton virginis. Fortasse wackere, i. e. reine.

p. 8. *Deopdom*, qs. Diebthum, *servitus*, ut olim *fur* significavit *servum.*

p. 9. *Restedaes*, Rasttag.

— *Wyrcead eowe syx dagas and onda seofodon restad eowe, du and din sunu and dine dohter, and din deowe and dine* — d. i. Würket euch sechs Tage, und an dem siebenden rastet euch, du und dein Sohn, und deine Tochter, und dein Dieb, und deine —

— *Weorcnyten*, Werknisse rr).

— *Geworkt beofonas*, gewürket oben.

— *Saes, and ealle gesceasta, de on him synd, and hine gerest on done seofodan dage and* — Seen und alle Geschöpfe, die in ihnen sind, und ihnen ist er gerastet an dem siebenden Tage, und —

— *Hina gehalgode*, ihn geheiliget —

— *Ara dinum Faeder and dinre Moder*, ehre deinen Vater und deine Mutter.

p. 10 *That sy dy leng libbend on cordum. Ne sleah du.* Daß sie die Länge leben ss) an Erden. Nicht schlage du.

rr) *Jumenta*, die da für uns würken, d. i. arbeiten.

ss) Hic mentem scriptoris *Heumannus* non recte percepit. Vertendum erat: daß sey dir lang lebend, i. e. daß gereiche dir zu einem langen Leben; ut *hinc* longaevus fias.

p. 10 *Stala du*, stehl (stiehl) du.
- - *Saege du leas Gewitnesse wid dinum nehstan*, Sage du loß qs Gewißnis wider deinen Nächsten.
- - *Wilna du*, wolle du.
- - *Yrfes mid unrith*, Erbe mit Unrecht.
- - *This syn*, daß seyn.
- - *Settan scealt*, setzen solt.
- - *Hwa*, wer.
- - *Gear*, Jahr.
- - *Or ceapunga*, ohne Gebung.
- - *Swilce braegle*, welche Kräglein.

p. 11 *He wif sylf hebbe*, *gang he ut mid him*, er Weib selber habe, gehe sie aus mit ihm.
- - *Hlaford*, Sclavhirt tt).
- - *Bearn*, geboren.
- - *Donne*, dann.
- - *Yrf*, Erbe.
- - *Breng hine*, bring ihn.
- - *To daere dura daes temples*, zu der Thür des Tempels.
- - *Eare mid eale*, *to tacne that he sy*, ohne mit der Aale, zum Zeichen daß er sey.
- - *Deah*, davon.

p. 12 *Mennenu*, Männin.
- - *Lete hi faran freo on*, lasse sie fahren frey an.
- - *He alyse*, er erlaubet.
- - *Haemaenne*, Männern, (verbum).
- - *Gysta*, Mitgift.

p. 12

tt) Nugas agit vir beatus, nec etymologiam hanc aliquis linguae Anglosaxonum non plane ignarus tolerabit. *Hlaford*, est *dominus*, LORD, ut hodierni Angli adhuc loquuntur. Nil aliud.

p. 12 *Weord*, Werth.
- - *Maeghades*, Magd.
p. 13 *Agyfe*, er gebe.
- - *Do, donne sy heo freob*, thu, dann sey sie frey.
- - *Mon*, Mann.
- - *Gewealdes*, Gewalt.
- - *Offlea*, aufschlagen.
- - *Nedes*, nöthig.
- - *Onwillum*, unwillig.
- - *Gwylce*, welche.
- - *Gif hwa*, wenn, wer, sive jemand.
- - *Gyrnesse*, Gerniß, a gern.
p. 14 *Stane*, Steine.
- - *Fyste*, Fäuste.
- - *Utgongang*, ausgangen.
- - *Stafe*, Stab.
p. 15 *Wyrce his weorce dahweile*, würke sein Werk derweile, i. e. der Zeit.
- - *Maege*, vermag..
- - *Agenne*, eigen.
- - *Ceast*, Zwist.
p. 16 *Fet*, Fuß.
- - *Berning*, Brennung.
- - *Aslea*, ausschlagen
- - *Ut*, aus
- - *Anege*, einäugig.
p. 17 *Ofweorpod*, aufwerfen.
- - *Fläsc aeten*, Fleisch essen.
- - *Twam*, zween.
- - *Aere*, eher.
- - *Forgolden*, vergelten.

p. 17 *To rith findan*, das Recht finden.
p. 18 *Scill. scolfres*, Schilling Silbers.
- - *Gewundige*, verwundet.
- - *Weord eac*, Werth auch.
p. 19 *Nebbe*, nicht habe.
- - *Wyrde*, würde.
- - *Manschläger*, Menschenschläger.
p. 20 *Nyddeda*, genöthiget.
- - *Quicum*, quicken.
- - *Twyfcaldum forgylt*, zweifältig vergolten.
- - *Wingeapt*, Weinschaft.
- - *Ontendet*, angezündet.
p. 21 *Feoh* a Vieh, sicut *pecunia* a *pecus* uu).
- - *Geladige*, erledige.
- - *Dearf*, darf.
- - *Gyldan*, gelten.
- - *Nebbe*, nicht habe.
- - *Getrywige*, trauen.
- - *Beswice*, beschwatze.
p. 22 *Slepe forgyld*, Schlafe vergelte er.
- - *Nylle*, *agyfe*, nicht wille, ergebe.
- - *Gewunia*, gewohnt.
p. 23 *Geferan*, Gefährden.
- - *Borh*, borgen.
- - *Eardian*, erziehen.
- - *Nide*, neide.
p. 24 *Anfäld braegle*, einfältig Kräglein.
- - *Wedde*, Wette.
- - *Aer*, eher.

p. 24

uu) *Danice* LIGGENDE FAE, d. i. liegend Vieh; *thesaurus*, baar Geld, so man liegen hat.

p. 24 *Agysen*, ergeben.
- - *Cleopad*, Klaffen.
- - *Mildheort*, Mildhart xx).
- - *Teodam*, Dezerm.
- - *Wildeor*, Wildthier.

p. 25 *Leases*, lesen
- - *Gedasa*, gut habe.
- - *Wend*, wenden.
- - *Onred*, Unrath.

p. 26 *Dem weolegan*, dem weiblichen.
- - *Leasunga*, Lösung, a lösen.
- - *Ablendap ful wisre Monna Gedeahte*, verblenden viel weiser Männer Gedachte.

p. 27 *Bead*, Gebot.
- - *Acennada*, erkennete.
- - *Bebodu*, Gebote.
- - *Brecanne*, brechen.
- - *Forbeodanne*, verbieten.

p. 28 *Mildheortnisse*, Mildhartniß.
- - *Faerenne*, fahren.
- - *Monega*, manche.
- - *Gecyrden*, gekehrten.
- - *Aetsomne*, zusammen.

p. 29 *Yldran Gebrodern baele*, ältern Gebrüdern Heyl.
- - *Wisead*, wünschen.
- - *Geseran*, Gefährten.
- - *Wisan budon*, weise geboten.

p. 30 *Forbwerfdon*, verwerfen.
- - *Gesonmodon*, gesamleten.

p. 30

xx) Perperam. Mildherzig, *misericors.*

p. 30 *Geduht*, gedeucht.
- *Nane bürden*, nicht eine Bürde.

p. 31 *Noldon*, nicht sollten.
- *Neddearf*, nothdürftig.
- *Deofulg*, Teufel.
- *Weordigen*, würdigen.
- *Odrum Monum*, andern Männern s. Leuten.
- *Disrum anum*, diesen einen.
- *Gedencean*, gedenken.
- *Aegwelcre*, jeglicher, a jegwelcher, sive auch welcher.
- *Dearfe*, darf.
- *Nanum*, nicht einen.

p. 32 *Sohte*, suchet.
- *Manega*, manche.
- *Geleasan onfengon*, Glauben anfangen.
- *Witena*, Weisen.
- *Maestra hwylcra*, meisten welcher.

p. 33 *Misdaede*, Missethat.
- *Weoruld*, Werlet sive Welt.
- *Leafan*, erlauben.
- *Bebead*, Gebot.

p. 34 *Monegum*, manchen.
- *Monegra mennisera Misdaeda*, mancher menschlicher Missethat.
- *Het*, heist.
- *Forgengran*, Vorgänger.

p. 36 *Forlete*, verlassen.
- *Be adum*, bey Eyden.
- *Weddum*, Wetten.
- *Ael aerestan*, aufs erste.

p. 36 *Aeghwylce*, auch welche, jegliche.
- *Ad*, Eyd.
- *Wed*, Wette.
- *Hweterum*, zweyten.
- *Genyd*, genöthiget.

p. 37 *Aenigum*, einigen.
- *Fultume*, Vielthum.
- *Gelaestanne*, leisten.
- *Aleoge*, erlogen.
- *Eadmodum*, Demuth.
- *Waern*, Gewehre.

p. 38 *Geresa*, Grafe, quasi Gerufener, *advocatus*.
- *Dolige*, zahle.
- *Waerna*, Gewehr.
- *Yrfes*, Erbe.
- *Fyrst*, Frist.
- *Odfleoh*, entfliehe.

p. 39 *Borh*, Bürge.
- *Borhbryce*, Bürgebruch.
- *Weddebryce*, Wettebruch.
- *Hwylcre scylde gesece*, welcher Schuld gesuche.

p. 40 *Gebeorganne*, verbergen.
- *Dingian*, dingen sive gerichten.
- *Fyrste*, Frist.
- *Oeghylc*, jeglich.

p. 41 *Borhbryce*, Bürgbrechung.
- *Wisige*, witzigen, sive strafen.
- *Pundum maera peninga*, Pfunden mehr Pfennige.

p. 42 *Wergylde*, Wehrgeld.

Atque

Atque haec ſunt, B. L. quae in uſum tuum ex B. *Heumanni* libro fideliter transſcripſimus. Potuiſſet dubio procul vir doctus, meliora atque doctiora, & in Haymonem, & in Rudimenta iſta dare; verum enimvero non eum in finem ſcripſit, ut nugas has publici juris faceret; quare ſi Tu iniquiorem cenſorem, quam par eſt, te praebes, injurius non in Heumannum ſed in noſtra ſtudia es, qui nec ea invidenda Tibi duximus, quae ſibi modo B. vir, non publico, ſcripſit. Sin vero peccatum a nobis aliquid, certe bono deliquimus animo, quare quoque ſi laudare opellam hanc nequis, nobis tamen veniam Tuam, jure quodam noſtro expetimus. Vale & fave. A. J. P.

XI.

JOHANNIS FLODERI

IN ACADEMIA UPSALIENSI GRAECAE LINGUAE PROFESSORIS REGII ET ORDINARII

DISSERTATIO DE ATE HOMERICA.

§. I.

Phoenix Homericus, Achillis flexurus animum, adversus omnes Graecorum lacrimas & preces obstinatum, quantum cujusque interesset, non obfirmate resistere supplicantibus, eleganti ostendit εἰδωλοποιΐα, quae illinc sistebat ἄτην, ad damna inferenda intentam & pronam, atque hinc λιτὰς, quae pone sequantur atque ad illatas leniendas injurias adnitantur. Illam vero ita exprimit & effingit a):

Ηδ' Ἄτη θεναρή τε καὶ ἄρτιπος, οὕνεκα πάσας
Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
Βλάπτουσ' - ἀνθρώπους - - -

Sed

a) Iliad. IX. 501.

Sed expressiorem tamen ejus imaginem Deae format apud eundem vatem b) Agamemnon:

> Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται
> Οὐλομένη, τῆς μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες· οὐ γὰρ ἐπ' οὔδει
> Πίλναται· ἀλλ' ἄρα ἥγι κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει,
> Βλάπτουσ' ἀνθρώπους.

Quibus subjungit dolosi commemorationem consilii, quo ipsum etiam Jovem in fraudem illicere sit adgressa, atque addit, ideo iratum illum de coelo praecipitavisse monstrum, adjectis minis, ne eo unquam reverteretur:

> Αὐτίκα, inquit, εἷλ' Ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο
> Χωόμενος φρεσὶν ᾗσι, καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον
> Μήποτ' ἐς Οὔλυμπόν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
> Αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην ἣ πάντας ἀᾶται.

Quae postrema imaginis hujus pars eo induxit interpretum nonnullos, ut non Ἄτην crediderint esse poëticum Numen, ad veritatem insinuandam moralem unice effictum, sed cogitandum exhibere aliquid existentis rei, cujus, πατροπαραδοσίας ope, ad HOMERUM derivata sit cognitio. Quare nec

 nos

b) Iliad. XIX. 96. & seqq.

nos pigebit, paucis, ut temporis & virium ratio tulerit, exposuisse, & quid alii de hac Dea senserint, & quomodo, nostra quidem sententia, non incommode explicari queat.

§. 2.

Credidisse HUETIUM c), Homericam Ἀτην dissimulare Evam, primam humani generis parentem, hoc minus miramur, quod illum novimus, justo, quam par forte fuerit, licentius suo indulgentem ingenio, nullarum ferme non fabularum, & rituum profanorum originem ex Mosis historia repetere. Ut vero dicere posse videaris, illam fabulae partem, qua de coelo detrusa dicitur Ἀτη, quod dolis lusisset Jovem, cujusdam cognationis specie contingere illam Mosis relationem, qua paradisi & primigeniae possessione felicitatis deturbata traditur Eva, nihil tamen praeterea inveneris, quod vel minimum aperiat suspicandi locum, eo adlusisse Poetam. Minus forte dixeris Annam DACIERIAM conjectura aberravisse, dum in Homerica Ἀτη non obscura cacodaemonis indicia se observavisse fatetur Postquam scilicet in observationibus, quas adornatae a se Homericae Iliados versioni Gallicae subjunxit, disseruit nonnihil de sensu versiculi supra adlati, αὐτίκα εἷλ᾽-

c) Demonstr. evang. prop. IV. cap. II. §. 3. & prop. IV. cap. X. §. 6.

εἷλ' ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο, haec addit: *Mais ce n'est pas, ce qu'il y a de plus important dans ce passage. C'est la fiction, qu'il renferme; fiction très remarquable en ce qu'elle prouve, que les Payens ont connu, qu'un Démon de discorde & de malediction étoit dans le ciel, & qu'il fût precipité en terre; ce qui s'accorde parfaitement avec l'Histoire sainte.* Et mox: *Homere y rend un temoignage authentique à la verité de l'Histoire d'un ange precipité du ciel, & il le rend plus de cent ans avant, qu'un des plus grands Prophétes en eût parlé. Car peut-on douter, que cette idée ne soit tirée de la verité même?* Est autem Propheta ille, quem, post HOMERUM, eandem veritatem suo confirmasse testimonio dicit, ESAIAS, cujus verba *Cap. XIV. 12: Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer! fili aurorae?* ad casum angelorum respicere existimat DACIERIA, atque ante illam JUSTINUS MARTYR. d); qui etiam in Homericae expositione Ἄτης illi facem praetulisse videtur. Ita autem ille: *Si quis adcuratius speculari velit, comperiet quidem Poetam* (Homerum) *Diaboli nomen non usurpare, sed ex actionibus suis pessimis cognominationem illi aptam adcommodare; Aten enim h. e. Noxam Poeta illum adpellans, e coelo ab eo, qui opinione eorum est, Deo deturbatam esse ait, perinde ac si verborum ab Esaia vate de illo dictorum probe meminisset.* Neque quidem nos dixerimus,

 nullam,

d) Orat. ad Gent. Conf. PFANNERI Theol. gent. cap. VI. §. 7.

nullam prorſus malorum geniorum notitiam ad gentiles permanaſſe, quum non infrequens in illorum ſcriptis occurrat mentio *κακῶν δαιμόνων* & *ἀλαςόρων*, qui malorum inter homines graſſantium auctores eſſe perhibentur, a quibus ſi diverſos fuiſſe dixeris Empedocleos illos, quorum PLUTARCHUS e) meminit, *θεηλάτους καὶ οὐρανοπετεῖς δαίμονας*; inde ſaltem concludendi copia eſt, non prorſus nihil inaudiviſſe gentiles de quorundam lapſu Daemonum. Ut vero etiam illa loca, quibus HOMERUS meminit de *καλεποῖς, ςυγεροῖς* & *κακοῖς δαίμοσι*, fidem nobis facerent, habuiſſe illum opinionem, quae per aliorum animos pervaſerat, eſſe geniorum ordinem, qui in mala impelleret mortales; inde tamen haut forte coëgeris, *ἄτην* illam vel generatim deſignare totum illum malorum geniorum chorum, vel ſpeciatim eorum unum, in fraudem illiciendis hominibus praeſidentem. Profecto enim ſi & ipſum, cui *τῆς ἄτης* mentio inſeritur, inſpexeris orationis contextum, & hunc contuleris cum loquendi modo, quem alias ſequitur Poeta, facile induceris, ut credas, in commentitia perſona repraeſentari vel noxam ipſam, vel *ἀβουλίαν* illam mentisque impetum, quo in vitia & ſcelera abripiantur homines, neque adeo, qui ſe legentium oculis ingerit, humani habitum oris

e) De vitando aere alieno p. 830.

oris magis debere cuiquam dare locum suspicandi, effingere voluisse Poetam existentem substantiam, quam, quae illi junguntur, ταῖς λιταῖς adsignatam speciem contuendam oculis, arguere quasdam existentes divinitates, aut Homericam ἔριν:

Ἥτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει f).

vel Virgilianam famam, quae est:

Parva metu primo, mox sese adtollit in auras
Ingrediturque solo & caput inter nubila condit g).

Ceterasque species, quas fertile Poetarum ingenium procudere suevit, esse totidem Deas, quas existere ipsi credidissent. In eo ergo nostra nunc perbrevis opera versabitur, ut, quam dedimus, explicationem Ἄτης, non improbabilem esse ostendamus.

§. 3.

In altero, quem ex *Iliados L. IX.* excitavimus, loco designare ἄτην, *noxam* vel injuriam ex vesana mentis libidine profectam adeo est manifestum, ut ipsi quoque *Dacieriae* commodissimum sit visum reddere illam gallice: *injure;* quamvis & hic in eam se propendere sententiam indicet, quam ad

f) Iliad. IV. 442.
g) Aeneid. IV. 176.

L. XIX. uberius explanat. Dicit enim in subjunctis observationibus: *La Deésse, que j'apele ici L'injure, est la Deésse Até, ce Demon de discorde & de malediction, qui est si bien decrit dans le 19 Liv.* Age vero! videamus, an, ut eo confugiamus, necesse omnino sit. Missi Nestoris suasu erant ad Achillem legati, qui asperum ira animum ejus mitigarent, admotis precibus, & largorum promissione munerum. Sed surdo jactabantur omnia. Obstinaverat enim animam, non opitulari Graecis, sed in patriam primo quoque tempore reverti. Qua mentis asperitate motus Phoenix, qua apud Pelidem, quo inde ab infantia familiariter fuerat usus, auctoritate valeret, experiendum duxit: admonet in ceteris eum Deorum exempli, qui, quamvis crebris lacessantur hominum injuriis, sacrificiorum tamen honore & precum interventu mitescunt. Hinc adrepta occasione, quod supplicantibus & injuriosis accidere deprehenderat usu, commoda εἰδωλοποΐια transfert in λιτὰς & ἄτην. Hanc dicit robustam esse, & pedibus valentem, illas vero claudas, & rugosas pone sequi & illatas sanare injurias: qui has reverenter habet: illum, inquit, multo cumulare solent bono, & quo ipse voluerit, preces deferre; quum contra, si quis eas contumeliose repulerit, adeant Jovem atque id impetrent, ut eum insectetur ἄτη, donec stultitiae poenas luerit. Expendamus singulas pictae tabulae par-

partes, ut quid inclusum sit moralis veritatis manifestius pateat.

ΑΙΤΑΙ ΕΙΣΙ ΔΙΟΣ ΚΟΥΡΑΙ ΜΕΓΑΛΟΙΟ.

Precum natales repeti aliunde non possunt commodius, quam quidem a Jove, cujus voluntati congruenter vixerit, qui delicti veniam precibus exposcere non neglexerit: quare etiam tam augusta origo permultum contulerit ad precationum commendandam dignitatem. Nec absimili imagine expressisse dicitur ORPHEUS λιτῶν majestatem ἐ γὰρ, inquit, ἄτιμοι Ἱκεσίȣ Ζηνὸς κȣ̃ραι λιταὶ h).

ΧΩΛΑΙ ΤΕ ΡΥΣΑΙ ΤΕ, ΠΑΡΑΒΛΩΠΕΣ Τ' ΌΦΘΑΛΜΩ.

Triplici nota heic internoscuntur λιταὶ, qua tamen supplicantium habitus & status in imagine tantum spectandus exhiberi putetur. *Claudae* dicuntur, non eodem sensu, quo LYCOPHRON i) vocat Parcas γυὰς, ob inaequalem fatorum distributionem, sed quod accidere plerumque sueverit, ut tarde progrediantur, & vix supplices esse audeant illis, quos injuria laeserint, subnato ad delicti conscientiam pudore gressusque reprimente concitationem & alacritatem. Et si quidem rei gestae non simulata poenitentia excitaverit supplicandi studium, prodat sese illa oportet quadam vultus tristitia & torvo obtutu, quem veniam precantibus ferme pro-

h) Conf. NAT. COM. Mythol. L. II. cap. I.
i) Cassandr. 144.

proprium σκυθρωπασμὸν effinxit Poeta eleganter in imagine foeminarum ῥυσσῶν, quae corrugatam habent faciem. Neque alio spectare dixeris, quod λιταὶ dicuntur παραβλῶπες ὀφθαλμῶ. Quam vero id apte exprimat precantium habitum, facile inde fuerit existimatu, quod παραβλέπειν & ἀτενίζειν sibi opponi soleant. Est autem ἀτενίζειν fixis & immotis oculis aliquem adspicere, quod illi demum facere possunt, qui nullius sibi conscii sunt mali, nullaque pallescunt culpa. Est ergo παραβλέπειν obliquis tueri oculis, quod usu venire solet illis, quos pudor & malae stimuli conscientiae agitant. Itaque τό παραβλέπειν arguit δυσωπίαν, & convenit illis, quos agnitus error ad veniam implorandam impulerit. EUSTATHIUS ad hunc locum, exponit: παραβλῶπας τὼ ὀφθαλμῶ, διεστραμμένας τὴν ὄψιν, παραβαλλούσας τοὺς ὦπας, & rationem reddit cur λιταὶ dicantur παραβλῶπες: διότι οὐκ ἱλαρὸν τὸ βλέμμα τοῖς λιταζομένοις. DACIERIA ad suae linguae gentisque genium adcommodate reddit παραβλῶπας: *toujours les yeux baissés.*

ʿΑΙ ʿΡΑ ΤΕ ΚΑΙ ΜΕΤΟΠΙΣΘ᾽ ΑΘΗΣ᾽ ΑΛΕΓΟΥΣΙ ΚΙΟΥΣΑΙ.

Qui se peccandi libidine sive τῇ ἄτῃ permiserit, is, quid inde ad se redundaturum sit incommodi, parum habens pensi, pronus in flagitia ruit: at postmodum, ubi sedatus turbo

turbo rem expendendi otium dedit, agnita ſtultitia, non aliud ſibi relictum eſſe remedium fatetur, niſi, ut laeſi intercedat irae, precibusque expiet noxam. Id oſtendit Poeta his verbis: αἱ λιταὶ κιῦσαι μετόπιϑεν ἄτης ἀλέγυσι pone ſequuntur preces, curam gerentes ἄτης ſc. ſanandae: h. e. curae ipſis eſt, ut expietur noxa, & mitigetur animus, ἄτης culpa alienatus.

ΗΔ'ΑΤΗ ΣΘΕΝΑΡΗ ΤΕ ΚΑΙ ΑΡΤΙΠΟΣ.

Apte in hac pictura cohaerent inter ſe omnia: λιταὶ finguntur claudae, quaſi curſu adſequi non valerent praecurrentem ἄτην, ut quae ſit ϑεναρὴ καὶ ἄρτιπος robuſta & ἄρτιος τῷ πόδι integra pedibus, id enim ſonat compoſitum ἄρτιπος, quod ita dicitur κατ' ἀποϐολὴν τῦ υ, pro ἄρτιπυς, ut ἀέλλοπος uſurpatur pro αελλόπυς, ἀνέλιπος pro ἀνελίπυς. Tributum autem τῇ ἄτῃ ϑένος indicat violentiam, & profuſam nocendi libidinem vel firmiſſima poſſe labefactare, & evertere robora: & quum late illa graſſetur, & velociſſimo impetu per omne ruat nefas, dantur illi ἄρτιοι πόδες. Neque quae ſequuntur verba ὕνεκα πάσας ſc. λιτὰς, πόλλον ὑπεκπροϑέει, φϑάνει δὲ τε πᾶ[illegible] ἐπ' αἶαν βλάπτυσ' ἀνϑρώπυς, alio valen[illegible]ſi ut indicetur violentum laedendi impe[illegible]m antevertere adcuratiori rei penſitationi, quae, ubi poſtmodum ſibi locum vindicavit, excitare ſolet λιτὰς, ἀι ἐξακέονται ὀπίσσω, quae in id incum-

cumbere sueverunt, ut noxae medeantur. Quod si vero jam, dicit porro Poeta, accedentes Jovis filias benigne quis exceperit, τόνδε μέγ' ὤνησαν καί τ' ἔκλυον εὐξαμένοιο; h. e. qui facilis impetrandae veniae fuerit, is aliorum sibi animos ita conciliat, ut promtam ipsi operam & studium navare velint, sponteque ignoscant, si quando & ille delinqueret. Contra vero, si aures claudantur ταῖς λιταῖς offensae repulsa Jovem adeunt, suppliciter postulantes, ut duros homines tamdiu insectetur ἄτη, donec poenas expendant implacabilis animi. In qua imagine alternae juvandi vices permultum habent venustatis: τὴν ἄτην naturali ordine sequuntur λιταὶ, medicinam facturae malo, quod intulit illa; hisce vero spretis & repulsis istam rependit ἄτη officii vicem, ut illarum ulciscatur contemtum. H. e. qui implacabiles se praebent supplicantibus & inexpiabiles, incendunt in se aliorum odia; unde fit, ut, quum illos detestentur omnes, omnium quoque iniuriae opportuni habeantur. Ex hisce patere opinor, nihil in Homerica ista fictione esse, quod non menti humanae naturalem motuum successionem, commode exprimat, ut non esse videat[illegible] cur latentem illic Cacodaemona quae[illegible]. At manifestiora, dicis, mali genii ind[illegible] ostendit alter, quem ex *Iliados L. XIX.* excitavimus, locus, ut qui & ortum & fatalem τῆς ἄτης casum pandat persimilem illi, quem sacrae litterae tribu-

unt

unt Diabolo. Breviter ergo excutiamus & illum oportet.

§. 4.

Quum ſedata ira, in gratiam cum Graecis rediiſſet Achilles, ita, coram frequenti procerum conſeſſu, ſuum crimen purgat Agamemnon, ut a ſe culpam amoveat in Jovem, Parcas & Furias, quae ſibi in mentem immiſſiſent *ἄτην*, quam ita depingit: ΠΡΕΣΒΑ ΔΙΟΣ ΘΥΓΑΤΗΡ ΑΤΗ, Ἡ ΠΑΝΤΑΣ ἈΑΤΑΙ, ΟΥΛΟΜΕΝΗ. Heic praecipuum ſibi inveniſſe videntur robur, quo ſuam muniant ſententiam, qui *ἄτην* exponunt *malum genium.* Non enim, inquiunt, ſi vitium mentis humanae intelligeretur, poſſet ad Jovem referri parentem. At licet certiſſimum hoc ſit, ſi ad veritatem res exigatur, alio tamen nos gentilium philoſophemata duxerint. Ita enim cuncta ſubjecerunt moderationi Deorum, ut poenam meditantes eos dixerint humana nonnunquam corrumpere conſilia, ſanam eripere mentem atque in peccandi libidinem impellere. Hac eos via graſſari ad vindictam docet Poeta apud GRAEVIUM k).

Ὅταν γὰρ ὀργὴ Δαιμόνων βλάπτει τινὰ
Τϋτω τό πρῶτον ἐξαφαρεῖται φρενῶν
Τὸν νϋν τὸν ἐθλὸν εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
Γνώμην, ἵν᾽ εἰδῆ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Sed

k) Lect. Heſiod. p. 4.

Sed quid aliorum opus est testimonis? Ipse sui interpretem agat HOMERUS. Videtur quidem ille nonnunquam malorum, quibus humanum obnoxium est genus, caussam a Diis suis avertere, sed sic tamen, ut eos non prorsus exsolvat culpa illius erroris & insaniae, qua acti interdum mortales coeci ruunt in sibi nocitura flagitia. Id palam profitetur Penelope, ita suam adfata nutricem:

Μαῖα φίλη, μάργην σε θεοὶ θέσαν, οἵτε δύνανται
Ἄφρονα ποιῆσαι καὶ ἐπίφρονά περ μάλ᾽ ἐόντα.

Et certe si ceteris nostra consenserit explicatio: non inde quidquam veremur detrimenti, quod Jovis filia dicitur, quum Agamemnon ipse & *92* & *142* *vers.* diserte ad Jovem auctorem referat insaniam illam, qua impulsus laeserat Achillem. Itaque dum hanc humanae mentis labem voluit Poeta γενεαλογεῖν, non alium ipsi adsignare potuit parentem, quam quidem Jovem ipsum. Quod autem dicitur πρέσβα h. e. πρέσβεια vel πρέσβειρα, διὸς θυγάτηρ, eo dicit EUSTATHIUS in *Comment.* respici vel ad χρόνον, ἀεὶ γὰρ ἐν ἄτῃ τὰ κατ᾽ ἀνθρώπους vel ad τιμὴν, ὡς χρεὼν ὂν ἐκθύεσθαι τὴν ἄτην οἷα δυναμένην βλάπτειν καὶ ὀλομένην.

ΚΑΙ ΜΕΝ Θ' ΑΠΑΛΟΙ ΠΟΔΕΣ.

Tribuuntur Ἄτῃ ἁπαλοὶ πόδες, quod vesanus nocendi impetus saepe non intellectus obrepit, nec indicato accessu non opinantibus ingruit. Contra si fieret, oporteret illam esse σκληρόποδα.

ΟΥ ΓΑΡ ΕΠ' ΟΥΔΕΙ ΠΙΛΝΑΤΑΙ ΑΛΛ' ΑΡΑ ΗΓΕ ΚΑΤ' ΑΝΔΡΩΝ ΚΡΑΑΤΑ ΒΑΙΝΕΙ.

Qua imagine expictam dixeris esse summam ἄτης velocitatem, qua, non pedibus tacta humo, lapsa per auras, vel solo adflatu noceat. Sed sic tamen haut forte videbimus a verisimilitudine ablusisse, si dicamus, indicare voluisse Poetam in capite enatam ἄτην capita ferire aliorum h. e. in perniciem & damna praecipitare. Id enim significare solent & Graeci & Romani istis & adfinibus loquendi formis. Dum Penelope apud HOMERUM l) ita adloquitur ancillam:

> Πάντως θαρσαλέη κύον ἀδεὲς ὅτι με λήθει
> Ερδουσα μέγα ἔργον, ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις.

Significat proterva famulae dicta & facta mala ipsi esse importatura. Et, quod cuiquam est incommodo futurum & detrimento, id a latinis scriptoribus dicitur in caput ejus recidere. Nec a nobis dissentit EU-STA-

l) Odyss. XIX. 91.

STATHIUS. Dicit enim: *ἄτην* fingi *βαίνειν κατὰ κράατα, διότι ὀ πίπτει χαμαὶ, ἀλλ᾽ εἰς κεφαλήν τινος ἀποσκήπτει τήν ἀτυχίαν ἤ καὶ ἐπεὶ ἐξ ἁμαρτίας τοῦ κατὰ κεφαλὴν λογιστικοῦ καὶ βλάβης αἱ ἄται γίνονται.*

Hinc longius digressus Agamemnon commemorat, qua ratione ipsi quoque Jovi illuserit *ἄτη*, & quomodo sit ab irato Deo ex Olympo detrusa. Quam fabulae partem supra indicavimus ad casum Daemonum referri a DACIERIA. Est autem haec narrationis series. Quum tempus adesset, quo, ruptis maternis claustris, in lucem proditurus esset Hercules, jactat in Deorum coetu Jupiter, nasciturum esse eo die, qui vicinis imperaret gentibus. Hoc quum audivisset Juno, dolo coepit illico animum intendere. Nam, quasi dictis diffideret, jussit Jovem promissa confirmare non violanda juris jurandi religione: Fecit, ut jussus erat, Deus, nihil suspicatus fallaciae subesse. At delusum se esse animadvertit postmodum: Juno enim gaudio exsultans adiit mox Deam parturientibus praesidentem, eoque precibus induxit, ut intra materna viscera, cohiberet tantisper Herculem, dum nasceretur Eurystheus, qui justa nondum compleverat tempora: Qua factum est fallacia, ut Herculi destinatum imperium cesserit Eurystheo. Quod si jam quaesieris, quae fuerit illa *ἄτη*, quae in fraudem illexerit Jovem, respondendum putamus, nullas

las in hac ſtruenda ſcena fuiſſe δαίμονος cujusdam partes, ſed totam reſidere culpam in Junonis dolo, & Jovis inconſiderantia, qua factum ſit, ut, quum non ignoraret, qua eſſet ejus conjux aſtutia & Zelotypiae aerugine infecta, tam facilis tamen fuerit, ad id juramenti religione ſanciendum, quod ipſi ſuaeque proli foret detrimento. Intelligi autem ἄτης nomine iſtam Jovis ἀβουλίαν, ne ipſe quidem diffiteri videtur HOMERUS. Praeterquam enim, quod in toto hujus fabulae contextu nihil continetur, quod vel leviſſimam praebeat ſuſpicationem, κακοδαίμονα ſe huic immiſcuiſſe negotio, palam facit ipſe, cujus generis ἄτῃ adſignentur laedendi partes. Poſtquam enim dixerat v. 100. ἄτην laeſiſſe ipſum Jovem, ἄριστον ἀνδρῶν ἠδὲ Θεῶν, explicaturus quaſi quorſum valeret quod aliquanto videri poſſet obſcurius, haec addit:

— — ἀλλ' ἄρα καὶ τὸν
Ἥρη θῆλυς ἐοῦσα δολοφροσύνης ἀπάτησε.

Et quum progreſſus narrationis ad illud eum duxiſſet rei momentum in quo ſuam maxime vim & efficaciam prodiderit ἄτη, haec habet de Jove:

— — Ζεὺς δ' οὔτι δολοφροσύνην ἐνόησε.

Ut adeo definite in hoc loco non aliud ἄτης nomine intelligi videatur, niſi inconſultum Jovis conſilium, quo, non penſitatis rei momentis omnibus, ſubdola conjugis lin-

qua se permoveri passus sit ad illud committendum, cujus eum postmodum poeniteret. Nam quoties deinde vidit Herculem impotenti Euristhei imperio obnoxium, recordatus ἄτης ingemuit, dicit Poeta *v. 137.* h. e. subirascebatur quasi stultitiae suae, qua temerario juramento hanc gnato suo acceleravisset injuriam. Neque difficile fuerit intellectu, quorsum spectet ultimus fabulae actus, quo de coelo praecipitata dicitur ἄτη: Nempe quum se foeminea astutia delusum videret Jupiter, aegre id ferens statuit apud animum, in rebus agendis futurum se postea esse cautiorem & magis providum, nec passurum unquam, ut ulla se ejus negotiis ingerat fallacia. Et si quidem fas foret in fabulis Homericis abstrusa scrutari praecepta, vel morum concinnitatem, vel sobriam reipublicae administrationem inculcantia, adstipularemur EUSTATHIO, dicenti: moneri tacite hac fabula, quibus rerum cura publicarum est commissa, ut expergiscantur, nec temere quidquam faciant & inconsulto, omnique caveant opere, ne, qui proxime sunt, eos circumveniant & opprimant. Ut vero speciatim, quae Jovem laesit, ἄτη illa non alia fuit, quam mentis ἀβελία: ita nec aliud dissimulat ista ἄτη, in quam culpam inclinat Agamemnon. Saepius enim palam fassus erat Atrides stulte se fecisse, quod magis paruerit privatae irae, quam publicis Graeciae commodis. Quid vero

vero hoc aliud eſt, quam mentis quodam errore ſe actum fuiſſe in facinus multiplicis foecundum incommodi? Et quid multa? Poſtquam Agamemnon multa commemoravit de Ate, ejus violentia & caſu, redit in memoriam illius damni, cujus cauſa extitiſſet illa, & dicit: ſe nunquam poſſe oblivíſci ἄτης ἧ πρῶτον ἀάσθη, ſed hoc explicat *v. ſeq.* τῶ φρένας ἐξελέσθαι, μεῦ, inquit φρένας ἐξέλετο ζεύς. Unde palam eſt, dum Ατη dicitur impuliſſe Agamemnonem ad violandum fortiſſimum Graecorum, Achillem, ſignificari, Jovem ipſi eripuiſſe ſanam mentem, h. e ex inconſiderantia & vago mentis errore facinus eum admiſiſſe, quod poſtea putaverit largiſſimis expiandum eſſe muneribus.

§. 5.

Neque, aliis locis, in quibus non σωματοειδὴς ſiſtitur ἄτη, non convenit illa notio, quam hactenus vocabulo huic vindicavimus. Et quidem, quaenam ſit ſaepius nominata Agamemnonis Ἄτη, docuerint etiam Patrocli verba ad Myrmidonas m):

Γνῷ δὲ καὶ Ατρείδης εὐρυκρείων Αγαμέμνων
Ην ἄτην, ὅτ' ἄριςον ἀχαιῶν ὐδὲν ἔτισε.

h. e. agnoſcat Agamemnon ſuam noxam, vel potius ſtultitiam & inſanum furorem, qui

m) Iliad. XVI. 272. coll. I. 412.

qui ipsum abripuerit ad laedendum fortissimum Graecorum. Neque alio sensu dicitur Helena n), verso ad saniora animo, suam doluisse ἄτην h. e. pristinam stultitiam, quae in multa ipsa praecipitavisset mala, peregrinos secutam hymenaeos. Quae vero denique sit ἄτη illa, quam ἀεσιφρονὶ θυμῷ forisse dicitur Centaurus o), palam faciunt antecedentia, ubi, immoderate hausto vino, insaniens fertur armis irruisse in Lapitas. Quod si jam alios consulere placeat scriptores Graecos, nonnihil inde praesidii accedere videbimus nostrae explicationi. HESIODUS p), quum in *Theogoniae*, opere non naturalibus tantum rebus, sed virtutibus quoque & vitiis, humanam circumfundat speciem, non obliviscitur ἄτης, sed ad aliam tamen, quam quidem HOMERUS, eam refert originem; dicit enim, eam esse natam ἔριδος & sororem λήθης, λίμȣ, ὑσμίνης, φόνȣ, μαχῆς etc. quae totidem sunt mala ex contentionis scaturigine emanantia, ut adeo Hesiodea ἄτη admodum propinqua cognatione Homericam contingere videatur. Et dum Trojanos colles LYCOPHRON q) vocat Ἄτης λόφȣς non existimavero indicari, illos malo genio dicatos paruisse, sed, quod Dar-

n) Od. IV. 261.

o) Od. XXI. 30.

p) Theog. 226.

q) Cassandr. I. 29.

Dardani aetate praemonuisse oraculum refert CANTERUS [r]) noxae fuisse obnoxios, qui illos coluerunt.

XII.

JO. CHRIST. WERNSDORFII

COMMENTATIO

AD LOCUM T. CALPURNII

ECL. I. v. 84. seq.

SIMUL DE ἀποθεώσει IMPERATORUM ROM. OBSERVATA NONNULLA AD LOCUM EPITHALAMII MAXIMIANO ET CONSTANTINO DICTI, CAP. XIV ET AD NUMUM QUENDAM CONSTANTINI M. PROFERUNTUR (*).

Est sane e pulchrioribus vetustatis Romanae carminibus Ecloga prima Titi Calpurnii, qua

r) Not. ad h. l.

(*) Equidem dissertatio haec viri clarissimi maxima ex parte programmatis loco jam MDCCLXV edita fuit Helmstadii. Sed quum non solum ejusmodi scriptorum academicorum pauca typis excudi exempla, eaque ad pauciorum manus pervenire; imo distri-

qua Caro Imperatori, filiisque ejus, Carino & Numeriano, auſpicia imperii gratulatus eſt. In ea fingit, oraculum ab ipſo Fauno in ſacra fago deſcriptum, quo feliciſſima recentis imperii tempora denuntiantur, a paſtoribus inveniri & recitari. Quo pacto perelegans quidem, ſed paullo perplexius & obſcurius carmen fundit, quod ei gratiam vaticinii conciliare, & induſtria verborum ambages adhibere voluit, Virgilium in ecloga IV imitatus. Sed nulli impeditiorem ſenſum, quam extremi ejus verſus habent, quos idcirco hac commentatione paullo accuratius explanare animus eſt:

Scilicet ipſe Deus Romanae pondera molis
Fortibus excipiet ſic inconcuſſa lacertis,
Ut neque translati ſonitu fragor intonet orbis;
Nec prius ex meritis defunctos Roma Penates
Cenſeat, occaſus niſi quum reſpexerit ortus a).

Quantopere torſerit hic locus interpretes, e diſſenſu eorum incredibili & varietate ſententia-

distributa a pueris juvenibusve dilacerari, iniquiſſimamque ſaepe ſortem, immerito certe! experiri ſoleant; ſed praeſtantiſſimus quoque auctor novis illam curis reviderit auxeritve: gratam illam compluribus Muſei noſtri lectoribus acceptamque futuram eſſe credidimus. *F. St.*

a) Calpurnius Ecl. I. v. 84.

tentiarum patet, quas quidem exponere & ſub examen vocare non vacat, ſingularum tamen ſummam paucis verbis complectemur, ut intelligatur ſaltem, operam, quam in alia accuratioreque ejus loci explicatione ſumſimus, non ſupervacuam & inanem fuiſſe. Igitur Diomedes Guidalottus hanc loci ſententiam eſſe putat, nunquam ruiturum Romanum imperium, aut Romam ipſam interituram: Gerardus Kempherus, non tranſiturum imperium Romanum ad barbaros Orientis populos, ſigillatim Parthos, ſed hos potius brevi ſubjiciendos Occidenti vel Romanis. Iſaacus Voſſius [b]) poëtam putat Caeſaribus longaevam immo immortalem vitam precari. Denique Hugolinus Martellus, Caſpar Barthius, & quidam alii, poetam exiſtimant de ſucceſſione novi Imperatoris, & ſuſceptione imperii, ſine motu & tumultu futura, loqui, ſed in ſingulis verbis explicandis ipſi haud parum diſcrepant. Gronovius [c]) hanc quidem interpretationem recipit, ſed verſuum extremorum difficultate offenſus pleraque verba ita mutat, ut fere nullum receptae lectionis retineatur:

Nec prius emeriti defunctos Roma parentis
Sentiat occaſus, gnati quam adſpexerit ortus.

 Bur-

b) In Obſerv. ad Catul. p. 276.

c) L. 3. Obſerv. 13.

Burmannus d) non abhorret ab emendatione Gronovii, qua nihil eſt audacius, tantum, quod *defunctos occaſus* ei durius dictum videtur, ſic mavult legere: *Nec prius emeritos defuncti Roma parentis ſentiat occaſus, niſi jam reſpexerit ortus.*

In tanto ſententiarum divortio ſane operae pretium eſt, locum Calpurnii de integro excutere, & de vera ejus ſententia diſpicere. Quam quidem ita dabimus, ut neque a recepta lectione, quam omnes libri probant, ullo in verbo recedatur, neque in ipſa ſententia quicquam obſcurum & difficile relinquatur. Ita vero locum exponendum exiſtimo: Ipſe Deus grave Romani imperii onus, tanta ejus tranquillitate, & tanta cum virtute ſuſcipiet, ut ex illa mutatione imperii, dum in manus ſucceſſoris transfertur, nulla commotio, nullus tumultus oriatur, nec prius Roma defunctum Caeſarem ob merita acceſſiſſe putet Diis Penatibus, quam eum occaſum exortus novi principis palam fecerit. Verba *Ipſe Deus* videntur quidem aliquem coeleſtium, ipſum auctorem oraculi, vindicem imperii promittere, nec tamen alium ſignificant quam Carum Imperatorem. Hic enim appellationem Dei vivus ambiit & accepit. Vnde numi ejus inſcripti ΘΕΩ ΚΑΡΩ, ET DEO ET

d) In not. ad h. l.

ET DOMINO CARO AUG. e) Calpurnio noſtro & Nemeſiano fere perpetuum eſt Carum vocare *Ipſum Deum*, ut praerogativa aliqua prae filiis Auguſtis inſigniant. Sic ecloga noſtra v. 46: *Dum populos* DEUS IPSE *reget*, & ecloga quarta v. 48, *non ipſe daret mihi forſitan aurem*, IPSE DEUS *vacuam:* Nemeſianus de Carino f): IPSO *paene prior genitore* DEO. Ipſe igitur Carus, pergit Calpurnius, grave imperii Romani onus tanta firmitate animi ſuſcipiet, & tumeſcentes forte ſeditiones ipſo ingreſſu imperii comprimet, ut translatio imperii ſumma rerum tranquillitate fiat, nec ulla usquam commotio ſentiatur. Quippe per *Romanae pondera molis* intelligit graviſſimas pro imperio gubernando curas, ut Ovidius g) de Numa rege, Romulum excipiente:

— — *Quis tantae pondera molis*
Suſtineat, tantoque queat ſuccedere regi.

Rob. Titius alludere hic poetam putat ad fabulam Herculis, qui Atlanti ſucceſſit in coelo humeris ſuſtinendo. Nec dubitari poteſt, frequentem admodum poetis nec inelegantem eſſe principum ſuccedentium cum Hercule coelum fulciente comparationem. Sed qui ad fabulam Herculis alludunt, aliis

e) vid. Ulitius ad Nemeſ. Cyneg. v. 64.

f) Cyneg. v. 70.

g) Metam. XV, 1.

aliis fere phrasibus, ac Calpurnius, uti solent. Sic Claudianus [h]), qui pereleganter hac comparatione usus est:

Ancipites rerum ruituro culmine lapsus
Aequali cervice subis. Sic Hercule quondam
Sustentante polum cet.

Et Plinius [i]): *Ita ille* (Nerva) *ingens gloria, ingensque fama, cum abunde expertus esset, quam bene humeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit.* Scilicet Hercules coelum subiit cervice & humeris, ut poetae ipsi enunciant [k]). At noster, *fortibus excipiet lacertis.* Quapropter poetam his verbis respicere puto ad eum morem, quo statuae & imagines Imperatorum fingi solebant globum manu tenentes. Hic enim globus seu sphaera symbolum erat orbis terrarum habitabilis, & nationum imperio Romano parentium. Antiquissimum eum morem a Persis ad Graecos & Romanos commigrasse, ostendit Frid. Lindenbrogius [l]). Et in Romanorum Imperatorum numis nihil frequentius. Profert Jac. Oiselius [m]) numum Titi, cui videas globum, cum eoque ipsum im-

h) De laud. Stil. Lib. I. 142.

i) Paneg. X, 6.

k) Apud Ovidium Metam. IX, 199. Hercules: Hac coelum cervice tuli. Conf. Stat. Theb. I, 98.

l) Ad Amm. Marcel. XXI, 14. p. 311. edit. Gronov.

m) Thes. num. tab. 61. n. 1.

imperium, tradi a patre Veſpaſiano, cujus ille collega & imperii particeps, teſte Tranquillo [n]), fuit. Pariter Laur. Begerus [o]) duos exhibet Carini & Numeriani, quorum utroque videre licet fratres Auguſtos, ex adverſo ſtantes, globum interpoſitum dextris porrectis ſuſtinere, ut imperium orbis ab iis communiter geſtum indicetur. Huic igitur mori accommodate Calpurnius permutatum & translatum imperium mox dicit *translatum orbem: Ut neque translati ſonitu fragor intonet orbis.* Idque hoc elegantius dicitur, quod converſiones mutationesque rerum publicarum, qualem hoc loco intelligit Calpurnius, alias ſaepe orbi commoto & circumacto aſſimilantur. Sic Cicero [p]) plane appoſite: *Equidem ſperabam, ſic orbem rei publicae eſſe converſum, ut vix ſonitum audire, vix impreſſam orbitam videre poſſemus.* Similiter Vellejus [q]), de morte Auguſti, & Tiberio huic ſuccedente, loquens: *Cujus orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem ſenſimus.* Fragorem & ſonitum ab orbe illo translato abfuturum dicit poeta, quod ſucceſſionem novi Principis, ſalva pace & tranquillitate publica, ſine ullo tumultu aut turbatione imperii futuram eſſe praedicat.

Nam

n) In Tito cap. 6.

o) Theſ. Brand. Tom. II. p. 772 & 774.

p) Ad Attic. II, 21. Conf. epiſt. 9. libri ejusdem.

q) Lib. II. c. 124.

Nam *fragor*, *ſtridor*, *ſonitus* de magnis regnorum converſionibus haud raro uſurpantur. Horatius [r]):

— — Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

Stridor apicis hinc ſublati, hic poſiti, idem eſt ac *translati fragor orbis* apud Calpurnium. Nam per apicem ſummam poteſtatem & imperium intelligit, unde alio loco [s]) *regum apices* diſerte nominat. Eidem Flacco [t]) *Heſperiae ſonitus ruinae* eſt clades Italiae & imperii Romani ex bellis civilibus. Sed fragorem etiam eadem de re dixit Aurelius Victor [u]): *Imminentium ſcrutator*, (Diocletianus) *ubi fato inteſtinas clades*, *& quaſi fragorem quendam impendere comperit ſtatus Romani*, *curam reipublicae abjecit.* Fragor quippe percommode de ſeditionibus & bellis inteſtinis uſurpatur, quod iis frangi & abrogari imperium ſolet, ut Horatius [x]) exprimit:

— — Neu populus frequens
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

Sed

r) Lib. IX. Od. 34, 14.
s) Lib. III. Od. 21, 20.
t) Lib. II. Od. 1, 31.
u) De Caeſar. c. 39. extr.
x) Carm. I. 35, 16.

Sed progrediendum eſt ad poſteriores loci Calpurniani verſus, qui quo majorem habere difficultatem interpretibus viſi ſunt, hoc curatius a nobis ſunt exponendi:

Nec prius ex meritis defunctos Roma Penates
Cenſeat, occaſus niſi quum reſpexerit ortus.

In quibus ante omnia notamus, ſingula vocabula ſignificatione maxime uſitata accipienda eſſe, ita ut *ex meritis* notet propter vel ſecundum merita y), *defunctos* mortuos vel vita functos, *Penates* deos tutelares: deinde *ex meritis* referendum eſſe ad *cenſeat*, *defunctos* ſubjectum eſſe, *Penates* praedicatum, & verbis naturali conſtructionis ordine collocatis, hanc eſſe ſententiam: Nec prius Roma cenſeat defunctos ob eximia merita eſſe penates; plane ad eum modum, quo ſcripſit Florus z) de Druſo Germanico: *Non per adulationem, ſed EX MERITIS, DEFUNCTO ibi fortiſſimo juvene, ipſi, quod nunquam alias, ſenatus cognomen ex provincia dedit.* Ex hoc loco non minus, quam alias, intelligitur, *merita* proprie dici res fortiter bello geſtas, quibus urbes, populi, res publicae vel conſtituuntur vel ſervantur. Ut Ovidius a) de Hercule: *Impleſti meritis Solis utramque domum.* Talibus meritis heroes coelum

y) Ut Apud Ovidium, Pont. IV, 7, 16: Contigit ex merito qui tibi nuper honos.

z) Lib. IV, c. 12, 28.

a) Her. IX, 16.

lum merebant, & inter Deos referebantur. Sic enim ipsi Semidei in legibus XII tabb. describuntur b): *Divos colunto & ollos, quos endo coelo MERITA vocaverint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.* Ex quo patet, Penates hoc loco de Imperatoribus consecratis & in Deos relatis dici, quod iis tribuuntur merita. Nam qui propter merita sublati erant in coelum, Penates aut Lares dicebantur earum gentium, ad quas ea merita pertinerent. Hinc Imperatores Romani post mortem consecrati, ob merita vel ficta vel vera, censebantur inter Romanorum Penates, quos & Romani in larariis suis collocare & colere solebant. Caesari Augusto hic honos adhuc vivo contigit. Horatius c):

— — Et laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris;
Aut magni memor Herculis.

M. Antonini memoriam tam sanctam apud Romanos suo adhuc tempore esse refert Julius Capitolinus d), ut *in multis domibus ejus statuae consistant inter Deos Penates.* Notum est lararium Alexandri Severi, in quo ille Divos Principes, sed optimos electos, colebat inter Lares e). Fiebant autem Penates conse-

b) Apud Cicer. de leg. II, 8.
c) Carm. IV, 5, 34.
d) In Marc. Ant. c. 18.
e) Lampridius in Alex. c. 29.

consecratione publica, quae Senatus consulto ex meritis defuncti Principis decernebatur. Qua propter utendum fuit Calpurnio verbo *censeat*, ut in re, quae in publico consilio, saltem in opinione hominum versabatur. Quo & Tacitus saepe utitur pari in caussa [f]).

Transeo tandem ad maxime ambigua verba, *Occasus nisi quum respexerit ortus*, sed unde, collatis accurate antecedentibus, facile sensus verus & planus reperiri possit. Sententia maxime pendet a vero significatu verbi *respexerit* eruendo, quod Martellus perperam retulit ad *Roma*, Titius interpretatus est *adspexerit*, Kempherus *reveritus fuerit*, neuter recte, nec sententiae & contextui auctoris congruenter. Notare potius hoc loco putamus *transierit*, *post se reliquerit*, ita ut *ortus* casu primo, *occasus* autem quarto accipiatur. *Respici* nimirum haud raro dicuntur praeteriti temporis aut itineris spatia, aut quae quis quocunque modo post se reliquit, sicut *prospici* dicuntur, quae futura sunt, aut ad quae contendimus. Sic apud Ovidium [g]) Phaeton, temerario ausu coelum curru Solis invectus *Prospicit occasus, interdum respicit ortus*, h. e. timore exani-

f) Ut in Annal. II, 83. III, 57.
g) Metam. II, 190.

animatus prospicit interdum, quantum itineris ad occasum usque supersit, & respicit, quantum inde ab ortu confecerit. Simili modo meridianum tempus descripsit idem poeta h):

— — *medio cum Sol altissimus orbe*
Respiceret tantum, quantum superesse videret.

Sed praecipue ad intelligentiam verborum Calpurnii hic locus facit i):

Sed jam praeteritas quartus tibi Lucifer Idus
Respicit.

h. e. quartus dies post Idus ortus est. Unde hic verborum Calpurnii planissimus sensus emergit: nisi cum ortus novi Imperatoris significaverit occasum vel obitum prioris. *Ortus*, *oriri*, *Oriens* de successionibus Imperatorum, & auspicio imperii dicitur. M. Antoninus tribuno mil. signum petenti: Ἄπελθε πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα, ἐγω γὰρ ἤδη δύομαι. Dio lib. 71. Plinius k): *ut invicti Imperatoris exortum victoriae insigne decoraret.* Eumenius l): *Det mihi, Caesar invicte, hodiernae*

h) Metam. XI, 354.
i) Ovid. Fast. IV, 6. 8.
k) Paneg. 8, 3.
l) Paneg. Constantii c. 3, 2.

nae gratulationis exordium divinus ille vestrae majestatis ortus, i. e. adoptio & Caesareae dignitatis auspicium. Auctor Epithalamii Maximiano & Constantino dicti m): *Liberavit ille* (Constantius) *Britannias servitute, tu* (Constantine) *etiam nobiles illic oriendo fecisti.* In Britannia nempe Constantinus suscepit imperium & Patri successit. Gothofredus n) pluribus demonstravit, quum Constantinus vetustis scriptoribus dicatur ortus in Britannia, id intelligendum esse de ortu imperii, non de ortu lucis. Inde & natales Imperatorum dicebantur, quibus imperium suscepissent. Eidem auctori Epithalamii o) Constantinus, modo aggressus imperium, & nomen Augusti adeptus, dicitur *Oriens Imperator.* Atque hinc ORIENS AUGUSTI, quae inscriptio in multis Caesarum numis occurrit, non bellum in Oriente gestum, aut victoriam a populo Orientis reportatam, significat, ut plerisque numorum interpretibus placere video, sed auspicia susceptionemque imperii celebrat. Expressa est plerumque sub ea inscriptione figura Solis, cum capite radiato, globum, insigne imperii, manu protendens, neque dubium est, omnes eos loquendi modos, quorum exempla dedimus, cum allusione

m) c. 4, 3.

n) Ad Cod. Theod. lib. II. tit. 8. leg. 2.

o) cap. I, 1.

ad Solem usurpatos esse. Hunc enim Romani pro Deo tutelari imperii & Genio Imperatoris colebant, quod Romanum imperium iisdem, quibus Solis cursum, terminis contineri, magnifice existimabant. Hinc in numo Aureliani apud Tristanum p) legitur: SOL DOMINUS IMPERII ROMANI. Neque inscriptiones numorum, quae frequenter leguntur, SOLI INVICTO, SOLI COMITI, SOLI INVICTO COMITI, significant aliud, quam Solem esse Genium & tutelam Imperatoris. Quemadmodum enim Horatius q) Genium cujusque hominis describit, *natale COMES qui temperat astrum*, ita probabile est, Solem eo sensu comitem Imperatoris dictum esse, ut quasi numen tutelare, ei peculiariter conjunctum, haberetur. Proclive igitur erat, his opinionibus hominum, auspicia obitusque Imperatorum ab ortu & occasu Solis denominari. Sic enim imaginari poterant, Imperatores decedentes a Sole occidente rapi de terris, coeloque inferri, & ab oriente rursus novum excitari & terris ostendi.

Sic certe perpulchra phantasia obitum Constantii Imperatoris describit auctor epithalamii Maximiano & Constantino dicti r), quem

p) Comment. histor. T. III, p. 245.

q) Epist. II, 2, 187.

r) cap. 14.

quem locum ideo adducendum & explicandum puto, quod Calpurnii loco plane ſimilis eſt, atque a ſcriptore ejusdem fere aetatis profectus, ut inde dicendi cogitandique ratio, iis temporibus uſitata, cognoſci, atque adeo, quam Calpurnii verbis tribuimus ſententiam, confirmari poſſit. *O felix*, inquit ille, *in imperio, & poſt imperium felicior, Dive Conſtanti, quem curru paene conſpicuo, dum vicinos ORTUS repetit OCCASU, SOL ipſe, invecturus coelo, excepit.* Fingit Solem, dum occidendo inclinat ſe ad terram, & rurſus oriri properat, Conſtantium morientem curru recipere, ut coelo invehat. Multum ingenii & venuſtatis, multum antiquitatis reconditae in iſtis verbis eſt, quae ſi cuncta evolvantur, copioſam diſſerendi materiam praebeant. Deſcribit ἀποθέωσιν & translationem Conſtantii in coelum, Solis miniſterio factam, ita quidem, ut uno veluti brevique curſu & defuncti Imperatoris occaſum, & ortum novi manifeſtet. Quo pacto eandem fere ſententiam, quam Calpurnius, exprimit. Occaſu Solis fingit Imperatorem coelo inferri, mira comparationis elegantia, ut Principes bene meritos ipſa morte, dum occidunt, coelo potiri indicet. Occidens Sol, e perſuaſione veterum, devexo coelo pronus fertur in terram, eique quodammodo appropinquare videtur, ut Principis animam e terris auferendam curru recipere poſſit. Ut igitur

credibilem faciat eam translationem rhetor, fingit eam Solis occasu factam. Pari ratione Ovidius [s]), Hersiliam Romuli conjugem in coelum translatam narrans, fingit Iridem a Junone mitti, quae *in terram pictos delapsa per arcus* Hersiliam evocat in coelum. Iridem enim propterea poetae faciunt internuntiam Deorum, quod arcus in coelestis utroque cornu terram attingere, eamque adeo coelo connectere, videtur, per quem ipsam Iridem ire & redire perhibent. Similiter cursus Solis arcum describit in coelo ab Oriente ad Occidentem, ideoque peracute ei ministerium excipiendi tollendique in coelum Principis tribuitur. Quod porro addit rhetor, *Solem vicinos ortus repetere occasu*, iis verbis respicit ad naturam & situm Britanniae, ubi defunctus erat Constantius, quod veteres tradunt, ibi brevissimas noctes, & finem initiumque lucis paene confinia & conjuncta esse. Sic in primis Tacitus de Britannia [t]): *Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, & nox clara, & extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quodsi nubes non officiant, adspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exsurgere, sed transire affirmant.* Ejus vero rei mentionem peracute

s) Metam. XIV, 830. seq.

t) In Agric. c. 12.

te hic injicit orator, ut alludat ad celerem festinatamque Constantini in locum Patris successionem. Memorant enim scriptores [u]), Constantinum, paullo ante obitum Patris mira celeritate in Britanniam profectum, praesentia sua ita movisse exercitum, ut mortuo Constantio confestim Caesar diceretur. Graviter hoc exprimit Eumenius [x]): *Imperator transitum facturus in coelum vidit, quem relinquebat, heredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemtus universus in te consensit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt* cet. Itaque pereleganter hoc significat orator, Solem, Dominum imperii Romani, ipso obitu Constantii accelerasse imperium filio, ita ut mutatio principatus vix perciperetur, & Constantii vix defuncti majestas mox refulgeret in ortu Constantini.

Curru denique Sol dicitur excepisse Constantium & coelo invexisse, poetica quidem imaginatione, sed qua videtur iis temporibus consecratio Principum saepius esse depicta. Exhibet enim Laur. Begerus [y]) memorabilem numum, quo DIVUS CONSTANTINUS capite velato in divinitatis documentum conspicitur, altera vero parte

 ejus

u) Aur. Vict. de Caesar. c. 40. Zosimus lib. II, c. 8 & 9.

x) Paneg. in Constantin. c. 8, 2.

y) Thes. Brand. Tom. III. p. 179.

ejus anima, velati corporis inſtar, quadrigis inſiſtens & verſus coelum tendens, unde dextra manus protenſa eam excipere videtur. Fuerunt, annotante Begero, qui Conſtantinum in coelum beatorum receptum, inſtar Eliae, curru flammifero in coelum rapti, hic expreſſum putarent. Et certe jam olim Euſebius hunc numum ita interpretatus eſt z): Ἤδη δὲ καὶ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι, πρόσθεν μὲν ἐκτυποῦντες τὸν μακάριον, ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλὴν σχήματι, θατέρου δὲ μέρους ἐφ᾽ ἅρματι τεθρίππῳ ἡνιόχου τρόπον, ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Jam vero etiam numis exſculptae ſunt formae, quae anteriore parte BEATUM hunc noſtrum obvoluto capite repraeſentabant, altera parte QUADRIGIS, inſtar aurigae, inſiſtentem, demiſſa illi coelitus manu dextra exceptum.* At enim minime certum eſt, ejus numi typum plane ad ſenſum Chriſtianum expreſſum, & a Chriſtianis excuſum eſſe. Etenim ethnicis & antiquis ſcriptoribus non infrequens eſt, ἀποθεώσιν heroum ita deſcribere, ut in coelum curru vecti dicantur. Talis Herculis aſcenſus fuiſſe fingitur:

Quem Pater omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit aſtris a).

Sic

z) De vita Conſt. lib. IV. c. 73.
a) Ovid. Metam. IX. 272.

Sic Romulus, ut Horatius loquitur [b]), *Martis equis Acheronta fugit*, ſive, quod Ovidius copioſius narrat [c]), Mars conſcenſo curru concitatisque equis per aëra lapſus in montem Palatinum, Quirinum ibi jura dantem repente abſtulit, & coelo invexit. Pariter Ariadne Propertio [d]) dicitur *lyncibus Bacchi in coelum vecta.* Et verba panegyrici, quae explicavimus, de curru Solis Conſtantium excipiente, idem ſchema ἀποθεωσεως, ac numus Conſtantini, exprimere videntur, quae tamen ante Conſtantini Chriſtianismum ab homine pagano dicta ſunt. Neque illud plane novum & ſingulare in numo eſt, quod Conſtantino in coelum tendenti manus deſuper porrigitur. Nam de Herſilia, Romuli conjuge, in coelum perveniente Ovidius [e]):

> *Hanc manibus notis Romanae conditor urbis*
> *Excipit.*

b) Lib. III, Od. 3, 15.

c) Metam. XIV, 819. ſeqq. & Faſt. II, 495.

d) Lib. III, eleg. 16, 8.

e) Metam. XIV, 849.

Et eodem modo Conſtantium coelo receptum Eumenius fingit [f]): *Vere enim profecto illi Superum templa patuerunt, receptusque eſt conſeſſu coelitum, Jove ipſo dextram porrigente.* Quibus verbis gemina ſunt, quae in carmine ſepulchrali Feſti Avieni apud Sponium [g]) leguntur:

> *Ibis in optatas ſedes, nam Jupiter aethram*
> *Pandit, Feſte, tibi, candidus ut venias.*
> *Jamque venis, tendit dextras chorus inde Deorum,*
> *Et toto tibi jam plauditur ecce polo.*

Etſi igitur nihil in allato Conſtantini numo occurrit, quod a conſuetis gentilium fictionibus abhorreat, tamen, quum conſecrationes Principum Romanorum alias ſoleant aliis ſignis, velut aquila, pavone, fulmine, ara, thenſa, templo in numis exprimi, & Conſtantinus, Princeps Chriſtianus, haud videatur pagano ritu conſecratus, ſuſpicor ad

f) Paneg. in Conſtant. c. 7.

g) Miſcell. erud. ant. Sect. III. p. 99.

ad designandam Constantini inter coelites beatitudinem, qua dignus paganorum aeque ac Christianorum opinione habebatur, studio eum typum esse electum, qui Christianis non minus quam paganis probabilis videretur. Pagani enim existimare poterant, currum Solis, aut Martis, aut aliquem triumphalem esse, quo Constantinus in coelum raperetur, Christiani autem, respici ad currum Eliae, idque hoc magis, quod Constantinum Eliae perquam similem in evertendo idolorum cultu, tuendaque religione Christiana, fuisse putabant. Et erat Constantini aevo, quo Christiana primum emergebat religio, ea temporum ratio, ut & pagani suos ritus & placita Christianis magis attemperarent, & Christiani ritus gentiles emendare potius & melioribus pensare, quam subito prorsusque tollere cuperent. Itaque, cum consuetudo ferret, honorem consecrationis Imperatoribus bene meritis post fata tribui, & numis excusis

cele-

celebrari, noluerunt ab eo more plane recedere, & loco consecrationis beatam Constantini migrationem e vita aere signarunt, eo quidem typo, qui nec gentilibus esset obscurus, nec Christianos offenderet.

Verzeichnis

derer Bücher, welche in der Michaelmesse 1774 beim Verleger dieses Werks herausgekommen sind.

Bibliothek, auserlesene, der neuesten deutschen Litteratur, 6ter Band, gros 8.

Bericht, ausführlicher, eines polnischen Einwohners von den Schicksalen der sämtlichen Dissidenten in Polen, gros 8.

Bostell, F. J. D. von, Grundsätze der gemeinen juristischen Praxis, zum Gebrauch seiner Vorlesungen, gros 8.

Ebendesselben praktische Anleitung den cammergerichtlichen Proceß zu erlernen und andere darinnen zu unterrichten, gros 8.

Dodd, Wilhelm, Predigten für Jünglinge, aus dem Englischen übersetzt von C. Koch, herausgegeben von J. C. Velthusen, 3ter und letzter Band, 8.

Fredersdorf, C. Fr., Anweisung für angehende Justizbeamte und Unterrichter, 3ter und letzter Band, 4.

Hassencamp, J. M., kurze Geschichte der Bemühungen die Meereslänge zu erfinden, zweite sehr vermehrte Ausgabe, gros 8.

Martin, eine Erzählung, 8.

Nach-

Nachrichten zu dem Leben des Franz Petrarca, ersten Bandes 2te Abtheilung, gros 8.

Religionsgeschichte, neueste, unter der Aufsicht Herrn Christ. Wilh. Franz Walch, 4ter Theil, gr. 8.

Schütz, Metaphysik, 8.

Trampel, Joh. Erb, Beschreibung der Meinberger Mineralquellen in der Graischaft Lippe, nebst einem Sendschreiben des Herrn J F Zückert vom Meinberger Mineralwasser, zweite vermehrte Auflage, mit Kupfern, 8.

Nachricht.

Alle sieben Theile der neuesten Ausgabe der Histoire philosophique & politique des etablissemens des Européens aux deux Indes, so wie sie bei Pierre Gosse kürzlich herausgekommen, werden im Verlage der Gebrüder Helwing zu Hannover vom Herrn Professor Mauvillon zu Cassel sorgfältigst übersetzt, und mit Anmerkungen versehen, erscheinen, jedoch ohne die Charten, weil sie nur die Uebersetzung ohne Noth theuer machen, und darin weiter nichts steht, als was jeder in seinem Atlas schon hat.

MUSEUM CRITICUM

CONTINENS PRAESERTIM

VARIAS

LECTIONES

OBSERVATIONES ET DISSERTATIONES


AD

AUCTORES VETERES GRAECOS ET LATINOS

Voluminis primi Fasciculus tertius.

COLLEGIT ET EDIDIT

D. FERDINANDUS STOSCH.



LEMGOVIAE,

in Officina Meyeriana MDCCLXXV.

VIRO
SUMME VENERABILI ET CELEBERRIMO

JOHANNI BENEDICTO CARPZOV

IMPERIALIS ET LIBERI MONASTERII REGIO-LUTTERANI ABBATI, THEOLOGIAE DOCTORI ET IN INCLUTA JULIO-CAROLINA PROFESSORI ORDINARIO PRIMO

OPTIMARUM LITERARUM FAUTORI COLENDISSIMO

TERTIUM HUNC MUSEI CRITICI FASCICULUM

PIE DEDICAT

SEQUE PERPETUAE EJUS BENEVOLENTIAE ET AMICITIAE

ET

HUMANISSIME ET OBSERVANTISSIME COMMENDATUM CUPIT

FERDINANDUS STOSCH.

XIII.

VARIAE LECTIONES

AD

XENOCRATIS

περι των απ' ενυδρων τροφῶν.

e Cod. MS. Vossiano Bibl. L. Bat. N. 22.
v. Cat. Bibl. L. Bat. p. 403. 4.
ad Pag. ed. Fabricianae B. G. IX. 454. seq. (*).

Pag. 454. lin. 1. νηχαλαιων] νηχαλεα]
l. 2. εν τραπεζοις] — ζαις
l. 3. δ' ωφελος καν] δ' ὁλης κ' εν
l. 4. ὑγειαν] ὑγιειαν
l. 5. ιχθυες] ιχθυας
l. 7. Σκληροσαρκοι μεν] και σκληροσαρκοι μεν

(*) Eas ab amplissimo ZOBELIO, Professore Viadrino clarissimo, acceptas curate descripsit J. D. H. Stosch.

p. 455. l. 25. 26. υλης, καθαπερ ο νειλωος] υλης ο νειλαιος
l. 27. ρηνω — τυβερι] ρινω τῆβούρι
p. 456. l. 1. επεστιγμενος] απιστιγμενος. αννιων] ανιρῳ
l. 2. ομοφυες] ομοφυεις
l. 3. ιχθυος] ιχθυες
l. 9. νηχαλεια] — λεα
l. 11. ποιοτητες] in margine λειπει τι δοκει manu secunda.
l. 12. λεπασι] MS. και. Sed manus secunda corrigit λωπασι.
— αλωπεκες] Sic. m. 2. sed MS. — κας
l. 13. ιππεροι] ιπεροι
— λεροs *] λεροs οι δε
l. 14. φευγουσιν] — γοντες
l. 15. ποταμον δυσχυλα εκ ευστομαχα δυσπεπτα ολιγοτροφα] ποταμον δυσχυλοι — χοι — τοι — φοι
l. 16. σκληροφυης] — φυεις
l. 17. ετ' ευστομ.] Sic. m. 2. MS. εκ ευστομ.
l. 19. κερατωδες] — δεις. κοχυλοι] — χυμοι
l. 20. ατροφοι] -- μοι, ευφθαρτοι, βωκες
l. 22. αρμοζον] Sic. m. 2. MS. αρμοττον
l. 23. ευστομαχον] ευστομον ουκ ευστομαχον
l. 24. επιπολαστικον, κοιλιας ατροφον] επιπολαστικον κοιλιας ατροφου
l. 25. εριθρινος] ερυ --
l. 27. συνεσιας] -- σιαν

p. 457. l. 1. θραινης] -- νις
l. 2. κητωδες] -- δης. τεμαχιζεσθαι] -- χισεσθαι
l. 3. ψαφαρος] ψωφαρος m. 2. ψαωφαρος superius scriptum ψωφορας
l. 4. πολυτροφος] Sic. m. 2. MS. παμτροφος
— βρομωδης] βρω --
l. 5. συνηπειος] σιναπ --
l. 6. το υπογ] Sic. m. 2. MS. και υπογ
-- θυννω] Sic. m. 2. MS. θυνος
l. 7. θυννις, κοιλιας, ορκοινος] θυννȣ κοιλια ορυνινος
l. 8. κακοχυλοι] deest
l. 10. τρυφερωτερα] Sic supra scriptum MS. τροφιμωτερα
l. 11. αχυλος] Sic. m. 2. MS. -- μος
l. 12. θυννις] θυνις
l. 16. χελιδωνες] χελιδονες
l. 17. και οι] deest. κακοχυλοι] -- μοι
l. 19. πεζοι] Sic. m. 2. MS. πελοι. σαργοι] σαργος
l. 23. δριμαιαι] -- μυαι. ευχολοι] deest
l. 24. δισδιαχωρητοι] δυσδιαχ --
l. 25. απο αιγαλων] απ' αιγ -- και] deest
l. 26. κακοχυλοι] -- μοι. βȣγλωσσοι] -- γλωσσα
l. 27. ψησαι] ψηται
l. 28. γλαυκος] γλαυος
p. 458. l. 1. λαβρακα] -- κος. γαρ] Sic. m. 2. MS. τα
l. 3. προσφεραι] προσφ --

p. 458. l. 6. μεσως] -- σος
l. 7. και τροφιμος] desunt
l. 12. νηξαμενος] τηξομ --
l. 14. γλυκεος] -- κειος
l. 16. δυσδιοικητατος] -- οικο --
l. 18. πανυ αργην] π. γαρ α.
l. 21, 22, 23. κιθαρος --- δυσφθαρτος] desunt omnia.
l. 24. λισαντας] λισαντα
l. 25. οδε] ο
l. 26. κακοχυλος] -- μος
l. 28. φοικιδες] φυκι --

p. 459. l. 1. ευδιαφορητοι] φορωτατοι
l. 2. επιτηδειοι] -- διοι
l. 3. κορακος] κοραξ
l. 4. βρωμωδης] βρομ --
l. 5. ευςομος] -- μαχος. ακοδεων] -- σεω
l. 6. ομοιων] ο μειων
l. 7. τερος. λαβραξ] τερος λαβραξ
l. 8. γενομενος] γινομ.
l. 9. μηνων] m. 2. μειων
l. 11. γλυκοχυλος] Sic. m. 2. MS. -- μος
l. 13. πελαγιȣ. οδὲν] πελαγιων, ȣδεν
l. 14. μεναις] Sic. MS. m. 2. μενων
-- εναντιος] εναντιον. τȣτοις] MS. τοποις m. 2. τοις τοποις
l. 16. γαρ] Sic. m. 2. MS. τε
l. 19. λιμνην] -- ναις. ιλιωδης] ελοω --
l. 25. δε] deest
l. 26. ευχυμος] αχυμος
l. 27. σκορπεναι] -- παι --

p. 459. l. 28. *διαχυμεον*] deest. *διο χαιρουσι*] *διαναι* --

l. 30. *σκιαδευς*] -- *δης*

l. 31. *αγαν τροφιμος*] *αγωγος, τροφιμος*

l. 33. *δυσδιονκητος*] *δυσδιαφορητος*

-- *ευεκκριτος* *] *διαχωρητικος*

p. 460. l. 1. *ζωτριοις*] *ζωγρειοις*

-- *πολλοις εγκαλοις*] Lacuna in MS. supplet. m. 2. *ενκαλοις*

l. 4. *Συνοδους*] *σινο* --

l. 5. *ευχολος*] -- *μος*

l. 6. *μεσως* Sic. m. 2. MS. *μεσος*

-- *και ευεκκριτος*] *και ουκ ευεκκριτος*.

Caetera omnia desunt in MS.

XIV.

FERDINANDI STOSCH

OBSERVATIONUM

AD

INSIGNEM PLINII MAJORIS LOCUM PARTICULA PRIMA.

§. I.

Est locus PLINII *hist. nat. L. V. cap. 29.* qui doctissimos occupavit criticos, USSERIUM, SALMASIUM, HARDUINUM, alios; quemve

quemve etiam nos denuo ac propius quodammodo considerare & examinare non taedet. *Sed prius terga & mediterraneas jurisdictiones indicasse sufficiat. Una appellatur Cibyratica. Ipsum oppidum Phrygiae est. Conveniunt eo XXV civitates celeberrima urbe Laodicea. Imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo & Capro, appellata primo Diospolis, dein Rhoas.* Sic dispositum initium capitis vigesimi noni exhibemus ex editione JOH. HARDUINI; qui in notis recte subjicit, *quam inepte hactenus a verbis*: celeberrima urbe, *novi capitis initium factum sit, satis liquere.* Scilicet in antecedentibus editionibus omnibus, ex quibus DALECHAMPIANAS & GRONOVIANAM nominasse & cum iis conspirantem SALMASIUM indicasse, suffecerit, caput XXVIII. claudebatur verbis: *conveniunt eo XXV civitates*; vigesimo nono incipiente: *celeberrima urbe Laodicea;* quum tamen ista verba indivulso nexu cum praecedentibus esse conjuncta, nemo non videat. Sed aliud quid praeterea observandum est. Retinet HARDUINUS auferendi casum: *urbe.* Nobis magis probatur lectio manu exarati codicis a DALECHAMPIO collati, quae in nominativo habet: *urbs.* Idque duplici de causa. Primo; tollitur sic amphibolia constructionis, qua ambiguum est, utrum *jurisdictio Cibyratica celeberrima* esse intelligenda sit *urbe Laodicea?* num vero haec celeberrima illius urbs esse dicatur? Deinde vero praecipue

ii

in nominandi casu narrare breviter & perspicue, hic styli PLINIANI character; haec perpetua ejus consuetudo est. Inspiciantur geographica ejus omnia: & ad oculum id patebit. Vultis tamen exempla? lectores! En nostro simillima! *L. III. cap. IV: Oppida Latina etc. mox: oppida vero ignobilia etc. cap. V. Ligurum celeberrimi. cap. VII. Ceberrimi in ea populorum Ilienses. cap. XVI. Celeberrima ex iis. L. V. cap. XXX. Apollonia, longeque clarissimum Asiae Pergamum. cap. XXXI. Par claritate etc. cap. XXXII. Urbs fuit immensa Attusa nomine. L. VI. cap. III. Civitas Ziela intus, nobilis clade Triarii. cap. IX. oppida celebrantur &c. cap. X. Praevalent oppida. cap. XVII. Celeberrimi eorum Sacae.* Sed quorsum plura? Legamus, nec aliter legendum putemus. *Conveniunt eo XXV civitates. Celeberrima urbs Laodicea.* Sequentia: *imposita est etc.* sive per punctum divellere, sive conjunctim legere malis, parum jam refert. Haec de grammatica loci dispositione & illius lectione.

§. II.

Ad rem deveniamus. PLINIUS *Laodiceam* urbem nominat, eam *celeberrimam* vocat, jurisdictioni seu conventui Cibyratico annumerat, & hujus celeberrimam pronunciat. Quatuor haec aliquanto propius inquiremus. Et prima quidem de nominibus urbis tum ab auctore nostro, tum ab aliis commemoratis, deque hujus nominis

 scriptio-

scriptione varia, sat multa disserui in *Syntagm. Diss. VII. de nominib. totidem urbium Asiae, ad quas D. Joh. filii Dei epistolas in apoc. direxit. Guelferb. MDCCLVII. p. 166 & seqq.* Non deest tamen nunc post messem spicilegium I. Vir aeque humanissimus ac eruditionis fama celebratissimus, qui opusculum meum in *novis actis eruditorum Lipsiensibus mensis Martii MDCCLXII. P. II. p. 125 & seqq.* recensuit, venerabilis CARPZOVIUS *Helmestadiensis p. 134.* hoc monet: *Antiochus, teste STEPHANO, Θεὸς cognominatus, dedit occasionem Laodiceae a se cognominandae.* Θεόσπολις *est urbi, quam Antiochus cognomine Deus condidit.* Haud inepta est, fateor, conjectura. Sed tamen α) STEPHANUS tantum docet, urbi *Laodiceae* nomen Antiochum indidisse ab uxore *Laodice.* De *Theospoli* ab Antiocho Θεῷ adpellata ne verbum quidem habet. β) Imo vero, dum *Jovis*, Διὸς, oraculo conditam refert, eam *Jovis* aut *Dei urbem*, quales multae, dictam fuisse, clare satis innuit; ut pluribus docui §. II. Et γ) differunt certe magnopere Διόσπολις & Θεόσπολις. Illae notae sunt & ad supremum Deum referuntur omnes. Harum unam mihi ostendat, velim, vir clarissimus. Θεύπολιν quidem non ignoro, sed Θεόσπολιν novi nullam. II. §. III. *Laodiceam* a fluxu allabentium vicinorumque fluviorum *Rhoadem* dictam fuisse, a SALMASIO dissentiens probavi. Miror, me tunc *Asopi* mentionem facientem non meminisse, quod ab ipso poe-

tarum

tarum principe Ἀισήποιο ῥόαι commemoren-tur. *Iliad.* Δ. *vf.* 91. Sic & alter fluvius ad-luens, *Lyeus* ὑπὸ γῆν ῥυεὶς cluit STRABONI *L. XII. fin.* Dixi ῥόος & ποταμός idem effe. Sic & ARISTIDES *Orat. Tom. III. p.* 570. πο-ταμὲς καὶ ῥεύματα conjunxit. Adde eun-dem *p.* 592. III. §. VI. de fcriptione nominis *Laodicea* differui. Eorum in gratiam, qui ne minutias quidem criticas contemnunt, addere liceat: α) in *variant. lect. ad epigr. & poem. vet.* infertis *Act. Societ. Lat. Jenenf. p.* 20. ex codice Suecico vitiofiffime fcriptum me reperiffe: *Laociden* pro *Laodicen.* β) V pro O. in nomine feminae JUSTINI quoque com-plures exhibere editiones & in nomine ur-bis codicem manufcriptum graecum *Apoc. I.* 11. a WETSTENIO indicatum, deque ha-rum literarum permutatione videri poft alios poffe GRAEVIUM ad CICERONIS *Verrin. V. cap.* 26. γ) Pofterioribus tempo-ribus partim, veteri more, recte fcriptum reperiri nomen, ut in *notitia epifcopat. antiqua inter parerga adjecta geographiae facrae CAROLI a S. PAULO edit. CLERICI Amft. p.* 24. 25. 33: in *initio canonum concilii Laodic. T. II. concil. p.* 120. *edit. Parif.* 1644. Vid. & *p.* 213. 452. 471; in *concil. Chalced. T. VIII. p.* 313. 496. 571; in *ANNAE COMNENAE Alexiad. L. XI. p.* 324. 330 *&c.*; in aliis vero peffime depravatum, ut in fubfcriptione concilii Sardicenfis *Tom. III. p.* 100. *Laudocia*, & in *notit. eccl. p.* 72. *Lavo-dicea*; nec non in *Geogr. cit. p.* 230. *Laudichia.*

IV. §. VII. VIII. IX. cognomina urbis lustravi. Adjiciendum nunc est, eandem a Caracalla *Antoninianam* quoque, & *Coloniam Septimiam Aureliam*, nominatam fuisse. Prius ostendit inscriptio ex itinerario CORNELII DE BRUYN a MURATORIO *nov. thes. CDLVIII. 3.* repetita, cujus ultimae lineae hoc modo sunt legendae:

MONTIBUS IMMINENTIBUS

LYCO FLUMINI CAESIS VIAM DILATAVIT

PER ANTONINIANAM SUAM.

Posterius declarat numus apud SPANHEMIUM *de usu & praest. numism. diss. XIII. p. 609. ecl. sep. aur. laod.* Equidem vir sua aetate illustrissimus ad *Laodiceam ad Libanum* illum refert. Sed rectiora probabiliter monet cognatus meus, cujus praematurum obitum sine acerbissimo dolore recordari non possum, JANUS ANDREAS HULTMANNUS, ICtus Zuetphaniensis, in *miscel. epigraph. 1758.* editis; quem, licet eximius ejus liber in his oris rarior sit, exscribere tamen nolo. V. JOH. SIMONIS in *onomast. N. T.* opusculum illud meum quidem citat; sed, plane praeter morem suum, etymologiam aliam a me impugnatam, aliam commendatam, praetermittit. VI. cl. DAMMIUS in *Lexic. Graec.* illud non vidisse videtur, vulgarem repetens nominis etymologiam & significationem.

§. III.

§. III.

PLINIUS (de quo secundo loco dispiciendum est) *Laodiceam* nostram *celeberrimam urbem* vocat. Talis per aliquot seculorum decursum omnino fuit, tum insigni nominis fama, tum civium frequentia & peregrinorum concursu. STRABO *Geogr. L. XIV. p. 677. edit. ALMELOVEEN*, illam & Apameam *μέγιςας τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων*, *maximas Phrygiae urbes* vocat. PHILOSTRATO audit *μεσόγεια μὲν, δυνατωτέρα δὲ τῶν ἐπὶ θαλάττῃ in media quidem continente sita, sed maritimis potentior* seu *ditior: de vit. Sophist. p. 530. edit. OLEAR. TACITO annal. L. XIV. cap. 27. ex illustribus Asiae urbibus* est. In *exposit. totius mundi* a GRONOVIO in *Geogr. antiqu.* edita *p. 262.* legitur: Quae (Phrygia) *& civitatem maximam dicitur habere Laodiciam.* Denique FESTUS AVIENUS *1085*, cujus testimonium numi complures comprobant, de illa scribit: *Caput altis turribus effert Laodice.* Id quod amplissimarum & ditissimarum urbium indicium esse solere, nemo ignorat.

§. IV.

Verum, praemissis his auctorum testimoniis, urbis amplitudinem & celebritatem aliquanto propius adferamus. PLINIUS noster eam multo anteponit *Hierapoli.* Scribit enim: *Reliqui in eo conventu quos nominare non pigeat, Hidrelitae, Themisones, HIERAPOLITAE.* At,

At, quanta & quam celebrata urbs *Hierapolis!* quae PHILOSTRATO *l. c. p. 606. καταλεκτέα ταῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐυπρατἰέσαις, in iis, quae in Aſia maxime florebant, urbibus cenſenda* audit; quae in inſcriptione a SMITHO *notit. VII. eccl. Aſiae p. 37.* inſigni hoc ornatur encomio. ΑΣΙΔΟΣ ΕΥΡΩΠΥΣ ΠΡΟΦΕΡΕΣΤΑΤΟΝ ΟΥΔΑΣ ΑΠΑΝΤΩΝ & ΧΡΥΣΟΠΟΛΙΣ ΙΕΡΑΠΟΛΙΣ ΠΟΤΝΙΑ ΝΥΜΦΩΝ ΝΑΜΑΣΙΝ ΑΓΛΑΙΗΣ ΚΕΚΑΣΜΕΝΗ; quod, etſi mutilum, ita vertere licebit: *Aſiae Europaeque omnium praeſtantiſſima tellus — aurea urbs Hierapolis veneranda nympharum fluentibus ornata;* quae porro, teſtibus numis, *νεώκορος*, & celeberrimis urbibus *ὁμονοίᾳ* conjuncta erat. Vid. e. g. BEGERUM *Theſ. Brandenb. Tom. I. p. 505. T. III. p. 65.* WHELERI *itiner. p. 244.* & SPONII *T. I. p. 349. 350. 361.* Addatur, ſi lubet, C. G. HOFFMANNI *introd. in epiſt. ad Galat. & ad Coloſſ. p. 177 ſeqq.* quae denique ad metropoliticam dignitatem fuit evecta. HARDUIN *ad l. n.*

§. V.

Divitiae uti urbium florem, magnitudinem celebritatemve conſtituunt & augent: ita etiam haec ex illis metiri ſolemus. Unam omnium Aſiae ditiſſimam fuiſſe Laodiceam, ex monimentis conſtat. VITRINGA *anacr. apoc. p. 165.* & CELLARIUS *notit. orb. antiqui, Tom. II. p. 95.* CICERONIS jam adtulerunt

loca, quae illam, id quod opum vim arguit, pecuniarum permutatione claram fuiſſe, docent. *Laodiceae* (ſcribit *ad familiar. L. II. ep. 17.*) *me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae, ut & mihi & populo cautum ſit ſine vecturae periculo.* Et (L. III. ep. 5.) *Pridie Cal. Sext. puto me* Laodiceae *fore, ubi perpaucos dies*, dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur, *commorabor.* In primis hic non negligendum eſt TACITI (annal. XIV. 27.) teſtimonium. *Eodem anno* (ſcilicet A. U. DCCCXIV imperante Nerone) *ex illuſtribus Aſiae urbibus Laodicea terrae motibus prolapſa nullo a nobis remedio propriis opibus* revaluit. Equidem cauſas hujus opulentiae RAMBACHIUS (in expoſit. Germ. VII. epp. apoc. p. 415.) & ALB. SCHUMACHERUS (diſſ. de Chriſti conſilio Laodicenis dato Bremae 1735. ſect. II. §. 4.) in ſitu urbis in Lydia inveniſſe ſibi viſi ſunt. Verum, uti apocalypſeos interpretes in rebus antiquariis & hiſtoricis miſere ſaepius halucinantes deprehendimus: ita quoque iſti non exiguum in hoc erraruntt errorem. Etenim, licet veteres, Lydiam auri olim feracem fuiſſe, perhibeant; multaque de aurifluo venditent Pactolo (conf. CELLAR. p. 77.) STRABO tamen memoriae prodit, id non ſolum de vetuſtiſſimis tantum temporibus verum eſſe, ſuoque tempore non amplius obtinuiſſe, (*καταφέρων* ΤΟ ΠΑΛΑΙΟΝ *χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ L. XIII. p. 92.*) ſed Laodiceam

ceam etiam olim, (atque adeo illo, quo Pactolus aurum adhuc dabat, tempore) parvum fuiſſe oppidum, patrumque ſuorum & ſuo demum tempore ad aliquem florem magnitudinemque aliquam exſurrexiſſe (L. XII. 1 c. Conf. HOFFMANNI *introd. in ep. ad Coloſſ. p. 56. 57.*) Ipſe non minus aliam addit rationem unam omnium procul dubio veriſſimam, fertilitatem nempe illius regionis (ἡ τῆς χώρας ἀρετή) & mercaturam negotiationesque, ad quas ſenſim pervenerit; quasve ſub principio lanigerae pecudis greges, illarumque mollitie ſua ac nigredine celebrata lana adjuverint.

§. VI.

Memoria labilis eſt & fallax. Fefellit virum ſuo tempore non indoctum, ESKUCHIUM, Profeſſorem Rintelienſem. Quippe in *illuſtr. S. S. ex itinerariis*, quas patrio ſermone non ſine aliquo plauſu edebat, *Partic. II. p. 53.* Laodiceam noſtram cum celebratiſſima Syriae urbe cognomine confudit. Interim, quum utrique urbi hoc fuerit commune, quod dites mercaturae, feracique in ſolo poſitae eſſent: de noſtra eadem omnino valent, quae de altera (*p. 54.*) ad illuſtrationem loci apocalyptici in medium profert. Primum eſt, quod, quum opulentum olim fuerit emporium, ex quo pretioſae merces multae permutarentur & transportarentur: veritas verborum ad ocu-

lum pateat: (*Apoc. III. 17.*) ὅτι πλέσιός εἰμι, καὶ πεπλέτηκα, καὶ ἐδενὸς χρείαν ἔχω. Perſequi id aliquantisper, & primo quidem notare mihi liceat, nullam me pervidere rationem, cur ESKUCHIUS verbum πεπλέτηκα reddiderit: *ditavi alios*. Uſum phraſeos hanc ſignificationem non admittere, tute adfirmo. Namque πλετεῖν: *diteſcere*, *divitem eſſe*, non: *ditare*, denotat. Nec dura nulloque ſimili exemplo confirmata vocis ἄλλες ellipſis ferri hic poteſt. Nec forma praeteriti activi decipere illum debuiſſet; quum multa verba graeca vim neutrorum habere, ignorare non poſſet. Vulgata bibliorum editio, cum qua, quantum ſcio, reliquae verſiones conſpirant omnes, recte vertit: *Dives ſum* & *LOCUPLETATUS & nullius egeo.* Atque perplacet mihi GROTII *ad h. l.* adnotatio, *gradationem* ſeu *incrementum*, ut rhetores vocant, animadvertere jubentis, quod eo redeat, multum eſſe: *divitem fieri;* plus: *quum dives jam ſis*, *opum acquirere copiam;* plurimum vero: *nullius indigere*, hoc eſt: abundante rerum omnium copia frui. Praefero certe hanc adnotationem illi BENGELII in *gnomone N. T. p. 1104.* ſcribentis: *divitiis meis uſus ſum & auro meo paravi mihi multa, v. gr. veſtimenta. Sic LXX.* πεπλέτηκα, *Hoſ. XII. 9.*

XV.

XV.

SCIDULA
INCERTI AUCTORIS
AD HISTORIAM MARTYRII
S. CYPRIANI (*).

Ex Operibus S. Cypriani Brem. 1690. in Vita S. Cypr. pag. 11-14.

S. Cpriani Passio ex Vet. Cod. MS.

Edit. Germ. 1715. 1737. p. 352.

§. 1.

Imperatore (a) Valeriano quartum, & Gallieno tertium Consulibus, *tertio Calendarum*

 Septem-

(*) Bremae illam reperit & benevole mecum communicavit V. C. & mihi amicissimus, J. P. CASSEL. *F. St.*

(a) Aus diesem Text sowol als den Noten erhellet, daß Valerianus und sein Sohn Gallienus damals regierende Kaiser, der Prinz Valerianus junior zum Caesare, d. i. zum künftigen Nachfolger im Kaiserthum, vom Vater declariret gewesen, welches man jetzo den römischen König heißet, der aber nun vom churfürstlichen Collegio erwählet wird.

Septembrium, Carthagine in Secretario, Paternus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit: Sacratiſſimi Imperatores, Valerianus & Gallienus, literas ad me dare dignati ſunt, quibus praeceperunt, eos qui ([b]) Romanam religionem *non* colunt, debere Romanas Caeremonias recognoſcere. Exquiſivi ergo de nomine tuo; quid mihi reſpondes? Cyprianus Epiſcopus dixit: Chriſtianus ſum, & Epiſcopus. Nullos alios Deos novi, niſi unum & verum Deum, qui fecit coelum & terram, mare & quae in eis ſunt omnia: huic Deo nos Chriſtiani deſervimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipſorum Imperatorum. Paternus Proconſul dixit: in hac ergo voluntate perſeveras? Cyprianus Epiſcopus reſpondit: bona voluntas, quae Deum novit, immutari non poteſt. Paternus Proconſul dixit: poteris ergo ſecundum praeceptum Valeriani & Gallieni, exul ad urbem Curubitanam proficiſci? Cyprianus Epiſcopus dixit: proficiſcor.

§. 2.

Paternus Proconſul dixit: non ſolum de Epiſcopis, verum etiam de presbyteris mihi ſcribere dignati ſunt; volo ergo ſcire ex te, qui ſint presbyteri, qui in hac civitate

---

Varians Lectio: (b) Romanam religionem colunt, debere caeremonias recognoſcere.

tate consistunt? Cyprianus Episcopus respondit: legibus vestris bene atque utiliter censuistis, (c) *delatores non esse.* Itaque detegi & deferri a me non possunt: in civitatibus autem suis invenientur. *Paternus Proconsul dixit: ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit:* (d) Cum disciplina prohibeat, ut quis (e) se ultro offerat, & tuae quoque Censurae hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt: sed a te exquisiti invenientur. Paternus Proconsul dixit: a me invenientur. Et adjecit: praeceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre praeceptum non observaverit, capite plectetur. Cyprianus Episcopus respondit: *Fac quod tibi praeceptum est. Tunc Paternus Proconsul jussit beatum Cyprianum in exilium deportari. Cumque diu ibidem moraretur, successit Aspasio Paterno Proconsuli, Galerius Maximus Proconsul: qui sanctum Cyprianum Episcopum ab exilio revocatum sibi jussit praesentari.*

Notae: (c) Delatores non esse] Illis per Rescripta Principum urbe exactis, & a tribunalibus depulsis. Exinde delator habuit, quod dedit, exilium. Unde recte Cyprianus ad Leges provocat, & frigide diceretur: nos delatores non esse.

(d) Sed nec ipsi se ultro offerunt, cum hoc Scriptura Sancta prohibeat. A te enim quaesiti invenientur.

(e) Se ultro offerat] Epistola ult. Cyprianus ait: Dominus nos confiteri magis voluit, quam profiteri.

§. 3.

Cumque Cyprianus sanctus Martyr, electus a Deo, de civitate Curubitana, in qua exilio praecepto Aspasii Paterni tunc Proconsulis datus fuerat, regressus esset, *ex sacro praescripto* in hortis suis manebat. Inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut illi ostensum fuerat. Et cum illic demoraretur, repente Idibus Septembris Tusco & Basso Consulibus, venerunt ad eum Principes duo: unus Strator Officii Galerii Maximi Proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat, & alius Equistrator a custodiis ejusdem officii; qui & in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, & in Sexti perduxerunt, ubi idem Galerius Maximus Proconsul bonae valetudinis recuperandae gratia secesserat. Et ita idem Galerius Maximus Proconsul, in aliam diem Cyprianum sibi reservari praecepit: Et eo tempore beatus Cyprianus ductus ad Principem & Stratorem ejusdem officii Galerii Maximi Proconsulis Clarissimi viri secessit: Et in hospitio ejus cum eo in vico qui dicitur Saturni, inter (f) Veneriam & Salutariam mansit. Illuc universus populus fratrum convenit: Et cum hoc sanctus Cyprianus comperisset, (g) *custodiri*

Nota: (f) Veneriam & Salutariam] forte Veneris & Salutis fana. — Ego vias intelligi putem; quales erant Sabinia, Apollinia, Appia &c.

Var. Lect. (g) castigari puellas. *Nota:* Rigaltius ait casti-

diri puellas praecepit, quoniam omnes in vico ante januam hospitii principis manserant. Et ita altera die, octava decima Calendarum Octobrium, mane multa turba convenit ad Sexti, secundum praeceptum Galerii Maximi Proconsulis.

§. 4.

Et ita Galerius Maximus Proconsul eadem die Cyprianum sibi offerri praecepit in atrio Sauciolo sedenti. Cumque oblatus fuisset, Galerius Maximus Proconsul Cypriano Episcopo dixit: Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus Episcopus respondit: Ego sum. *Galerius Maximus Proconsul dixit: tu papam te sacrilegae mentis hominibus praebuisti? Cyprianus Episcopus respondit: Ego* (*). Galerius Maximus Proconsul dixit: jusserunt te Sacratissimi Imperatores ceremoniari. Cyprianus Episcopus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Consule tibi. Cyprianus Episcopus respondit: fac quod tibi praeceptum est; (h) *in re tam justa nulla est consultatio.*

 Gale-

castigari, h. e. admonuit ut castissime se haberent, castitatis, sanctitatis & pudicitiae memores. (In Lipomano ist auch Vita Cypriani aus Adone Ep. Trev. darin stehet auch: praecepit custodiri puellas.)

(*) Hic signum interrogandi ponerem. Alias certe responsio sancto parum digna foret viro. *F. St.*

(h) In Lipomani Historiis de Vitis Sanctorum, ist auch von Cypriani Leben eine Beschreibung aus Augu-

Galerius Maximus collocutus cum Consilio, *sententiam vix aegre* dixit *verbis hujusmodi*: Diu sacrilega mente vixisti, & plurimos nefariae tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis & sacris legibus constituisti, nec te pii & sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Caesar ad sectam caeremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti; sanguine tuo sancietur disciplina. Et his dictis Decretum ex tabella recitavit: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus Episcopus dixit: Deo gratias.

§. 5.

Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat: Et nos cum ipso decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus est, & multa turba eum prosecuta est. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti productus est, & ibi se *lacerna* (i) *birro* expoliavit, & genu

---

Augustino, darin stehen p. 58 die Worte eben also: in re tam justa nulla est consultatio. Weiß ich also nicht, wo die Lectio: in re tam injusta non est consolatio befindlich sey? In vita Cypriani per Adonem descripta stehet: in re tam injusta nulla est consultatio

Nota: (i) lacerna birro] altera ex duabus vocibus pro additamento habenda . . . obesae prorsus naris

genu in terra flexit, & in orationem se Domino prostravit. Et cum se *Dalmatica* expoliasset & Diaconibus tradidisset, in linea stetit & coepit spiculatorem sustinere. Cum venisset autem spiculator, jussit suis, ut eidem spiculatori (k) XXV. aureos darent. (l) Linteamina vero & manualia a fratribus ante eum mittebantur. Postea vero beatus Cyprianus manu sua oculos texit. (m) Qui cum

---

naris est, qui in his quae sequuntur librariorum interpolationes, seculo & ingeniis suis dignas, non deprehenderit. Illi quidem, dum tunicam dignitati Episcopali non satis respondere crediderant, officiosissimi homines Dalmaticam subministrabant. (Ado Trevir. legit: lacerna & birrho. Lipom. Sanctor. Hist. 2. p. 67. Ed. Lov. 1565.)

(k) XXV. aureos] Largitio haec videtur ex librariorum munificentia facta.

Var. Lect. (l) Fratres vero flentes linteamina & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur a terra. (so stehet auch in Adonis Vita Cypriani Lip. p. 67.)

Var. Lect. (m) Ligatis quoque manicis ad cervicem a Tulliano presbytero, ipse sibi manu propria oculos texit, & sic gladio percussus occubuit. Huc usque corpus propter Gentilium curiositatem cum magna turba populi in proximo collocatum est; sed ne a Gentilibus tolleretur, nocte adveniente ex eodem loco ubi positum fuerat, sublatum est inde cum cereis & scolacibus, & in area cujusdam Candidi procuratoris cum magno triumpho sepultum est &c. . . . Galerius Maximus Proconsul post dies paucos discessit

cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus Presbyter & Julianus Subdiaconus ei ligaverunt. Et ita beatus Cyprianus passus est. Ejusque corpus propter Gentilium curiositatem in proximo positum est *cum* (n) *cereis & scolacibus*, in areis Macrobii Candidi Procuratoris, quae sunt in via Mappaliensi (o) juxta piscinas, cum voto &

---

discessit e Seculo. — Editor Operum *Johannes Fell*, Episc. Oxon. thut in Notis ad vitam Cypriani bald nach diesem p. 14 noch diese Erinnerung: Plurima Pontius, pio erga suum Episcopum affectu, rhetorica libertate ingeniose commentus est. Multa etiam alii, pro captu quisque suo adjecerunt, aliena seculo, aliena personis, quaedam etiam detraxerunt valde bona; ut jam pauca supersint, quae praestare possimus sincera. Illa ipsa, quae Prudentius Poeta, passionem Cypriani descripturus, famae accepta refert, Actis inserta transeunt in historiam.

(n) cum cereis & scolacibus] . . . Desideramus hic, ut alibi passim, historiae ecclesiasticae fidem & auctoritatem. Cum cereis & scholaribus.

(o) Nach Adonis Bericht haben die Abgesandten Caroli M. (mit Erlaubnis des damals mächtigen Persischen Königs Aaron, der selbige Länder auch beherrschete, dem sie große Geschenke dafür gegeben,) die Gebeine dieses h. Cypriani mit sich nach Frankreich genommen, und erstlich zu Arelas versiegelt niedergesetzet, von wannen sie Carolus M. abholen lassen wollen, wann er diesem Heiligen eine große Hauptkirche würde erbauet haben. Weil sich aber vieler anderer Geschäfte wegen solches

& triumpho magno. Post paucos autem dies Galerius Maximus Proconsul decessit. Passus est autem beatissimus Cyprianus die octava decima Calendarum Octobrium sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus: (p) regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

---

ches verzögert, so habe Leidradus Ep. Lugd. diese Reliquien von Carolo M. erbeten und erhalten, der sie dann nach Lion bringen, und in der größern Kirche S. Johannis bapt. post altare ehrerbietig beysetzen lassen. Tandem addit Ado: Referuntur autem cum B. Cypriano passi Crescentianus, Victor, Rosula, & Generalis. Lipom. p. 67. 68.

(p) regnante Domino nostro J. C.] Hanc formulam serius in ecclesiam introductam, satis norunt eruditi.

XVI.

XVI.

ALLEGORIA HOMERICA
RAPTUS AURORAE
EXPLICATA.

Simul Cerva Aurorae ex Psalm. XXII, ι. & ἁρπαγμος Phil. II, 6. obiterque alia Sacrae Script. loca, illustrantur.

COMMENTATIO

JO. CHRIST. WERNSDORFII
P. P. O. IN ACAD. HELMST.

ARGUMENTUM.

I. Graecis Romanisque varii ἐυφημισμοι de morte & mortuis usitati. Inter hos WINCKELMANNUS retulit *Raptum Aurorae*, cui dudum praeivit IS. VOSSIUS. II. Heraclidis Pontici & Eustathii interpretatio loci Homerici. Ἁρπαγη Ἡμερας, elatio funeris acerbi matutina. III. Mos veterum efferendi funera primo mane, qui deinde in vulgaribus & acerbis funeribus mansit. IV. *Choragium* an virginale funus notet, ut raptus Aurorae juvenile. Fulgentii locus. Fabula Apuleji de Psychae funere imaginario. Κοραγειν, raptio & deductio sponsae ad sponsum. Hinc *coragium* exsequiae virginis, per ἐυφημισμον.

V. Ἡμερα

V. Ἡμέρα Graecis est Aurora. Hinc ἁρπαγὴ Ἡμέρας, raptus Aurorae. Virgilius *atram diem* nominat. Sol *rapere* dicitur. Graecis Ἠὼς quandoque pro sole ponitur, Latinis aurora pro sole. VI. Quatuor memorantur ab Aurora rapti, Orion, Clitus, Cephalus, Tithonus. VII. Ἁρπαγὴ non solum elatio funeris, sed & ipsa mors. *Rapi* dicitur funus festinatum, & *rapina*. *Rapti*, immatura morte extincti. Raptor spiritus. Orcus raptor. Solis raptus. VIII. Raptus attributus Aurorae, ut Deae. Subiti & improvisi hominum obitus Dii auctores habiti. Apollinis sagittis virorum, Dianae mulierum mortes ascriptae. IX. Mors praematura beneficium Deorum. Fabella de Sileno. Cleobis & Biton beneficio Deae mane inventi mortui. Parvulus Jeroboami regis filius benefico Dei fato praereptus malis. Menandri & Plauti dictum: *Quem Dii diligunt, adolescens moritur.* X. Hinc e repentinis juvenum mortibus ficti Dearum ἁρπαγμοί. Antiquissimae aetatis opinio, amicos & cultores Dei non mori, sed transferri a Deo in coelum. Henochi raptio in coelum & Eliae. Ganymedes cum Henocho ab Ursino comparatus. XI. Raptio Aurorae & mortem praematuram significat, & delinimentum mortis. In raptibus aliorum Deorum caussae quaedam mortis repentinae apparent. Hinc etiam in raptu Aurorae investigandae. Solis raptus, Jovis, Martis, Nympharum. XII. Rapti ab Aurora dicti videntur, qui praematuro, ignoto & obscuro mortis genere periissent. Sol omnia scire & videre creditur. Hinc ei commendati ignoto fato mortui, & auctore mortis ignoto, ipse Sol rapuisse dictus. XIII. Raptus Aurorae illustratus ex Hebraeorum usu vocis *Schachar*. Hac subinde notare videntur obscuros ortus & ignotas caussas ingruentis mali. Usurpatur de praematura & subita morte. *Crepusculum* Latinorum matutinum

tutinum & dubiae lucis tempus. *Atra dies* Virgilii prima & imbecilla aetas infantum. Hebraeis pueritia *schacharuth*. Interire sub Aurora, & ab Aurora rapi, idem est. XIV. Graecorum λυκοφως, *crepusculum, diluculum,* quasi lux lupi, *lux rapiens*. λυκη, unde λυκος, acies oculorum, & prima lux, diem praecedens. Habet simul rapiditatis notionem. Et λυκος rapacitatis nomen. Sol λυκος. Apollo Lycius, λυκηγενης. Λυκαβας, annus. Sol cultus forma animalium, quorum acutissimus visus, & magna velocitas. Diluculi tempus rapinis infestum. Ferae rapaces, in primis lupi, mane exeunt ad raptum. Earum rapinis inest imago praematurae & subitae mortis hominum. Sculpturae animalium rapacium in monumentis sepulcralibus. Λυκοφως, atra dies Virgilio, imago aetatis hominum imbecillae, rapacitati fati maxime expositae. Corpora functorum cremata sub diluculo. Hinc λυκοφως quasi tempus consumens & vorans. Inde raptus Aurorae. XV. Tempus diluculi periculosum, propter Deos & Manes in terris oberrantes ad Aurorae usque exortum. Dii infesti & graves, ubi conspiciuntur, sub diluculo. Jacobi cum angelo luctantis sub ortum Aurorae periculum. Hinc fortasse rapti ab Aurora dicebantur, qui malum aliquod sub ortum ejus nacti. XVI. Ventus flagrans & pestilens in Oriente ab Aurora spirans, Hebraeis *ruah Kadim*, maximarum calamitatum & plurimarum mortium caussa. Bocharti de eo sententia. Καυσων in epistola Jacobi. Jonas vates aestu solis & Euro flagrante ustus. Flos sub ortum Solis vento urente enectus symbolum praematurae mortis poetis. XVII. Raptus Aurorae fortasse significat finem vitae inter matutina negotia amissae. Qualis est venatio, cui aurora & prima lux in primis apta est habita. Orion & Cephalus, ab Aurora rapti, celebres venatores. Multi in venatu perierunt.

Inde

Inde rapti ab Aurora, qui ſtudio venationum abſumti. XVIII. Etiam profectionis tempus opportunum & ſollenne prima lux. Qui rapti dicuntur, in remotiores terras delati. Peregrinatio, qua diutius abſentes deſiderantur a ſuis, ſimilis morti. Rapti ab Aurora, qui longius profecti pro amiſſis haberentur. XIX. Imago Aurorae delinimentum mortis acerbae. Rapti dicebantur, qui in Deos relati. Rapere Aurora dicitur pulchros & Diis ſimiles, quod ipſa pulcherrima, & lucis divinae miniſtra. Pulchritudo oris Aurorae vel ſideri comparata. Pulchri & Diis ſimiles ii maxime intelligendi, qui animi dotibus, virtute, dignitatis & rerum geſtarum ſplendore illuſtres. Hinc raptus Aurorae praemium immortalitatis & gloriae. XX. Aurora immortalitatis imago, & Oriens Deorum ſedes, ſicut Heſperus, Nox, Orcus imago & ſedes mortis. Ros matutinus, nectar Deorum. Tithonus ab Aurora nectare paſtus. Lux Aurorae, lumen vitae beatae. XXI. Rapere homines Aurora dicitur, quod terrae eſſe proxima videtur. Ut Herſilia, Romuli conjux, ab Iride in coelum educta. Etiam Soli occidenti vel orienti hoc tributum. Aurora fores Olympi, ſedis Deorum, pandere dicitur, ut Veſper claudere. Hinc rapti ab Aurora, qui in concilium Deorum admiſſi. XXII. Inſcriptio Pſalmi XXII, *ajeleth haſchachar*, a LXX Graecis exponitur *ἀντιλήψις ἑωθινή*, a Vulgato *ſuſceptio matutina*: Plerique interpretantur *Cervam Aurorae*. Alexandrini eam ſic expoſuerunt, & videntur ad raptum Aurorae reſpexiſſe. XXIII. Cervus, caprea, hinnulus antiquis ſymbolum hominis gratioſi & amabilis. Dorcas, nomen ὑποκοριστικόν. Cervos maxime ſub aurora venari mos fuit. Cervi interitus ſaepe magno cum dolore acceptus a veteribus. Hinc *Cerva Aurorae* proverbialis locutio de juvenis eximii fato praematuro. Davidis de Jona-

 thane

thane occiso lamentatio. Orpheus laniatus, ut cervus matutinus. Alii in cervos mutati dicuntur, ut misere perirent. XXIV. Sed Cerva Aurorae simul symbolum hominis e praesenti periculo erepti. Aurora ipsa in sacris litteris imago auxilii & solatii divini. Eadem cervo agitato saepe montium cacumina aperit, quo confugiat. Hinc hominis e periculis erepti salus comparatur cum cerva, velocitate pedum in montes evadente. XXV. Similitudo inter Hebraeorum *cervam Aurorae*, & *raptum Aurorae* Graecorum. Ambigua vocis *ajeleth* significatio, cum ejusdem originis vocabulo *ejaluth*, *virtus*, commutata. Hinc forte Graeci raptum Aurorae commenti sunt, & interpretes Psalmorum Graeci *ajeleth* verterunt ἀντιληψιν. Hujus vocis eadem fere significatio ac της ἁρπαγης. XXVI. Titulo *cervae Aurorae* argumentum Psalmi continetur. Describuntur Messiae extremi cruciatus, mors & ex morte liberatio, cum manifesta allusione ad cervarum agitationem & laniatum. Angores Christi aeque ac ejus resurrectio mane fiebat sub aurora. XXVII. Ἁρπαγμον Phil. II, 6. Stephanus le Moyne putat respicere ad ritum aquilae e rogo emissae in consecrationibus Imperatorum. Sed is ritus Paulli tempore nondum valde celebratus. Potius ad ἁρπαγμον Aurorae vel aliorum Deorum respicitur. Τῳ ἁρπαγμῳ Paullus conjungit το ἐιναι ισα Θεῳ. Et rapti a Diis dicebantur ἰσοθεοι, ἐπιεικελοι θεοις. Ἁρπαγμος est occulta translatio sine morte. Hinc Paullus eum morti Christi, palam in cruce obitae, opponit. Sensus verborum Paulli. ———

§. I.

§. I.

Graecos Romanosque veteres in rerum triſtium dirarumque commemoratione a male ominatis vocibus ſtudioſe caviſſe, & maxime, ubi de morte & mortuis ſermo eſſet, ad molliendam triſtis mortalitatis cogitationem, operam dediſſe, ut triſtia & feralia non nominarent, bona tantum & laeta verba, meliore ſcaeva, dicerent, id neminem omnino fugere poteſt, qui rerum antiquarum paullo ſit peritior. Cum enim pro ipſo moriendi vocabulo haud raro mollioribus laetioribusque uti voluerunt, tum ipſos mortuos eandem ob cauſſam μακαρίτας, felices [a]), vocarunt. Sed in variis εὐφημισμοις, quibus triſtitiam fati mitigare voluerunt, nec celebratus pro merito, nec explanatus ſatis videtur ille, quo acerbum juvenis funus vocare ſolebant *Raptum Aurorae.* Retulit nuperrime WINCKELMANNUS [b]) inter amoenas praematurae mortis imagines, quibus Homerus uſus ſit, Auroram, quae puerum ulnis ſublatum abripit. Praeivit ei dudum IS. VOSSIUS [c]): *Ab Aurora*

a) THEOCR. *Idyll. II,* 70. HORAT. *Sat. I,* 9, 27. Plura hanc in rem legere licet apud GUIL. BUDAEUM *in comment. Gr. ling. p.* 218. & PAUL. ARINGHIUM *Romae ſubterr. Tom. I. lib. I. cap.* 17. §. 8.

b) *Verſuch einer Allegorie, beſonders für die Kunſt, p.* 80.

c) In Obſ. ad Pomp. Mel. lib. III, cap. 7.

rora etiam, inquit, *qui rapiuntur, non amplius comparent. Tales erant, qui ante tempus & diem moriebantur, quos ab Aurora raptos esse dicebant veteres. Hinc apud eos morem permansisse, ut pueri, & qui immatura morte periissent, mane ante ortum Solis sepelirentur. Testis est Eustathius ad Homerum.* WINCKELMANNUM obfervo nimium tribuere Homero, quum imaginem Aurorae puerum in ulnis ferentis ad eum refert. Hic enim simpliciter tantum rapere Auroram dicit, at PAUSANIAS d) refert Athenis in Ceramico conspici statuam Aurorae Cephalum raptum gestantis. Et talem etiam Aurorae pueros rapientis imaginem in vetusto monumento sepulcrali expressam mihi reperisse videor e). Invitavit autem

d) In Atticis, p. 3. Wechel.

e) In antiquo monumento Lucciae Telesinae dicato, quod aere expressum in nova editione Corporis Gruteriani p. 1148 exhibetur. Conspicitur femina eo ornatu, nempe fluitante velo, ut Dea h. e. Aurora videri possit, duos infantes ulnis tenens. Ad utrumque ejus latus duae mulieres, luctu consternatae, & nudis mamillis fugientes, & infantes, quos Dea tenet, respicientes, ut plane eo habitu raptos sibi ab uberibus pueros lugere & plangere videantur. Qui multa veterum monumenta spectaverit, & meminerit sepulcra defunctorum saepe ornata esse fabulis & imaginibus, quae vim mortis, animae perennitatem, & quae huc spectant, exprimant, is imaginem Aurorae rapientis hic sisti facile sibi persuadebit. Huc etiam referas gemmam Dactyliothecae COR-

autem WINCKELMANNI obſervatio, ut raptum Aurorae a veteribus proditum, de quo olim jam multum cogitaveram, renovato ſtudio explicare diligentius, & excuſſis antiquitatis monumentis illuſtrare aggrederer.

II.

Vetus illa de juvenibus ab Aurora raptis traditio non tam ipſi Homero, quam Homeri interpretibus debetur. HERACLIDES Ponticus f), laudato hoc verſu Homeri g):

Ὡς μὲν ὅτ' Ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,

poetam dicit ſignificare; Orionem adhuc juvenem, florente corpore, ante maturam aetatem fato raptum fuiſſe. Moris autem fuiſſe antiquis, defunctorum corpora neque noctu, neque circa meridiem efferri, ſed primo diluculo, oriente ſole, necdum ignitos radios emittente. Itaque generoſo quopiam & formoſo juvene mortuo matutinam funeris elationem fauſti ominis gratia

 DIEI

GORLAEI *num.* 276, ubi mulier puerum medium complexa, quaſi ablatura, geſtat. GRONOVIO videtur Ino eſſe cum Melicerta, ſed Auroram fortaſſe conjicias ex nimbo vel circulo capiti appoſito, ſi omnino antiqua haec gemma eſt. Nam rudior ſculptura videtur.

f) In allegor. Hom. inter Galei opuſc. mythol. p. 492.

g) Odyſſ. V, 121.

DIEI RAPTUM appellatam, tanquam non exſpiraſſet, ſed amoris deſiderio raptus esſet. Ἐπειδὰν οὖν εὐγενὴς νεανίας ἅμα καὶ κάλλει προέχων τελευτήσῃ, τὴν ὄρθριον ἐκκομιδὴν ἐπευφημοῦν Ἡμέρας ἁρπαγὴν, ὡς οὐκ ἀποθανόντος, ἀλλὰ δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ἀνηρπασμένου. Paria ad hunc locum tradit EUSTATHIUS: Δοκεῖ δὲ καὶ πρὸ ὥρας ἀρπαγῆναι τοῦ βίου κατ' ἐκεῖνον. Φασὶ γὰρ ὅτι τοὺς τοιούτους νέους ἅμα ἡμέρᾳ ἐξωσιοῦν ταφῇ οἱ προσήκοντες, ὡς μὴ ἀνεκτὸν ὂν ἡλίῳ θεαθῆναι τοιοῦτον κακόν. Διὸ καὶ ἐλέγετο ἁρπάζειν αὐτοὺς ἡμέρα. *Videtur autem & illius ante diem vita erepta. Dicunt enim juvenes bujusmodi ſimul atque dies illuceſceret tumulo illatos a propinquis, quaſi intolerandum eſſet Solem bujusmodi malum intueri. Atque eam ob cauſſam Dies eos rapere dicebatur.* Similem locutionem in Virgilio reperire ſibi viſi ſunt veteres ejus interpretes. Nam ubi matutinam funerationem caeſorum in proelio memoraturus, hanc diei orientis deſcriptionem praemittit (*):

Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem,

Servius dicit jam olim ab Aſinio Pollione obſervatum, hic a Virgilio in deſcriptione diei aptum verbum funeri & ſepulturae deſcribendae poni, *extulerat lucem*, quaſi quae funeribus ad ſepulturam efferendis lucem efferat.

III.

(*) Aen. lib. XI, 182.

III.

Ad explicandum versum Homericum primo HERACLIDES allegat ritum veterem efferendi funera primo mane. Moris, inquit, fuit defunctorum corpora neque noctu, neque circa meridiem, sed primo diluculo efferri. Hunc ritum Graecorum fuisse, plurima poetarum HOMERI, CALLIMACHI, THEOCRITI loca probant h). CICERO vero testatur i), apud Athenienses hujus ritus auctorem Demetrium Phalereum fuisse. Romae antiquitus funera elata noctu, h. e. primo mane, & ante diem, ipsum funeris vocabulum probat, quod, auctore DONATO k), *a funalibus dictum est. Etenim noctu efferebantur propter sacrorum celebrationem diurnam.* SERVIUS quoque annotat l), *quod per noctem urebantur, inde permansisse, ut mortuos faces antecedant* m). Post-

 quam

h) Apud HOMERUM observatur in Patrocli exsequiis, *Iliad. XXIII*, 226. in Hectoris, *XXIV*, 785. nec non Elpenoris, *Odyss. XII*, 8, & Achillis *Od. XXIV*, 72. CALLIMACHUS *Epigr.* 21. THEOCRITUS *Idyll. XV*, 132.

i) *Lib. II, de leg.* 26: Iste sumptum minuit non solum poena sed etiam tempore. Ante lucem enim jussit efferri.

k) Ad Terent. Andr. Act. I, sc. 1. v. 81. *&* SERVIUS *ad Aen. I*, 727.

l) Ad Virg. Aen. VI. 224.

m) Vid. KIRCHMANNUS *de funer. Rom. lib. II. cap.* 2 *&* 3. GUTHERIUS *de jure man. lib. I. cap.* 29.

quam splendidior exsequiarum pompa Romae instrui, & funera indictiva celebrari coeperunt, mos sub noctem efferendi tantum in vulgaribus & acerbis funeribus mansit. *Magis moris Romani*, inquit SERVIUS n), *fuit, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturae subolis domus funestaretur, quod praecipue accidebat in eorum, qui in magistratu erant, filiis.* Hinc pereleganter *Seneca* de lychnobiis o): *Isti mihi defunctorum loco sunt. Quantum enim a funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt.* Eum ritum praetendebat sceleri suo Nero, quum fratrem Britannicum eadem, qua veneno sustulerat, nocte cremandum curasset: *Festinationem exsequiarum edicto Caesar defendit, a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere* p). Quamquam igitur promiscue olim funera ante lucem elata, tamen in juvenum & praematura morte extinctorum exsequiis hic mos necessario & perpetuo observatus, & propterea HERACLIDES illum ἐυφημισμον raptus Aurorae de his tantum usurpatum esse docet.

IV.

Parem ἐυφημισμον de virginis immaturae funere antiquitus usurpatum, & subinde *chora-*

---

n) Ad Aen. lib. XI. l. c.
o) Epist. 122.
p) TACIT. *annal.* XIII, 17.

choragium dictum esse, existimat GUTHERIUS q). Sed res adhuc dubia & minus explicata est. FULGENTIUS r) diserte: *Choragium virginale funus vocatur.* Sed eo sensu nemo veterum usurpat, si fortasse Apulejum excipias, quem mox videbimus, nec TURNEBUS sic se legisse usquam recordatur s). FESTO POMPEJO scilicet choragium est *instrumentum scenarum* h. e. apparatus & ornamenta scenae, unde Choragus, qui ornamenta illa praebenda locat t). Atque hic usus fere perpetuus scriptoribus est, ut vel proprie de scenae ludorumque ornamentis, vel metaphorice de aliarum rerum splendore & apparatu dicant. PLAUTI hoc primarium testimonium est u),

> *Nam hoc paene iniquum est, comico choragio*
> *Conari desubito nos agere tragoediam.*

APULEJUS quoque *thymelicum choragium*, ut Plautus *comicum*, dixit x). Idem tamen aliis locis de elatione funeris y), & in fabula Psychae z) de deductione virginis in mo-

q) De iure manium, lib. I. cap. ult.
r) In expos. serm. ant.
s) Advers. XXVI, 10.
t) Vid. CASAUB. *ad Suet. Aug.* 70.
u) Captiv. prolog. v. 61.
x) In Apol. p. 282.
y) *Metam. lib. II. p.* 123: Cantatrices aniculae in ipso momento choragii funebris perpeti celeritate alienam sepulturam antevortunt.
z) Metam. lib. IV. p. 157.

modum feralium exſequiarum adornata *choragium* uſurpavit. *Jam*, inquit, *feralium nuptiarum miſerrimae virgini choragium inſtituitur.* Et paullo poſt: *Choragio itaque perfecto dejectis capitibus domuitionem parant.* Palam eſt, per choragium non tam mundum & apparatum nuptialem, quam deductionem ſponſae, tanquam vivi funeris, ab Apulejo indicari. Apud FULGENTIUM [a]), qui fabulam Pſychae ex Apulejo repetit, gloſſa interlinearis ejus codicis, quo MUNCKERUS uſus eſt, verba *perfecto choragio* explicavit *puellari vel virginali funere.* Jam quidem credibile eſt, quod MUNCKERUS ſentit [b]), habere Fulgentium vocabulum choragii ab Apulejo, explicationemque ejus inde ortam eſſe, quod in deſcriptione apparatus funeris illius imaginarii voce iſta utatur Apulejus. Sed velut intercedit HESYCHIUS, qui verbum κοραγειν profert, & interpretatur ἀπαγειν την κορην, *abducere virginem.* Unde ſuſpicio naſcitur, Apulejum aeque ac Fulgentium ἐκ τȣ κοραγειν, vel ἀπο της κορης formaſſe *coragium*, quam ſcripturam etiam in Fulgentii codicibus TURNEBUS & MUNCKERUS reperit, eo vero vocabulo funus virginis per εὐφημισμον deſignari. Nam interpretatio, quam Heſychius affert, verbi κοραγειν, ſignificare eum ritum nuptiarum videtur, quo virgo e ſinu matris rapta, multo comitatu

a) Mythol. lib. III. c. 6.

b) Ad Fulg. expoſ. ſerm. ant. v. coragium.

mitatu fausta accinentium, ad sponsum deducebatur. FESTUS POMPEJUS: *Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* VIRGILIUS hunc ritum tangit c), & ipsum Hesychii ἀπαγειν exprimit:

— *Soceros legere, & gremiis abducere pactas.*

Jam nuptialis & funebris deductio hoc commune habet, quod illic sponsa, hic virginis funus rapitur, prosequente turba, & praelatis facibus. Unde poetae, utrumque tempus designantes, saepe ad faces alludunt. PROPERTIUS d): *Viximus insignes inter utramque facem.* Et OVIDIUS e): *Et face pro thalami fax mihi mortis adest.* Hinc Apulejus Psychae nuptiis feralibus pereleganter vocabulum *coragii* accommodavit. Sed quoniam nuptiae virginis, & raptus sponsae e gremio matris res fausta & boni ominis erat, hinc fortasse exsequiae virginis boni ominis caussa coragium dicebantur, quasi non mortua, sed desponsata e gremio parentum in domum sponsi deduceretur. Fortasse & *coragium* simul respicit ad raptum Proserpinae. Haec enim a Graecis κατ' ἐξοχην Κοϱη, ejusque raptus ἁϱπαγη της Κοϱης dicitur. Jam quemadmodum Proserpina, ignoto

---

c) Aen. X. v. 79.
d) Lib. IV. Eleg. ult.
e) Heroid. XXI, 172.

ignoto fato extincta, ad leniendum dolorem matris ferebatur a Deo inferorum rapta, & facta inferorum regina, sic fieri poterat, ut fatum virginis immaturae *coragium* diceretur, quasi instar Proserpinae a Deo aliquo rapta esset. Quo pacto coragium cum ἁρπαγη Ἡμερας, quae funus acerbum juvenis indicabat, plane convenit.

V.

Ἁρπαγην Ἡμερας, quam HERACLIDES PONTICUS nominat, rectius convertimus Raptum *Aurorae*, quam *Diei*. Aurorae enim poetae raptum illum tribuunt, ut ex locis deinceps afferendis patebit, nec Heraclides, qui Homeri versum interpretatur, per Ἡμεραν aliud declarare potest, quam Homeri Ἠως significabat. Graecis vero Ἠως & Ἡμερα idem est. HESYCHIUS: Ἠως, ἡμερα, το πρωτον φως ἠγουν αὐγη. Idem alio loco f): τρεις δε εἰσι σημασιαι του φωτος, ἑωσφορου, ἡμερας, ἡλιου. Et PAUSANIAS diserte, quae Cephalum rapuerit, Ἡμεραν dicit g). Latinis is usus vocabuli Dies non est, ut pro Aurora semper poni queat, quamquam eo raptum

f) v. Ζηνι.

g) In Attic. pag. 3. Wechel. Ταυτης ἐπεισι τῳ κεραμῳ της στοας - - - φερουσα Ἡμερα Κεφαλον· ὁν καλλιστον γενομενον φασιν ὑπο Ἡμερας ἐρασθεισης ἁρπασθηναι. Idem *in Lacon. pag.* 101: Κεφαλος δε του καλλους ἑινεκα ὑπο Ἡμερας ἐστιν ἡρπασμενος.

raptum Aurorae quidam VIRGILIUM expreſſiſſe putant, ubi de mortuis infantibus:

> *Quos dulcis vitae exſortes & ab ubere raptos*
> *ABSTULIT ATRA DIES, & funere merſit acerbo* h).

Sol etiam quando *rapere* dicitur in lapide antiquo, fortaſſe idem eſt ac raptus Aurorae. Certe Graecis quandoque Ἠώς pro Sole ponitur, ut in illo MUSAEI i):

> Φεγγος ἀνασειλασα κατῄιεν ἐις δυσιν Ἠώς.
> *Lucem contrahens deſcendit ad occaſum Sol.*

Et Auroram etiam a Latinis pro Sole uſurpari, ut fit in epigrammate de Roſcio Catuli apud CICERONEM k), annotavit ad eum locum DAVISIUS. Sed tamen Solem & Auroram ſic permutari a Latinis, ut raptus Solis & Aurorae idem ſit, nondum audeo affirmare.

VI.

Caeterum apud poetas quatuor in primis ab Aurora rapti memorantur, Orion, Clitus, Cephalus, Tithonus. Orionem, de quo verſus Homericus ſupra allegatus agit,

h) Aen. VI, 426.

i) *De Her. & Leandr. v.* 110. Sic & CALLIMACH. *hymn. in Dian. v.* 249. — τῳ δ' ἐτι θειοτερον ὀψεται ἠως. *Quo nullum divinius videbit ſol.*

k) De nat. Deor. I. 28.

agit, APOLLODORUS refert [l]), ab Aurora raptum in Delum translatum esse, & HOMERUS, postea occisum esse a Diana. Unde mirum est, HERACLIDEM putare, raptu Aurorae praematurum Orionis obitum ab Homero significari, qui bis adeo mortuus esset, si eum postea Diana occidit. De Clito, Mantii filio, HOMERUS [m]):

Ἀλλ' ἤτοι Κλειτον χρυσοθρονος ἡρπασεν Ἠως
Καλλεος ἑινεκα ὁιο, ἱν' ἀθανατοισι μετειη.
Sed certe Clitum aureae sedis rapuit Aurora,
Pulchritudinis gratia, ut immortalibus interesset.

Cephalum ab Aurora raptum OVIDIUS, APOLLODORUS, NONNUS [n]), alii memorant. De Tithono, quem APOLLODORUS ab Aurora in Aethiopiam abductum dicit [o]), hos versus HOMERUS habet [p]):

Ὡς δ' αὖ Τιθωνον χρυσοθρονος ἡρπασεν Ἠως,
Ὑμετερης γενεης ἐπιεικελον ἀθανατοισι.
Ut autem iterum Tithonum aureae sedis rapuit Aurora,
Vestri generis, similem immortalibus.

Hujus

l) *Bibl. lib. I. p.* 11. *Commel.* Add. NONNUS *Dionys. lib. V. p.* 170.
m) Odyss. XV, 250.
n) OVID. *Metam. VII,* 702. APOLLOD. *III. p.* 193. NONNUS *lib. XLII, p.* 1088.
o) *Lib. III. p.* 181.
p) Hymn. in Ven. v. 219.

Hujus Tithoni ab Aurora rapti fabula omnium celebratiſſima eſt. Tradunt enim poetae, cum ei Aurora immortalitatem a Diis impetraſſet, ſed oblita eſſet, petere etiam, ne ſeneſceret, Tithonum tam confectum & attenuatum ſenio eſſe, ut praeter vocem nihil ei ſuperfuerit, & in thalamo incluſus, quaſi in cavea, ſervaretur q). Alii tandem in cicadam dicunt eſſe converſum, quae mutatis prioribus exuviis, vel ſenio confecta, non occidit, ſed juveneſcit r).

VII.

Nos in raptu Aurorae, quem interpretes Homeri nobis ſiſtunt, deprehendere videmur & mortis immaturae ſignificationem, & ejusdem lenimentum. Utrumque jam declarare, & cauſſas ejus eruere animus eſt. Scilicet Ἁϱπαγη primario non elatio funeris acerbi, ſed ipſum fatum ſubitum juvenis generoſi appellatum eſt. Cui quoniam ritus funeris acerbi quodammodo apti & accommodati erant, ipſa elatio dicebatur ἁϱπαγη. Fatum ſubitum referebat antelucana ſepultura, cum qui mortuus ante diem ſuum eſſet, ante diem ſepeliretur, & qui ſubito ignotoque genere mortis, nondum clara luce, nec noſcentibus hominibus, efferretur. Ipſum quidem Homerum, ficto Auro-

q) HOMERUS *loc. cit.*
r) NATAL. COM. *Mythol. lib. VI. c.* 4.

Aurorae raptu, mortem immaturam intelligi voluiſſe, nondum liquet; credimus tantum ejus interpretibus. Qui quamquam haud raro inanem & ſupervacuam ſapientiam in poeta interpretando oſtentant, eique plura myſteria affingunt, quam quae jure poſſint, hic tamen eorum opinio pluribus antiquitatis teſtimoniis fulciri videtur, ut, ſi non ex ipſo Homero, ex aliis tamen colligi queat, raptum Aurorae olim dictum eſſe quoddam mortis genus. Verbum ipſum *raptus* & *rapi* a Graecis Romanisque tam de funere & exſequiis, quam de morte frequentiſſime adhibetur. Apud CICERONEM [s]) *mortuus rapitur* idem eſt, ac funus ducitur, & PROPERTIUS videtur funus elatum *rapinam* appellare [t]):

Nec mea de ſterili facta rapina domo.

De funeribus acerbis ſine dubio hoc magis proprie dictum, quum plerumque feſtinanter raptimque ducerentur. Hinc Britannicum, veneno necatum, SUETONIUS *ſcribit* [u]), *raptim translatitio funere* elatum eſſe. Ipſa mors reſpicitur, quando *rapti* dicuntur, qui praeter fatum, h. e. morte ſubita & violenta, vel ſaltem praematura, infantes vel pueri, perierunt. HORATIUS [x]):

— Im-

s) De Orat. II, 70.
t) Lib. IV. eleg. 12. v. 62.
u) In Ner. c. 33.
x) Carm. II, 13.

— Improvisa lethi
Vis rapuit rapietque gentes,

& frequentissimum est, *Orcum rapere.* y). VALERIUS MAX. Tullum Hostilium, regem Romanum, quem fulmine extinctum memoraverat, mox *raptum in urbe* dicit z). Eidem *raptor spiritus* percussor & homicida est a). SUETONIUS de liberis Germanici b): *Duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens.* Addo veterem inscriptionem c):

L. VALERIO INFANTI
RAPTUS QUI EST SUBITO
QUO FATO NON SCITUR.

E frequenti illa phrasi, qua Orcus diceba-tur rapere mortuos, orta sine dubio fabula est raptae a Plutone Proserpinae, quae nihil aliud, quam casum ejus fatalem & acerbam mortem designat. Bene enim rem declarat JULIUS FIRMICUS d), Proserpinam profunda

---

y) Saepe hoc utitur CALLIMACHUS *in Epigramm.* A quo & Orcus dicitur *παντων ἁρπακτης ἀΐδας. Epigr. II.* Addo inscriptionem sepulcralem apud FLEETWODUM *p.* 232:

Ἀπληρωτ' Ἀιδη τ. με νηπιον ἡρπασες ἀφνω
Τι σπευδεις, ου σοι παντες οφειλομεθα.

z) Lib. IX, 12, 1.
a) Lib. V, 3.
b) In Calig. cap. 7.
c) GRUT. *pag. DCCX*, 10.
d) De err. prof. rel. p. 258, inter Mythol. latin. edit. Commel: Quadrigam, quae vehiculum

funda voragine lacus, urbi Hennae vicini, cum amatore misere submersam periisse. Unde qui solari matris luctum voluerunt, finxerunt raptam esse ab inferorum Deo. Hinc quae in quibusdam monumentis antiquis lapidi incisa reperitur figura raptus Proserpinae significare videtur ejus, cui monumentum inscriptum est, mortem praematuram e). Similiter Aurorae raptum mortis caussa tribui, ex affini ejus *raptu Solis* patet, qui in marmore vetusto memoratur f);

SOL
ME RAPUIT
INCAUTUM
PLURA NOLI QUAERERE
ABI ET CAVE.

VIII.

Etenim hoc non praetermittendum est, in appellatione Ἁρπαγης Ἡμερας raptum juvenum

---

trahebat per medium lacum dirigit. Is erat profundis voraginibus immensus. Illic cum amata submersus virgine, miserandae matri de morte filiae funestum spectaculum praebuit. Hennenses, ut possent maternis luctibus ex aliqua parte invenire solatium, inferorum Regem virginem rapuisse finxerunt.

e) Tale monumentum extat apud GRUTERUM *pag. DXC*, & in BEGERI *Spicil. antiquit, p.* 94.

f) GRUTER, *pag. DCCCCXXVIII*, 5.

venum Aurorae vel Diei adſcribi, quaſi Deae. Subitos vero & improviſos hominum obitus, qui non eſſent ab externa vi, veteres adſcribebant Diis, ſicut & morbos mortiferos a Diis eſſe credebant. Hinc vetuſtiſſima medicina, obſervante CORNELIO CELSO g), nihil aliud quam vulnera & damna corporis externa curare novit, morbis corporum, quod a Deorum ira infligi credebant, non medicamenta, ſed placamenta irae Deorum, luſtrationes & expiationes adhibebant: qui vero primi morbis mederi auſi ſunt, pro Diis habiti. Hinc morbus comitialis, quod horridior & a Diis immiſſus credebatur, ſacer & divinus appellatus eſt, peſtilentia & vulgati per homines morbi ad Deorum vim relati. Sigillatim GISB. CUPERUS h) ex opinione veterum obſervat mortes ſubitas virorum Apollinis, feminarum Dianae ſagittis adſcriptas eſſe. Videntur enim veteres radiis Solis & Lunae vim quandam mortiferam in corpora hominum tribuiſſe, quos ſagittis Apollinis & Dianae intelligebant. Veſtigia hujus opinionis in ipſis ſacris litteris reperiuntur, ut quum DAVIDES i): *Non tu*, inquit, *nocturnos terrores, non volucres interdiu ſagittas formidabis*. Et iterum k): *Te neque ſol interdiu, neque*

g) Praefat. libri I. de medic.
h) In Harpocr. p. 43.
i) Pſ. XCI, 5.
k) Pſ. CXXI, 6.

neque luna noctu feriet. Poetae plerumque id ſervant, ut luem vel peſtilentiam graſſantem deſcribentes, telis Apollinis eam effectam prodant. Loca poetarum ſatis nota non adſcribo. Ut uno exemplo utar, Niobes filii a poetis finguntur ab Apolline, a Diana vero filiae occiſae l), quod fatum EUSTATHIUS ut exponat accidiſſe eis ſcribit ἐξ ἀιτιας λοιμωδες. Idem aperte hanc opinionem veterum declarat m): Ὅτι δε τη Ἀρτεμιδι τουτεστι τη Σεληνη τους ἀιφνιδιους θανατους των γυναικων ἀνατιθησιν ἡ Ἑλληνικη δοξα, δηλον ἐστιν, ὥσπερ ὁ Ἀπολλων ἡ Ἡλιος ἀιτιος λεγεται του ἀιφνης θνησκειν τους ἀνδρας. HOMERUS duobus locis Diis mortem inferentibus ἀγανα βελη, mitia, placida tela tribuit, ut mortem non violentam & externa vi illatam, ſed placidam, quamquam cauſſis occultis & praeter naturam ingruentem, ſignificet. Hinc VALERIUS FLACCUS n) in eadem materia *arcanas ſagittas* vocat Dianae:

— — *Triviaeque potentis*
Occidit arcana genetrix abſumta ſagitta.

IX.

Ita quidem repentinae mortes pro poenis habebantur Deorum, ſed erat quoque, ubi

l) HOM. *Iliad. XXIV*, 602. OVID. *Metam. VI*, 216. *ſeqq.*
m) Ad Iliad. VI, p. 637.
n) Argon. lib. III, v. 322.

ubi a Diis propitiis beneficii loco proficisci credebantur. Nam uti cito & nullo cruciatu obire multi felicitatem reputabant, vocabantque cum Caesare Augusto εὐθανασίαν o); sic praeterea, quae mors homini accideret integra adhuc aetate & fortuna, eumque ingruentibus calamitatibus praeripere videretur, pro bono maximo & amoris divini documento agnita. Non aliam certe ob caussam Penelope apud HOMERUM p) Dianam precatur, ut sibi jacta statim sagitta vitam adimat. Enim vero ex arcana ipsorum Deorum sapientia hoc repetebant veteres, mortem maturam hominibus in bonis ducendam esse. Et celebratur in primis quaedam de Sileno fabula, qui cum a rege Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur, & docuisse regem, *non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quam primum mori.* Affert hanc fabulam CICERO q), qui cum

U 3 longa

o) SUETON. Aug. 99.

p) Odyss. XX, 60.

q) *Tuscul. I,* 48. Idem repetiit in *Consolatione,* teste LACTANTIO *lib. III,* 19. Confer. SENECA *de tranq. cap.* 3. MELA *lib. II, c* 2, 25. AUSON. *Idyll XV. vers. ult.* Refutat haec LACTANTIUS *l. c.* ostenditque, iniquissimos esse, qui, quod mala subinde accidant in vita, propterea omnem vitam damnent. Ipsam vitam bonum esse, si cum virtute vivatur; malum, si cum scelere; sic & mortem ex praeteritis vitae

actibus

longa disputatione, mortem in malis ducendam non esse, probasset, adjicit demum quendam, ut ipse ait, rhetorum epilogum, proferendis ipsorum Deorum hac de re judiciis, quibus mortis maturae caussam quasi judicatam confirmassent. Ex his illud tantum repetimus, quod de Argiae sacerdotis duobus filiis, Cleobi & Bitone, ex Herodoto refert. *Hanc sacerdotem Junonis cum ad sollemne & statum sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta; tunc juvenes filii, veste posita, corpora oleo perunxerunt, ac jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a Dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a Deo: post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos* [r]). Ipsa

---

actibus ponderandam Neque tamen attigit Lactantius sententiam Salomonis, qui similiter pronuntiavit, Coh. IV, 2, 3.

r) Hanc historiam LAUR. BEGERUS *in Spicil. Ant. p.* 146. in tribus marmoris antiqui segmentis figuratam exhibet: quorum in uno mater in plaustro a duobus filiis tracta; in altero mater ad templum Junonis precans, & duo filii humi jacentes mortui; in tertio iidem cum Aeternitate bigis vecta, frena equorum apprehendentes, conspiciuntur. Nescio, an hic Aurorae potius quam Aeternitatis bigae accipiendae sint. Nam velum circum caput Deae volitans aeque Aurorae signum esse potest, ut Dianae, Noctis aliarumque Dearum solet. Et Aurora certe credi

Ipſa hiſtoria ſacra [s]) maturae mortis, ut beneficii divini, exemplum ſiſtit in Abia, parvulo Jeroboami regis filio, quem Deus per Ahiam prophetam praedicit confeſtim moriturum, ſolumque e Jeroboami poſteris ſepulcrum adepturum, quoniam is ſit in domo Jeroboami, in quo boni quippiam coram Deo Iſraelis inventum ſit. Praeſtantiam hujus beneficii ut doceant gentiles Philoſophi, pro rationibus afferunt mala & incommoda vitae humanae, quae quo provectior ſit aetas, hoc magis ſoleant ingraveſcere [t]). Ajunt naturam hominibus uſuram vitae dediſſe, tanquam pecuniae. Hanc, quaſi foeneratorem aſſidue homini imminentem, repoſcere uſuras poſt aliquod vitae tempus exactum: ab alio quidem viſum, ab alio auditum. Si qui diutius conctarentur, his firmitatem corporis, ſanitatem mentis, aliis denique alia auferre: quosdam jam multa ſenectute denuo pueros animo fieri. Propterea Deos, quos maximi faciant, hos citius auferre e vita. Hinc apud PLAUTUM [u]) ea ſententia ſervus ad irridendum ſenem fatuum utitur:

 — QUEM

di poterat avexiſſe juvenes, qui mane inventi erant mortui, eademque ipſa Aeternitatis miniſtra eſt. Aurorae Homerus equos tribuit Lampum & Phaethonta, *Odyſſ. XXIII*, 246.

s) 1 Reg. XIV, 13. Conf. Sap. IV, 7. 10. 13. 14.

t) Poetae hoc docere voluerunt fabula Tithoni, quam ſupra narravimus.

u) Bacchid. Act. IV, ſc. 7.

-- -- QUEM DII DILIGUNT
ADOLESCENS MORITUR, *dum valet*,
sentit, *sapit*.
Hunc si ullus Deus amaret, *plus annis decem*
Plus jam viginti mortuum esse oportuit.
Terrae odium ambulat, *jam nihil sapit*,
Nec sentit: tanti est, *quanti est fungus*
putidus.

Quo loco interpretes observant MENANDRI versum expressum esse:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.

Adjiciam veterem inscriptionem, e qua intelligatur, eadem sententia usos veteres ad minuendum luctum ex acerbo obitu parvulorum x):

QUAM. DI. AMAVE
RUNT. HAEC. MORI
TUR. INFANS. ANNO
RUM. III. MENS. SEX.
D. XIII. ISIATI. FILIAE
B. N. M. ANTINOUS
ET. PANTHIA. PAR.

Apud FABRETTUM haec legitur y):

OCTAVUS DECIMUS VIX TE SUSCE-
PERAT ANNUS
OCIUS ERIPITUR QUOD PLACET
ESSE DEI.

X.

x) GRUTER. *p. DCLXXXVIII*, 2.
y) Pag. 741.

X.

Cum igitur maturi juvenum obitus pro beneficio favoris divini haberentur, pronum erat poetis, ex iis fingere Dearum *ἁρπαγμους*, quo nomine appellatam esse magnam amoris cupiditatem, hic locus PLUTARCHI z) declarat: *Τους μεν ἐν Θηβῃσι, και τους Ἠλιδι φευκτερον ἐρωτας, και τον ἐκ Κρητης καλουμενον ἁρπαγμον. Amores quales Thebis sunt & Elide, & quae in Creta vocatur raptio, fugiendi.* Nimirum poetae, qui, ut Diis de hominibus, sic sibi de Diis omnia licere putabant, ut vulgo lepidiores fabulas facerent, aut, quae rebus inesset, amaritudinem & severitatem jucundiore condimento temperarent, non dubitarunt, etiam gravissimas priscae sapientiae sententias deliciis & amoribus Deorum corrumpere. Tollamus abjiciamusque hoc totum, quod de amoribus Deorum admiscent poetae, teneamus hoc solum, raptos a Diis dici, qui matura virtute & dotibus illustres placuissent Diis, ut digni eorum commercio haberentur. Neque enim dubium est, scitum fuisse priscae aetatis, pios homines & amicos Dei, si cito finiantur morte, non obire & interire, sed tantum eripi e colluvione malorum hominum, atque ad melius interiusque Dei

U 5 &

z) *De liber. educ. cap.* 14 *extr.* Morem rapiendi apud Cretenses plenius describit STRABO *Geogr. lib. XII, p.* 483.

& piarum animarum consortium transferri. Ducta est sine dubio haec persuasio a fama translationis Henochi, de quo divinae litterae a): *Quod cum Deo ambulabat, sublatus a Deo nusquam apparuit.* Neque difficile est intelligere, e caussa illa, quam rapti ad Deum Henochi fuisse sacer scriptor prodit, quum famam inter gentes vulgatam accepissent earum poetae, hos pro sua quidlibet audendi fingendique licentia occasionem arripuisse furta & amores Deorum comminiscendi. Ambulationem Henochi cum Deo Graeci seniores exposuerunt ἐυηρεστησε τῳ Θεῳ, & Syrus, Graecos forte secutus, *pulcher & decorus Deo visus est* b). Itaque poetae raptos a Diis καλλεος ἑινεκα, vel δια καλλος, dicebant, eosque φιλες Θεοισι & ἐπιεικελες ἀθανατοισι, *immortalibus similes*, appellabant. At enim Apostolus diserte c), fide in Deum, dicit, Henochum assecutum esse, ut Deo placeret, & poetae etiam, si quis iis excusandis locus est, quum quosdam Diis similes propter pulchritudinem raptos memorant, videntur maxime eorum religionem & fidem respicere. Certe ita judicavit CLEMENS ALEXANDR. d) qui postquam dixisset, debere, qui cognitione praeditus esset, Deum imitari, quantum posset, subjicit: hinc etiam poe-

a) Genes. V, 24.
b) Vid. CELLAR. *Programm.* p. 369.
c) Ebr. XI, 5.
d) Strom. lib. IV, p. 543.

poetas videri electos intelligere, quos Deiformes, Deo aequales, Deo similes appellent. Θεον, inquit, χρη μιμεισθαι, εις όσον δυναμις τῳ γνωστικῳ. ἐμοι δε και όι ποιηται τους ἐκλεκτους παρα σφισι θεοειδεας προσαγορευειν δοκουσι, και διους, και ἀντιθεους, και Δια μητιν ἀταλαντους, και θεοις ἐναλιγκια μηδε ἐχοντας, και θεοεικελους. Talem in primis fuisse Ganymedem, quem raptum a Jove finxerunt poetae, ipsum ejus nomen indicare videtur, quod, cum commode a γανυομαι & μηδος derivetur, hominem illustrem prudentia & consilio denotat. Unde eum animo potius, quam corpore pulcherrimum fuisse credimus, qui religione Deorum & matura sapientia diligenter coelestia meditatur, charusque Diis habitus est, quem deinde, properante fato sublatum, dixerunt mature evectum in coelum & in ipsa Deorum concilia admissum esse. Quapropter J. H. URSINUS [e]) non dubitavit eum cum Henocho conferre, &, qua ratione videatur ex ejus historia fabula Ganymedis efficta, per partes ostendere.

XI.

Quum subitas & praematuras mortes poetae fictis Deorum raptibus significent, dubio caret ἁρπαγην Ἡμερας ex eodem genere esse. Et in aliis quidem, qui a Diis rapti

e) Anal. sacr. lib. IV, cap. 19. p. 237.

rapti perhibentur, caussa mortis subitae e Deorum rapientium vi & muniis haud difficulter intelligitur, nec vanus igitur labor erit, quod genus mortis inesse in raptu Aurorae videatur, inquirere. Qui dicuntur a Jove, vel alio Deo, curru & equis rapti, fere videntur tempestate correpti & fulmine attoniti excesisse. Sic raptum Eliae ad coelum descripserunt sacrae litterae, quum curru flammante in coelum evectum referunt. Nam pro frequenti usu Scripturae sacrae, quo tempestates, nubes, ventos, tonitrua quasi currus facit Jehovae, per currum & equos Eliae flammeos vix aliud potest, quam nubes flammea & fulminans, intelligi. Et ipse mox explicat scriptor sacer: *Tempestate*, inquit, *correptus Elias ferebatur in coelum* f). Profanis etiam poetis cum sollemne sit, Jovi tonanti currus & equos, h. e. vim & potestatem tempestatum tribuere, ex ea ratione intelligenda est sublatio Herculis in coelum:

Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.

In Romuli regis exemplo hoc magis declaravit antiquitas. LIVIUS eum memorat g), subito coorta tempestate, cum magno fragore

f) 2 Reg. II, 11.
g) Lib. I, 16.

gore tonitribusque, denſo opertum nimbo atque e conſpectu ſublatum, deinceps nunquam comparuiſſe; at poetae fingunt Martis equis ſublimem raptum oblatumque eſſe h). Caeterum nulla frequentior a poetis raptio fingitur, quam Nympharum. Quarum ut diverſa ſunt genera & munia, ſunt enim maris, ſunt fontium & lacuum, ſunt ſylvarum montiumque Nymphae, ita diverſos pereuntium caſus eo raptu Nympharum ſignificari, quibusdam exemplis demonſtrabimus. ARRIANUS i) & PHILOSTRATUS k) referunt, inſulam Solis ad Indi oſtia a Nympha quadam Nereide inhabitari, ac, ſi quis eo appellat, illum rapi ab ea, nec amplius cerni. Sed quomodo raptus hic Nereidis intelligendus ſit, POMPONIUS MELA declarat l): *Contra Indi oſtia inſula eſt, quae vocatur Solis, adeo inhabitabilis, ut ingreſſos vis circumfuſi aeris exanimet confeſtim.* Hylan, Herculis puerum, ad lacum hujus nominis in Bithynia a Nymphis raptum, THEOCRITUS m), VALERIUS FLACCUS n), alii poetae

h) HORAT. *Carm. III*, 3, 16. OVID. *Metam. lib. XIV*, 818.

i) In Paraplo p. 20, Tomo I. Geograph. vet. Hudſoni.

k) In vita Apoll. lib. III. cap. ult.

l) Lib. III. cap. 7.

m) Idyll. XIII. v. 45. ſeqq.

n) Argon. III, 557. ſeqq. Adde SOLINUM *Polyh.* c. 44.

poetae narrant, ſed ita, ut ſtatim appareat, puerum iſtum, cum aquatum iret ad lacum, ſubmerſum aquis periiſſe. Annam Didonis ſororem OVIDIUS fabulatur o) a Numicio raptam, quae ſcilicet ejus undis hauſta periit. Ita quoque, quum SILIUS ITAL. p) Thraſymenum, qui lacui nomen dedit, a Nympha Agylle raptum dicit, nihil aliud indicari arbitror, quam fatalem caſum Thraſymeni in eo lacu ſubmerſi. Planius eam rem eloquitur titulus veteris lapidis q):

FUNDI HUJUS DOMINUS INFANS HIC JACET SIMILIS DEO. HUNC AB ANTE OCULIS PARENTIS RAPUERUNT NYMPHAE IN GURGITE.

Nymphae Oreadis raptum CALLIMACHI quoddam epigramma praedicat r):

Ἀϛακιδην τὸν Κρητα, τον αἰπολον, ἥρπασε Νυμφη
Ἐξ ὀρεος. και νυν ἱερος Ἀϛακιδης
Ὀικει Δικταιησιν ὑπο δρυσιν. οὐκ ἐτι Δαφνιν
Ποιμενες, Ἀϛακιδην δ᾽ αἰεν ἀεισομεδα.

Paſtorem Aſtacidem rapuit de montibus iſtis
Nympha procax: & nunc eſt ſacer Aſtacides,
Dictae-

o) Faſtor. III, 647.
p) Lib. V, v. 15.
q) Apud GRUT. p. DCCXVII, 11.
r) Epigr. XXIII.

Dictaeisque habitat sub quercubus ipse; nec ultra
Pastores Daphnin, sed canite Astaciden.

Mortuum hic celebrari Astaciden, consecratio & Daphnis aequiparatio evincit, sed genus mortis in ambiguo est.

XII.

In raptu Aurorae consideranda sunt, quae Aurorae sunt propria. Ea noctem finit, & diem affert, efficitque, ut quae tenebris obscurata latebant, primum appareant & cernantur. Igitur Aurora rapti dici poterant, qui ignoto vel obscuro mortis genere, cujus caussae & tempora ignorarentur, obiissent. Nam qui ita pereunt, horum mors quasi nocte intempesta & ante lucem accidisse videtur. Mortuus quasi die clara apparet, caussae mortis sub obscura quasi nocte latent. Ignotum mortis genus eorum maxime est, qui noctu, nemine auxiliante, subito oppressi malo exspirant. Qui quum mane inveniuntur mortui, ut fiebat cum filiis Argiae, supra e Cicerone memoratis, superveniens Aurora, quae primum mortuos ostendit, commode eos creditur rapuisse. Nec ab usu loquendi abhorrens est, ut quae res, labores & fata mortalium retegit, eadem efficere dicatur. Similiter enim veteres de Aurora, ac de Sole, statuebant, a quo itidem credebant homines rapi, ut ex inscriptione, supra §. VII allata,

allata, vidimus. Solem scilicet putabant omnia videre, omnia audire & nosse. Sic HOMERUS s):

'Ηελιος θ' ὃς παντ' ἐφορας, και παντ' ἐπακȣεις.

VIRGILIUS t):

Solem quis dicere falsum audeat.

Idem u):

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

CLAUDIANUS x):

— *Quod noverit omnia Phoebus.*

A Sole igitur auctorem & genus mortis requirebant eorum, qui ignoto fato periissent. Ut Ceres apud OVIDIUM y), quum de amissa filia frustra interrogasset Helicen, nocturnum sidus, hac suadente deinceps Solem consulit:

Crimine nox vacua est, Solem de virgine rapta
Consule, qui late facta diurna videt.
Sol aditus. Quam quaeris, ait, ne vana labores,
Nupta Jovis fratri tertia regna tenet.

Hac

s) Iliad. III, 277.
t) Georg. I, 463.
u) Aen. IV, 607.
x) De laud. Stil. III, 42.
y) Fast. IV, 581.

Hac ſententia lapis antiquus ſepulcralis [z]):

CALISTO FILIO
PARENTES
QUISQUIS EI LAESIT
AUT NOCUIT SEVERAE
INMERENTI DOMINE
SOL TIBI COMMENDO
TU INDICES EJUS MORTEM.

Item alius lapis a JO. VIGNOLIO publicatus [a]):

D. M.
TIMOTHEAE
M. ULPIUS
NICANOR
VERNAE
SUAE F.
SOL TIBI COMMENDO
QUI MANUS INTULIT EI.

Quod igitur Solem ſcire & videre omnia putabant, mortuum etiam, ſi genus & auctorem mortis ignorarent, ab eo dicebant raptum,

z) Miſſam olim a Ficoronio ad J. A. Fabricium inſcriptionem legi in REIMARI *commentario de vita & ſcriptis Fabr. p.* 254. Extat quoque apud MURATORIUM *Theſ. inſcript. vet. Tom. I, p.* 26.

a) *In ſelectis inſcr.* poſt diſſert. *de columna Ant. Pii, p.* 237. TERTULLIANUS *Apol. cap.* 17. tradit, gentiles Deum judicem conteſtari hac formula ſolitos: DEUS VIDET & DEO COMMENDO.

raptum, qui ſcire ſolus poſſet, a Sole vel Aurora.

XIII.

Praecipuam rationem, cur poetae ſubitum & praematurum hominum fatum imagine raptus Aurorae expreſſerint, in modo loquendi Hebraeorum, & eorum voce שַׁחַר mihi deprehendere videor. Ut enim gentium Orientis frequentiſſimus per allegorias & metaphoras loquendi modus, ad Graecos propagatus, multis exinde fabulis adornandis materiam praebuit, quod pluribus exemplis demonſtrari poteſt, ita, quod ſigillatim Aurorae ſubitae mortes attributae ſunt, Hebraeorum quibusdam phraſibus deberi arbitror. Nam illi videntur cauſſas & principia rerum & eventuum obſcura, praeſertim malorum, auroram dicere, aut aurorae imagine ſignificare. Sic Jeſ. XLVII, 11. dicitur: *Veniet ſuper te malum, cujus neſcies auroram*, לֹא תֵדְעִי שַׁחְרָהּ, h. e. cujus adventum non animadvertes, nec cauſſas, e quibus oriatur, perſpicere ante poteris, quam te opprimat. Proprie שַׁחַר auroram quidem, ſed nondum clara luce nitentem, i. e. crepuſculum dici, notat, eſt enim a שָׁחַר *nigreſcere*, *nigrum eſſe*. Unde eum exortum rei per imaginem exprimit, qui propterea inopinatus & ſubitaneus eſt, quod in ſumma rerum cauſſarumque obſcuritate fit, neque

que ante praevideri poteſt. De praematura imo violenta morte uſurpatur in iſto HOSEAE vatis loco, X, 15: *Succidendo ſuccidetur rex Iſraelis in aurora*, בַּשַּׁחַר, quod converti poteſt, *immatura aetate, vel in tumultu, & incertis auctoribus* b), & ſermo eſt de Sacharia Jeroboami filio, vel, ut alii volunt, de Hoſea, Iſraelitarum rege, 2 Reg. XV, 10. XVII, 5. Sane egregie שַׁחַר Hebraeorum utrumque exprimit, & praematurum & cauſſae incertae caſum, ſicut *crepuſculum* Latinorum matutinum & dubiae lucis tempus denotat, *meridies* contra de rebus evidentiſſimis accipitur. Eodem reſpexiſſe VIRGILIUS, & ipſum שַׁחַר Hebraeorum exprimere videtur, de immatura morte infantum loquens c):

Quos dulcis vitae expertes, & ab ubere raptos
ABSTULIT ATRA DIES & funere merſit acerbo.

Atra dies ſcilicet eſt aurora nigricans Hebraeorum, dies adhuc atris tenebris mixta, nondum clare illuceſcens, per imaginem vero denotat primam aetatem, obſcuram illam & imbecillam infantum, quae claram & per-

b) Pluribus verbis hujus generis fatum deſcripſit *Jeſaias* XVII, 14: *Circa tempus veſperae, ecce terror, antequam mane fiat, non eſt amplius*;

c) Aen, VI, 426.

fectam vitae lucem praecedit. Sic etiam pueritiam vel juventutem Hebraei, alludendo ad primam Aurorae lucem, שַׁחֲרוּת appellant, Eccles. XI, 10. Cujus appellationis ratio magis apparet, si consideretur, statum hominis nondum nati nocti comparari & Soli sub terra adhuc latenti. *Non latuit te os meum*, inquit DAVIDES [d]), *quum factus sum in occulto, formatus sum in inferioribus terrae.* Inde consequens est, hominis in lucem editi primam aetatem esse quasi diluculum, ubi nondum plena luce rationis utitur. Succidi igitur, vel interire sub aurora, quod sacer vates dixit, atra die auferri, & ab Aurora rapi, quod poetarum est, unum idemque significat, h. e. prima aetate & repentino fato exstingui.

XIV.

Quod Hebraeo vocabulo שחר notari diximus, id plane exprimere Graecorum λυκοφως, & declarare simul raptus Aurorae rationem videtur. POMP. FESTUS [e]) & Glossa CYRILLI interpretantur *primum tempus lucis, crepusculum, diluculum.* Atque ille quidem ita vult dici, quasi λευκον φως, lumen candidum. Sic enim describi solet prima lux. APULEJUS (*): *Ut primum tenebris*

d) Ps. CXXXIX, 15.
e) In *Lycophos.*
(*) Initio libri VII. Metam.

nebris abjectis dies inalbebat. SCALIGER tamen f) mavult λυκοφως ex eo dictum esse, quod λυκη lux est apud veteres. Unde mansisse ait in Homerica voce ἀμφιλυκη, qua noctem sublustrem indicat, quae est in confinio lucis:

Ἠμος δ'ἐτ' ἀρ πω ἠως, ἐτι δ'ἀμφιλυκη νυξ g).

Cum vero nondum esset aurora, sed adhuc sublustris nox.

Sed perinde est, unde derivare velis. Nam ipsa λυκη, MACROBIO auctore h), est ἀπο τȣ λευκȣ. Ideo *Leucothea*, *Albunea* Aurora. Neque vero praetermittendum est, AELIANUM i) λυκοφως derivare ἀπο τȣ λυκȣ, a lupo. Existimat hoc nomine appellari id temporis, quo soli lupi munere naturae vident. Nam lupos acutissimis praeditos oculis etiam nocte, & ubi omnibus tenebrae sint, videre. Aeliano igitur λυκοφως est quasi lux lupi, rapacis ferae, cujus respectu illico occurrit rapientis lucis, vel raptus Aurorae imago. Ipsum λυκον, lupum, arbitror dictum esse a λυκη, atque hac voce primario notari lucem seu aciem oculorum, quae per noctis obscuritatem valet, qualis esse quorundam animalium perhibetur. Inde nomen acceperunt ferae acerrimo visu prae-

 ditae,

f) Ad Festum l. c.
g) HOMER. *Iliad. VII*, 433.
h) Saturn. I, c. 17. p. m. 238.
i) De animal. lib. X, c. 26.

ditae, non modo λυκοι, ſed etiam λυγκες. Deinde & prima lux, diem praecedens, λυκη appellata eſt propter ſimilitudinem, quod eam vim habet, ut noctis tenebras penetret & vincat. In utraque τη λυκη ineſt ſimul rapiditatis & velocitatis notio. Nam & primis ſolis radiis, & acutiore viſu res longe poſitae citiſſime tanguntur & tanquam rapiuntur. Unde & rapere oculis & vorare dicuntur, qui rei videndae avidi, eam procul ſpeculantes deſignant. Praeterea ἡ λυκη, acutus ille viſus, aeque ac diluculum, inſervit rapacitati. Cum enim, quae e raptu vivunt, ferae velocitate ſimul & acutiſſima oculorum acie valent, tum crepuſculum maximè aptum rapiendi tempus eſt. Lupus igitur λυκος dicitur, quod ea λυκη maxime pollet, & tempore diluculi ad rapiendum utitur [k]). Proprium enim rapacitatis nomen λυκος eſt. Unde & piſcis, qui alios vorat, & inſtrumentum aduncum, quo quid arripitur & trahitur, λυκος vocatur. HESYCHIO (*) ſcilicet λυκος eſt ποιος ἰχθυς, και ὁ ἁρπαξ των ἐις τα Φρεατα καδισκων, item ἁρπαγη, ὁ λυκος. Lucem acerrimam oculorum & rapiditatem in lupo ſpectarunt veteres,

k) MACROBIUS *l. c. Ipſos quoque λυκους ἀπο της λυκης, id eſt a prima luce, appellatos quidam putant, quia hae ferae maxime id tempus aptum rapiendo pecori obſervant, quod antelucanum poſt nocturnam famem ad paſtum ſtabulis expellitur.*

(*) In λυκος & ἁρπαγη.

teres, quando ipſum ſolem vocarunt λυκον, & lupi imagine coluerunt. Sol enim ipſe της λυκης auctor eſt, & tanquam lupus tenebras noctis evincit, & celeritate aeſtuque rapere omnia & conſumere videtur [l]). Hinc Apollinem Lycium vocatum MACROBIUS auctor eſt [m]). Hinc eundem λυκηγενη ab HOMERO [n]) appellari, AELIANUS putat [o]), quod eum fabula ferebat a Latona in lupae ſpeciem converſa editum fuiſſe. Quamquam HERACLIDES [p]) potius a λυκη ſic dici exiſtimat, quoniam, ut Aurora ab HOMERO ἠριγενεια dicitur [q]), quia ἦρ h. e. diluculum generat, ita ſol λυκαυγης i. e. crepuſculi matutini auctor eſt. Eadem ratio apparet in appellatione λυκαβαντος, qua annum ſignarunt vetuſtiſſimi Graecorum. MACROBIUS interpretatur τον ἀπο τȣ λυκȣ, id eſt ſole, βαινομενον και μετρȣμενον: mihi potius videtur indicare τον βαινοντα λυκȣ δικην,

 more

---

l) MACROBIUS *l. c. Λυκον autem ſolem vocari, etiam Lycopolitana Thebaidos civitas teſtimonio eſt, quae pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc eſt λυκον, colit, in utroque ſolem venerans; quod hoc animal rapit & conſumit omnia in modum ſolis, ac plurimum oculorum acie cernens tenebras noctis evincit.*

m) l. c.

n) Iliad. IV, 101.

o) De animal. X, c. 26.

p) In alleg. Hom. p. 417. Opuſc. mythol.

q) Iliad. I, 472.

more lupi raptim grassantem & omnia rapientem:

Omnia tempus alit, tempus rapit [r]).

Neque solum lupi forma solem expresserunt veteres, sed aliorum etiam animalium, quorum & acutus visus & magna velocitas est. Aegyptii accipitris forma notarunt Horum suum, sive solem, & apud Heliopolitanos idem felis speciem habuit, ut apud Lycopolitanos lupi [s]). Utrumque animal nocte clare cernit & velocissimum est. Rapiditatem igitur cum luce conjunctam praecipue notarunt in istis solis appellationibus, & propterea λυκοφως, ut ad hoc redeamus, nihil aliud videtur exprimere, quam φως ἁρπαζον, lucem rapientem. Sane diluculi tempus, quod Solis ortum praecedit, rapinis infestissimum est. Animalia omnia hoc tempore, nocturna fame stimulante, excitantur ad pastum. Quae rapacissima sunt, oculorum acie armantur in praedam, &, quae ista carent, mitiora, dum ipsa progrediuntur ad pastum, patent praedantibus, & obscuritate noctis impediuntur, quo minus insidias sibi praeparatas caveant. Ipsa noctis solitudo, & hominum, quae tunc est, infrequentia, insidiantes juvat, & imbelle pecus destituit. Hinc feras, sacer scriptor ait,

r) NEMES. *Ecl. IV*, 32. & VIRG. *Ecl. IX*, 51: *Omnia fert aetas.*

s) STUCKIUS *de sacrific. gentil. p.* 20.

ait [t]), mane diluculo exire ad raptum, ut catulis ſuis victum quaerant. Quod idem peregregie exprimit VIRGILIUS [u]), lupos deſcribens obſcura adhuc die, ſtimulante fame, exeuntes in praedam:

> — — — *lupi ceu*
> *Raptores atra in nebula, quos improba ventris*
> *Exegit coecos rabies, catulique relicti*
> *Faucibus exſpectant ſiccis* [x]).

Neque dubium mihi eſt, poſuiſſe veteres in rapacium animalium praedis imaginem praematurae, ſubitae, violentae mortis hominum. Vix dubitare ea de re poſſit, qui frequentes ejus generis ſculpturas in monumentis veterum ſepulcralibus contempletur. Nam in alio quidem cervum a leone laceratum, in alio gallinaceum felis morſu pereuntem: in hoc leporem ab aquila, in illo columbam ab accipitre raptam videbit [y]). Vidimus haec rapacia animalia ſymbola ſolis

X 5 eſſe,

t) Job. XXIV, 5.

u) Aen. II, 355.

x) Pari ſenſu APOLLONIUS *Argon. II*, 124, lupos ἤματι χειμερίῳ i. e. die obſcura, praedantes facit. Clarius OPPIANUS *Cyneg. III*, 305, de lupo: Πολλῷ σὺν ῥοίζῳ δὲ μάλ' ὄρθριος εἶσιν ἐπ' ἄγρην Πρώτῃ ὑπ' ἀμφιλύκῃ. *Magno autem cum ſtridore valde matutinus tendit ad praedam, Primum ſub crepuſculum.*

y) Vid. GRUT. *Inſcr.* pag. DCCLIX, DCCLXXXVIII, & DCCCCX.

esse, quem *rapere* alia monumenta dicunt. Atque illa raptum maxime exercent *δια της λυκης*. Facile ergo hic succurrat *το λυκοφως*, tempus rapinis infestum, quod *atram diem* dicit VIRGILIUS [z]), imago aetatis hominum imbecillae, quae praedationibus fati immaturi maxime exposita est. Verbo, designant illud, quod HOMERUS alias dicit *raptum Aurorae*. Vera scilicet ratio, cur immaturum fatum ita depingat, est in diluculi, rapinis infesti, appellatione antiqua *λυκοφως*. Quod in diluculo corpora defunctorum olim cremari & consumi mos erat, vocabant illud *λυκοφως*, quasi tempus consumens & vorans. HOMERUS ubi post memoratam funerationem caesorum in acie id tempus designat, *ἀμφιλυκην νυκτα* nominat, *λυκοφως* innuens. Erat, inquit, nondum aurora, sed *ἀμφιλυκη νυξ*. Interpretes Homeri funerationem ipsam, quod sub diluculo fieri solebat, laetiore appellatione *raptum Aurorae* dictam esse testantur [a]). Ergo una utriusque appellationis ratio fuit. Diluculum rapiebat functos, quod absumebat flammis, sed oriens Aurora dici poterat rapuisse, quod raptos primum ostendebat.

XV.

Adhaec periculosum tempus diluculi credebant gentiles, quod Manes & inferorum

z) Aen. VI, 427.

a) Vid. quae supra annotavimus, §. II.

rum Deos noctu ad terrendos ludificandosque homines vagari, ad Aurorae usque exortum, putabant, atque hoc magis saevire diluculo, quod sentirent aurora propinqua sibi cedendum esse [b]. Deos superos etiam subinde oberrare in terris sub nocte silenti dicebant [c], atque si forte conspecti ab hominibus essent, his iratos & graves calamitatem aliquam infligere [d], quod fieri poterat maxime diluculo, ubi deprehendendi conspiciendique facultas erat. Fortasse haec opinio orta est e fama Jacobi cum angelo luctantis sub ortum aurorae, Gen. XXXII, 24. Hic enim adortus Jacobum, periculum ei afferre videbatur, & tandem, velle se abscedere dicebat, quod dies illusceret; amplius vero insistentis coxendice laeso claudum relinquebat discedens. Jacobus, quasi eluctatus periculum vitae, mirabatur salvum evasisse se, quod Deum coram vidisset. His autem factis, statim addit sacer scriptor, exortum esse solem. Quapropter fieri saepe antiquitus potuit, ut qui noctu malum aliquod nacti, vel mortui, ablati, amissi ferebantur, dicerentur ab Aurora rapti, quae post exorta erat.

XVI.

---

b) VIRG. *Aen. V*, 738. *VI*, 539. VAL. FLAC. *Argon. III*, 213, 252. PRUDENTIUS *Cathem. I*, 37. *seq.*

c) QUINCTIL. *declam. X, p. m.* 182. STATIUS *Silv. I*, 1, 94.

d) HOMERUS Iliad. XX, 131: χαλεποι δε Θεοι φαινεσθαι εναργεις. Conf. LUCANUS *Phars. III*, 424.

XVI.

Praeterea fortasse ansam raptui Aurorae fingendo dedit ventus quidam pestilens & perniciosus, sacris profanisque litteris multum celebratus, qui, ut itineraria etiam recentiora testantur, in regionibus Orientis, sub ortu Solis spirans, & igne quovis flagrantissimo ardentior, omnia flatu pestilenti exurit, atque homines maxime, quos corripuerit, praecluso spiritu suffocatos, confestim exanimat [e]). Hic saepius in sacris litteris, tanquam caussa maximarum calamitatum inducitur, vocaturque רוח קדים *ruah Kadim*, ventus Orientis. Observavit quidem SAM. BOCHARTUS [f]), ascribi passim τῳ *Kadim* omnia attributa venti Austrini, saepiusque eum a LXX de νοτῳ intelligi, pluribus etiam S. Scripturae locis re ipsa Austrum esse. Sed tamen, ipso BOCHARTO fatente, ὁ *Kadim* non raro ipse Eurus est, vel, ut quidam eruditi existimant, ventus est e media regione inter Eurum & Austrum spirans [g]). Quodsi etiam per ventum illum ardentem & suffocantem, qui in sacris litteris Kadim vocatur, non ipse Eurus sit ab Aurora spirans intelligendus,

e) Vid. P. ZORNII *Diss. de ecnephiis, typhonibus & presteribus Austrinis Arabiam desertam irruentibus. Tomo II. Opusc. sacr. p.* 126. *seqq.*

f) Hieroz. P. II. lib. I. c. 15.

g) Vid. ZORNIUS *l. c. p.* 132.

dus, conſtat tamen, in terris Orientis etiam Auſtros ſub Aurora admodum vehementes fuiſſe & ortum Solis comitatos. Hinc Divus JACOBUS cap. I, 11: Ἀνετειλε ὁ ἡλιος συν τῳ καυσωνι, και ἐξηρανε τον χορτον, και το ἀνθος ἀυτȣ ἐξεπεσε, και ἡ ἐυπρεπεια τȣ προσοπȣ ἀυτȣ ἀπωλετο. Iſtum καυσωνα quidam putant ventum Auſtrinum eſſe, ſed Eurus tamen ſine dubio erat, quem induxiſſe Deus dicitur, ut Sol exortus Jonae vatis caput feriret h). Etenim vix adeo laedere Jonam aeſtus Solis potuiſſet, niſi ventus, qui aeſtum illum vehementius impingebat in caput Jonae, ab eadem regione flaſſet, unde radii Solis penetrabant. Utroque loco oſtenditur ventus ſub ortum Solis vehementer urens & enecans. Quo ſimul profani poetae ad praematura & repentina hominum fata exprimenda ſubinde uti ſolent. PAPIN. STATIUS i):

Ille velut primos exſpiraturus ad Auſtros
Mollibus in pratis alte flos improbus extat.

Et idem k):

Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque roſae primos moriuntur ad Auſtros.

Per *primos Auſtros* intelligo matutinos, cum Sole

h) Jon. IV, 8.
i) Sylv. II, 1, 106.
k) Sylv. III, 3, 128.

Sole orientes, quoniam ſerus Auſter vix apta imago mortis praematurae videtur. Quemadmodum autem venti matutini, herbas floresque exurentis, aeſtu ſubita fati vis exprimitur, ita non eſt dubium, eundem ventum ſaepe hominibus mortem ſubitam reapſe attuliſſe. Probat Jonas propheta, qui aeſtum inde tam intolerabilem ſenſit, ut mori optaret, etiam puer ille mulieris Sunamiticae, qui ſub dio agens ſubito dolore capitis ita perculſus eſt, ut ad meridiem exſpiraret [l]). Nec aliud, quam ventum iſtum urentem intelligi a POMPONIO MELA exiſtimo [m]), quum ſcribit ingreſſos inſulam Solis vi circumfuſi aeris confeſtim exanimari. Talis igitur ventus cum cauſſa ſubiti interitus eſſet, & ſub Aurora vehementiſſime ſpiraret, pronum fuit, hanc ipſam perniciem Aurorae adſcribere, atque adeo ejus raptum fingere.

XVII.

In aliis quibusdam haec ratio ficti raptus Aurorae eſſe potuit, quod mane inter matutina negotia fatum ſuum nacti ſubito exſpiraſſent. Si quis poeta fatum C. Caeſaris, illius, qui Dictatoris pater fuit, qui, dum matutino calciatur, repente obiit, teſte PLINIO [n]), voluiſſet veterum poetarum more

l) 2 Reg. IV, 18.
m) Lib. III, cap. 7.
n) Hiſt. nat. Lib. VII, c. 53.

more eloqui, fortaſſe raptum ab Aurora dixiſſet. Sed inter negotia matutina, quae olim plurimis cauſſa mortis extiterunt, in primis refero venationes. His auroram vel diluculum maxime opportunum tempus exiſtimabant veteres. Quod adeo verum eſt, ut apud Hebraeos radix שָׁחַר in conjugatione Piel *diluculo*, *mane quaerere vel perveſtigare*, h. e. *venari* notet, & de venatu ferarum rapacium uſurpetur Job. XXIV, 5. Sed & profani auctores hoc diſerte teſtantur. OPPIANUS o):

Ἠὼς μὲν τέτακται περιδέξιος ἀγρευτῆρι, κ. τ. λ.

Aurora quidem extenſa eſt peropportuna venatori.

Paria XENOPHON aſſerit p) de cervorum venatione. Hinc, quos ab Aurora raptos finxit antiquitas, celeberrimos venatores fuiſſe reperimus. Cephalum & Orionem inter principes eorum commemorant XENOPHON & OPPIANUS q). Et Cephalus ipſe apud OVIDIUM refert, ſe ab Aurora raptum inter venandum:

Cum

o) *De venat. Lib. I, v.* 114. GRATIUS *Cyneg.* 223, venationem vocat *primae lucis opus.* Vid. VLITII *comment.* ad h. l. & ad NEMES. *Cyneg.* 4. 324.

p) De venat. p. 781. edit. Leuncl.

q) XENOPH. *initio libri de venat.* OPPIANUS *initio Libri II.*

Cum me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris,
Invitumque rapit.

Similiter alii ab aliis Diis inter venandum rapti feruntur, ut Ganymedes, Cyrene Nympha. Neque vero dubium est, quin multi olim inter venandum tristi casu perierint. Magnum enim antiquis hominibus & ardens venationum studium fuit, ita ut juvenes generosi, imo & virgines, non alio magis exercitationum genere delectarentur. Neque tamen ars & experientia satis instruxerat homines, aut rationem docuerat impetus ferarum & mille vitae pericula evitandi. Quin temere cum bestiis congredi, vel longissime feras persequendo aspera & aliena loca pervagari, omnesque aeris injurias perferre, virtus habebatur. Unde vix alio necis genere saepius, quam ex infelici venatione juvenes puellasque antiquitus periisse docent plurima exempla mythicorum temporum, Adonidis, Hippolyti, Actaeonis, Orionis. Quo minus mirandum est, si, qui frequentissimo hoc necis genere periissent, rapti ab Aurora, h. e. studio venationum absumti dicerentur.

XVIII.

Credibile est, alios multos frequenti isto venandi studio longius abreptos a suis, &

& feras ex alia in alias regiones persequendo, in alienas & longinquas terras delatos esse, ut diu desiderati inter suos disparuisse subito & sublati e conspectu suorum, aut plane mortui crederentur. Qua ratione rapti ab Aurora dicebantur, quos ardor venandi abripuisset & abstulisset domo [r]). Nec necesse erat, ut ita dicerentur, eos venandi caussa domo abiisse: poterant ita dici, si quacunque de caussa domo longius profecti, & ignotis in terris peregre agentes, pro mortuis aut amissis haberentur. Scilicet aurora non tantum venandi, sed & peregrinandi primum & opportunum tempus habebatur. Unde profecturi, aut magnum aliquid aggressuri primo mane surgere & diluculo exire saepissime dicuntur, Genes. XXII, 3. Jos. III, 1. VI, 15. Jud. XIX, 5. 8. Peregrinationem subitam & longinquam describi arbitror a DAVIDE Ps. CXXXIX, 9: ***Si sumam alas Aurorae, & maneam ad extrema maris, etiam illic manus tua me ducet, & apprehendet me dextra tua.*** Hoc est: Si celerrime, quasi

---

r) Rapere venantes & rapi studio & ardore saepe dicuntur. SOPHOCLES *in princip. Ajacis:*

Πειρῶν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

LIVIUS *V*, 6: *Venandi studium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes sylvasque rapit.* Simili sententia VIRGIL. *Georg. III*, 291:

Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor.

quasi cum ipsa Aurora evolans & disparens, domo mea profugiam in ignotas remotissimasque terras, ut nemo mortalium, ubi terrarum sim, sciat, tamen tu mecum eris & peregrinantem manu duces. Quare qui celeriter & inopinato longinquas in regiones abierant, hi dicebantur quasi alis Aurorae sublati disparuisse *). Confirmant veterum mythi, qui quos ab Aurora raptos dicunt, hos re vera fatentur peregrinantes in remotiores terras devenisse. Nam Orionem ab Aurora raptum dicunt in Delum, Tithonum in Aethiopiam translatum esse. Quemadmodum vero subita profectio, qualis a Davide describitur, saepe mortis loco habebatur, ab iis, qui relicti essent domi, ita ipsa mors repentina simili phrasi describitur a SOPHOCLE [s]), cujus verba merentur cum Davidicis conferri:

— — ἄλλον δ' ἂν	— — *Alium vero*
ἄλλῳ προσίδοις,	*Super alium videas*
ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν,	*Ceu volucrem avem,*
κρεισσον ἀμαιμακετου	*Celerius indefesso*
πυρος	*igni,*
ὀρμε-	*Ruen-*

*) In monumento antiquo, quod BEGERUS *Spicil. antiqu. p.* 84 exhibet, simulacrum Aurorae alas habet, celeritatem signantes, & rotam ad pedes, quod vias aperit. Unde apparet, non solos Orientales Aurorae alas tribuere, ut statuit Ill. MICHAELIS *in epimetro ad Lowthi praelect. IX, p.* 148. sed subinde etiam Graecos.

s) Oedip. tyr. v. 183.

ὀρμενον ἀκταν προς ἑσπερȣ θεȣ.	*Ruentem ad littus occidui Dei.*

Scilicet ipsa mors saepe a poetis describitur quasi similis peregrinationi, & potuerunt igitur rapti ab Aurora dici, non solum qui essent subito mortui, sed etiam qui longius domo profecti & a suis desiderati essent. Certe Orionis & Cephali raptum ita narrant poetae, ut repentinam eorum mortem non videantur indicare voluisse. Orionem enim, HOMERUS dicit, quum primum Aurora abstulisset, mox a Diana sagittis occisum esse: Cephalum vero OVIDIUS t), Aurora relicta, ad Procridem suam rediisse. Hoc tamen apparet facile, raptus eos a poetis fictos esse, ut singulare fatum eorum hominum, aut casum aliquem significarent, quo factum esset, ut pro amissis aut mortuis haberentur.

XIX.

Caeterum imago Aurorae jucundissima, subito hominum fato, quos ab ea raptos dicebant, inserta, ipsius acerbitatem minuebat. Hinc inerat sollemnis εὐφημισμος, mollem & felicem obitum significans, cujus rationes nunc indagabimus maxime probabiles. Raptu ipso quasi Deos, vel Deorum consortes, significabant. Nam qui Diis pla-

t) Metam. VII, 702.

placuiſſent, hos non vita excedere, mortalium more, dicebant, ſed rapi ad Deos & ſubito diſparere, atque vel menſae Deorum, vel Dearum cubilibus adhiberi putabant, ſecundum verſum VIRGILII u):

Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

Inde *ἀνηρπασμενοι* vel *rapti* iidem ſunt, ac Divi, vel conſecrati *). Rapere vero Aurora maxime dicitur, quod, qui Deorum vita digni putantur, hos ipſa Dearum pulcherrima, donare & circumfundere coeleſti luce, qua Dii fruuntur, poteſt. Deos ipſos auguſtiſſima eſſe forma & in perpetua luce verſari putant, quos autem Deorum conſortio dignos habent homines, hos inſigni oris pulchritudine Diis ſimiles dicunt †). Pulchritudinis autem ea ratio eſt, ut poetae, praeſtantiſſimam deſcripturi, Aurorae vel luci-

---

u) Eclog. IV, verſ. ult.

*) PLUTARCHUS de Romulo ſub finem ait: Σεβεσθαι Ρωμυλον ὡς ἀνηρπασμενον εις Θεȣς. De eodem LUCANUS *Lib. I*, 197: *Et rapti ſecreta Quirini.*

†) HOMERUS ſane Clitum ab Aurora raptum καλλεος εινεκα, *pulchritudinis gratia*, dicit, & Tithonum appellat ἐπιεικελον ἀθανατοισι *ſimilem immortalibus.* Et infans in antiqua inſcriptione ſupra memorata, quem Nymphae in gurgite rapuerunt, *ſimilis Deo* eſt.

lucidiſſimo ſideri comparent x). Exemplo eſt epigramma in Roſcium Q. Catuli apud CICERONEM y), & aliud ſane elegans, quod CORNELIO GALLO tribuitur z). Pronum igitur erat, ut poetae homines, quos dicere vellent immortalitate & coelo potitos, conſortes facerent Aurorae, ab eaque rapi, & in ſede coeleſtis luminis collocari dicerent. Hoc reſpectu raptus Aurorae nihil aliud quam praemium immortalitatis & gloriae, praeclare meritis tributum, ſignificat. Quum enim pulchritudinis gratia raptos ab Aurora dicunt poetae, hoc tantum eo fine agunt, ut amoribus ludere Dearum poſſint. Par eſt, ut credamus, non ſola corporis venuſtate gratioſos, ſed animi maxime dotibus inſignes, & generis, digni-

 tatis,

x) Quam vetus haec ſit ratio, oſtendit nomen unius filiarum Jobi, *Jemimah* dictae, Graecis Ἡμέρα, Vulgato *Dies*, quo quidem eximiam ejus pulchritudinem praedicari putant. Vid. SPANHEM. *in Hiſt. Jobi cap.* 12. *p.* 198.

y) De nat. Deor. I, 28:

Conſtiteram exorientem Auroram forte ſalutans,
Cum ſubito a laeva Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat coeleſtes dicere veſtra,
Mortalis viſus pulcrior eſſe Deo.

z) *Occurris cum mane mihi, ni purior ipſa*
Luce nova exoreris, lux mea, diſperеam.
Quod ſi nocte venis, jam vero ignoſcite Divi,
Talis ab occiduis Heſperus exit aquis.

tatis, rerumque gestarum splendore illustres induere voluisse. Honoris certe & rerum gestarum gloriam respiciunt sacrae litterae, quum regem Babyloniae הֵילֵל בֶּן־שָׁחַר, *Luciferum, filium Aurorae* dicunt [a]), sicut Hesperum, Mauritaniae regem, Aurorae & Cephali filium perhibent mythographi [b]). Qui de sola corporis pulchritudine acceperunt poetarum interpretes, ea re inducti sunt, ut raptum Aurorae traherent ad mortem generosorum juvenum, quod venustas in florem aetatis maxime cadit. Quod quamquam facile admittimus, non tamen solos adolescentes huc pertinere arbitramur, nec apparet, eos, quos poetae ab Aurora raptos fingunt, florente adhuc aetate omnes extinctos esse.

XX.

Aurora veteribus imago & symbolum est immortalitatis felicitatisque, qua fruuntur Dii, sicut ipse Oriens coeli praecipua sedes habebatur Deorum, quoniam, unde lux & sidera oriuntur, ibi & Dii, unde omnia sunt, habitare credebantur. Propterea peculiariter sacer omnibus fere gentibus fuit, ita ut Deos precaturi ad Orientem converterentur [c]). Contra Hesperus, Nox, Orcus,

---

a) Jes. XIV, 12.
b) HYGINUS *Astron.* II, 42.
c) De Niedeck de populorum adorationibus, cap. 20.

Orcus, mortis imago & ſedes habebatur, quippe & Pluto, inferorum Deus, Ἑσπερος Θεος vocatur a SOPHOCLE d). Quemadmodum igitur, qui ab Orco raptus dicitur, ad inferos creditur & ſtatum mortuorum delatus, ita qui ab Aurora, ad Deos. Nolo hic exponere, in ipſis ſacris litteris auroram pro felicitate, vita, gaudio, ſolatio poni e): profanis propterea immortalitatis imago eſt, quod & luce, qua Dii fruuntur, reſplendet, & rore matutino omnia recreat & conſervat, quod ipſum nectar Deorum eſſe & immortales reddere credebatur. OVIDIUS de ipſa f):

— — *Quod ſit roſeo ſpectabilis ore,*
Nectareis quod alatur aquis.

Nectare immortalem reddere Tithonum a ſe raptum, ALBINOVANUS prodit g):

Paſcitur Aurorae Tithonus nectare conjux.

 Ipſum

d) Oedip. tyr. v. 187.
e) Jeſ. VIII, 20. LVIII, 8. Hoſ. VI, 3.
f) Metam. VII, 706.
g) *Eleg. II*, v. 119. Hinc eſt, quod veteres fabulae populos, quos perhibent immortalem beatamque vitam degere, ad extremos terrae fines, ad Orientem & Auroram collocant, eosque dicunt a rore ambroſio in herbis inveniendo potum divinum ad immortalitatem haurire. Hoc de Macrobiis memorat ORPHEUS *Argon*. v. 1112. De Nabataeis ſimilia habet DIODORUS SIC. *XIX*, 94: De Indis AELIANUS *de animal. XV*, 7.

Ipſum vero lumen vitae beatae inter Deos lux Aurorae vocatur. in lapide antiquo ſepulcrali h):

> Καὶ με θεῶν μακάρων κατέχει δόμος ἄσσον ἰόντα,
> Οὐρανίοις τε δόμοισι βλέπω φάος Ἠριγενείης.

XXI.

Etiam hoc animadvertendum eſt, Auroram propterea dici homines rapere coelo beandos, quod ultra horizontem non adſcendit, atque inter coelum terramque media, vel terrae proxima eſſe videtur i). Nam eadem ratione hic uſi videntur poetae, qua OVIDIUS fingit k), Herſiliam Romuli conjugem ab Iride in coelum eductam eſſe. Iris enim, ſive arcus coeleſtis, cornibus ſuis terram proxime videtur attingere. Nec diſſimilis eſt phantaſia panegyriſtae veteris l), qua tradit Divum Conſtantium Aug. Solis occidentis curru in coelum evectum. *O, felix*, inquit, *in imperio & poſt imperium felicior,*

h) FLEETWOOD *Syll. inſcript. p.* 245.

i) Huc forte reſpicitur, quum Aurora apud OVIDIUM *Metam. XIII,* 588, inferiorem ſe Diis omnibus coeleſtibus dicit:

> *Omnibus inferior, quas ſuſtinet aureus aether,*
> *Diva tamen veni.*

k) Metam. XIV, 839. ſeqq.

l) Panegyrici IV Maximiano & Conſt. dicti cap. 14.

cior, Dive Constanti, quem curru paene conspicuo, dum vicinos ortus repetit occasu, Sol ipse, invecturus coelo, excepit. Aurora eo facilius coelo excipit, quod aperire coelum, die oriente, dicitur. Unde portam quandam coeli in regione Aurorae fingunt, per quam superi eunt & redeunt:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat Superum m).

Hoc est, ut TAUBMANNUS interpretatur, dies oritur. Apud OVIDIUM fores coeli aperit Aurora n):

— — *Ecce vigil nitido patefecit ab ortu*
Purpureas Aurora fores & plena rosarum
Atria.

Contra vespere & Sole occaso claudi coelum dicitur o):

Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

Coelo igitur per noctem clauso, sub Aurora via panditur ad Superos. Unde, qui rapiuntur ab Aurora, ii dicuntur quasi apertis coeli portis excepti & in domos superas admissi, immortalitate & beata luce Deorum frui. Sic profecto declarat Aurorae raptum HOMERUS. Clitum, inquit, Aurora rapuit, ἵν᾽ ἀθανάτοισι μετείη, ut immortalibus interesset. Et VIRGILIUS Daphnidem

m) VIRGIL. Aen. X, 1.
n) Metam. II, 112.
o) Virgil. Aen. I, 378.

dem in Deos relatum indicaturus, ad limen Olympi, ad fores Aurorae, candida luce radiantem ſiſtit p):

Candidus inſuetum miratur limen Olympi.

Ad quae verba SERVIUS: *Candidus* i. e. *Deus. Unde contra nigros mortuos dicimus.*

XXII.

Ex hactenus diſputatis patet, duo obſervari in ficto Aurorae raptu, ſignificationem praematurae mortis, & ſimul *ἐυφημισμον* quo vitam cum gloria & beatitate commutatam indicare voluerunt. Ex utroque lucem accipere duo ſacrae ſcripturae loca videntur, quae jam excutere & explicare animus eſt. Titulus Pſalmi XXII eſt: עַל אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר, *ſuper cerva Aurorae*, quae verba Interpretes Graeci LXX verterunt: *ὑπερ της ἀντιληψεως της ἑωθινης*, SYMMACHUS eodem ſenſu *ὑπερ της βοηθειας της ὀρθρινης*: Vulgatus, *pro ſuſceptione vel aſſumtione matutina.* Sunt quibus Alexandrini videntur hoc loco אַיֶּלֶת accepiſſe pro אֱיָלוּת, quod hujus Pſalmi verſu 20 occurrit: *Virtus mea ad auxilium meum feſtina*; GROTIO tamen illi videntur potius pro אילת legiſſe עֶזְרַת, quod eodem in commate *ἀντιληψις* vertitur. BOCHARTUS q) retinendum cenſet

p) Eclog. V, v. 55.
q) Hieroz. P. I. Lib. III. c. 17. p. 888.

censet אַיֶּלֶת *cerva*, siquidem & AQUILA olim vertit ὑπερ της ἐλαφȣ της ὀϑϱινης & plerique Judaeorum doctores defendunt, sed in magna varietate sententiarum super ejus tituli interpretatione versantur, quum alii pro initio alicujus cantici habeant, alii instrumentum musicum *) significari putent, alii aliter interpretentur. Nobis id propositum est ostendere, videri τȣς LXX cervam Aurorae ita convertisse, ut videantur ad raptum Aurorae, gentilibus Graecis celebratum, respexisse. Quod ut ordine declaremus, ad sequentia attendendum arbitramur: 1) Cervam Aurorae, proverbio apud gentes Orientis recepto, significasse juvenem praematura & violenta morte abreptum: 2) In eadem fuisse imaginem auxilii divini, e praesentibus periculis hominem in vitam & honorem vindicantis: 3) Ex ambigua & παϱοιμιωδει locatione Hebraeorum vel primum fictum esse a Graecis raptum Aurorae, vel saltem a LXX interpretibus sumtum & expressum: 4) Inscriptione Psalmi sic declarata re vera significari argumentum ejus, nempe Messiam vexatione & morte superata ad vitam & gloriam rediisse.

XXIII.

Ad primum quod attinet, cervus, caprea, hinnulus, animal venustum, mansuetum,

*) Quam sententiam in primis ornavit TH. HASAEUS *Biblioth. Brem. Fasc. I. n. III.*

tum, amabile, apud veteres praecipuo in honore fuit, adeo ut si quem hominem gratiosum & amabilem significare vellent, cervae vel capreae compararent. Hujus studii veterum in cervas plurima testimonia e profanis scriptoribus congessit BOCHARTUS, unde nomen cervae & capreae ad homines amabiles & venustos translatum in frequentissimum ὑποκορισμον abiit. SALOMON uxorem viro suo gratam vocat *cervam carissimam & gratissimum hinnulum* r): in Cantico saepe sponsus dicitur *similis capreae & hinnulo cervorum* s). Apud Graecos Romanosque idem in usu fuisse, facile docet frequentissimum nomen *Dorcadis*, blandiendi caussa puellis additum. Nota est Tabitha vel Dorcas, quam mortuam Divus Petrus excitavit t), & inter Romanos quam frequens fuerit haec blanda appellatio, veteres inscriptiones testantur, in quibus Cornelia Dorcas, Julia Dorcas, Livia Dorcas occurrit. Unam hic affero prae aliis memorabilem u):

D. M.
JUL. ORESTILLAE
DORCADI
DULCISSIMAE
JUL. SPURINA
ET STATILIA
PARENTES
INFELICISSIMI
VIX. ANN. XIV.

Dilu-

r) Prov. V, 19. s) Cap. II, 8. 9. VIII, 14.
t) Act. IX, 36. u) GRUT. *p. DCLXXXIX*, 13.

Diluculum vel auroram consuetum aptissimumque venationibus tempus fuisse, supra monuimus, & cervos maxime sub aurora venari mos fuit, auctore XENOPHONTE x). Frequens igitur apud veteres venatus cervorum sub aurora mentio, nec raro ob egregii cervi in venatu occisi interitum magno homines dolore commotos legimus. Cyparissus in fabula y) quum cervum mansuetissimum imprudenter jaculo transfixisset, ob eam rem dolore consumtus, & in arborem sui nominis mutatus dicitur. Agamemnon, quod cervam Dianae sacram in venando violasset, iram Dianae morte filiae suae expiare jussus est z). Cervus mansuetus ab Ascanio venante per imprudentiam vulneratus, Latinos, qui eum magna cura aluerant, adeo in furorem egit, ut inde propior caussa belli contra Trojanos excitandi

x) *Cyneget. p.* 781. *edit. Leunclavii:* Ἐπισκοπεῖν δε ἔχοντα τας κυνας (χρη) τας μεν (ἐλαφους) ἐν τοις ὀρεσιν ἐρωσας μαλιστα μεν ἑωθεν, (χρη δε και της ἀλλης ἡμερας) ἐν δε τοις ἐργοις πρωϊ. ἐν μεν γαρ τοις ὀρεσιν ὀυ μονον της νυκτος ἁλισκονται, ἀλλα και μεθ' ἡμεραν, δια την ἐρημιαν. ἐν δε τοις ἐργοις, της νυκτος, δια το μεθ' ἡμεραν περιφοβεισθαι τους ἀνθρωπους. *Venari autem oportet cum canibus cervas montanas in aurora potissimum: quamquam & in reliquo diei: quae culta loca pererrant, diluculo. Nam in montibus non noctu solum capiuntur, sed interdiu quoque propter solitudinem. In agris autem nocte: nam in die homines metuunt.*

y) OVID. *Metam. X,* 110. *seqq.*

z) HYGINUS *Fab.* 98.

tandi exifteret. Tantus dolor cum e belli animalis inopinato interitu creari foleret veteribus, & decoros etiam adolefcentes blandiente vocabulo cervulos vel dorcadas appellari mos effet, proclive eft fufpicari, fi quis florente aetate & egregiis dotibus juvenis improvifo fato deceffiffet, de eo ufitatum antiquitus fermonem fuiffe, ut diceretur quafi cerva fub aurora periiffe, & proverbiali adeo locutione cervam Aurorae, quam titulus Pfalmi XXII prae fe fert, fignificare juvenem eximium violenta nece extinctum. Sic certe Davides Jonathanem in proelio occifum plangens a): *Caprea Ifraelis in montibus tuis interfecta eft* Orphei Maenadum concurfu immaniffime laniati interitum graviffime defcripturus poeta b), comparat cervo matutino a canibus lacerato:

Ceu matutina cervus periturus arena
Praeda canum eft.

Nec aliud quam imaginem violentae necis proponunt fabulae veterum de hominibus in cervos mutatis, de Actaeone c), & Arge venatrice d). Et videor mihi in quibusdam monu-

a) 2 Sam. I, 19.
b) OVID. *Metam. XI*, 26.
c) OVID. *Metam. III*, 194. *feqq.*
d) HYGINUS *Fab.* 205: *Arge venatrix, cum cervum fequeretur, cervo dixiffe fertur: tu licet Solis curfum fequaris, tamen te confequar. Sol iratus in cervam eam convertit.*

monumentis veterum praematuram mortem reperire ſigno cervi a fera lacerati adumbratam [e]).

XXIV.

Sed cerva Aurorae Ebraeis ſimul fuiſſe videtur ſymbolum auxilii divini e periculis eripientis. Nam ut cerva diluculo a venantibus agitata ſaepe ſuccumbit, ita haud raro elabitur, aurora procul montes illuſtrante, & in illis tutum monſtrante perfugium. Hac ſcilicet imagine auxilium divinum rebus in anguſtis praeſtitum ſaepius deſcribit ſacra ſcriptura. Aurora in ſacris litteris auxilii, ſolatii, gaudii a Deo venientis imago eſt. *Erumpet quaſi aurora lumen tuum, — — & gloria Domini colliget te* [f]). Eadem ſaepe jungitur montibus, in quorum jugis procul apparet [g]), hinc etiam auxilium divinum, Hebraeorum formula, a montibus, quaſi aurora illuſtratis, venire dicitur. *Tollo*, inquit DAVIDES [h]), *oculos meos ad montes, unde venit auxilium meum. Auxilium meum a Jehova.* Cervi agitati auxilium aurora eſt, quando ei montium cacumina aperit, ut eo confugiens perſequentes evadat, celeritate & firmitate

---

e) Vid. GRUT. inſcr. p. DCCLIX.

f) Jeſ. LVIII, 8. *Conf.* Hoſ. VI, 3.

g) Joel. II, 2: *Sicut aurora expanſa ſuper montes.* Et ſic poetae. VIRG. *Aen. XII*, 113: *Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montes, Orta dies,*

h) Pſ. CXXI, 1.

tate pedum adjutus. Quare hominis e praesenti vitae periculo divina ope erepti salutem Scriptura saepe describit esse quasi cervae, quae in montes evadens, superatis simul insidiis venantium, tanquam in tuto persugio consistit. Sic DAVIDES i): *Deus me accingit robore, & dat integram viam meam. Qui similes facit pedes meos sicut cervarum, & super excelsa mea collocat me.* Non aliam significationem habet cerva Aurorae in titulo Psalmi XXII, sed imaginem eam brevius exprimit.

XXV.

Ex hactenus disputatis haud perperam colligitur, cervam Aurorae idem significare, quod Graeci per raptum Aurorae intelligebant. Nam ut illa indicabat mortis periculum cum salute & gloria commutatum, ita hic transitum e vita ad immortalitatem & gloriam. Raptum Aurorae poetae dicebant contingere illustribus & generosis juvenibus, & speciosae juventutis symbolum apud gentes Orientis cerva est. Aurora utrinque salutis, immortalitatis, gloriae significationem habet. Ut ex cerva raptus fingeretur a Graecis, efficiebat ambigua vocis אַיֶּלֶת significatio. Quae quoniam ab אַיִל vel אוּל *robur*, *virtus*, descendit, cervam quidem apud

i) Ps. XVIII, 33. *Conf.* Habac. III, v. ult.

apud Ebraeos ſignavit, eo quod cervi robur & celeritas in pedibus praecipue celebratur, unde & Graecis vocantur χαλκοποδες, *aeripedes*, ſed propter ipſam agilitatem cervi ſimul tenuiſſe videtur ſignificatum celeritatis, rapiditatis, raptus, & cum ejusdem originis vocabulo אֱיָלוּת, *virtus*, commutata eſt. Quum in proverbiali ſollemnique Ebraeorum formula ſaepius hae voces conjunctae אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר efferrentur, alii quidem proprie intelligebant cervam, alii ſimul *raptum* poterant, eumque vel cervae ſub aurora raptae vel agitatae venatu, vel ipſorum venantium, quos oriens Aurora in ſylvas & montes ad venandum rapit. Sic celebrata multum in Oriente cerva Aurorae, Graeci hoc audientes finxerunt Aurorae raptum, & propter multitudinem pereuntium ſub aurora, traxerunt ad leniendam repentinae mortis acerbitatem. Hujus uſus non ignari interpretes Graeci Pſalmorum pro cerva Aurorae poſuerunt ἀντιληψιν ἑωθινην, rem magis, quam verbum exprimentes, h. e. vim divinae opis & conſolationis in repentinae mortis periculo ſpectatam, quam profani quodammodo raptu Aurorae expreſſerunt. Certe vocabulum ἀντιληψις, ſuſceptio, aſſumtio, eadem fere ſignificatione eſt, atque ἡ ἁρπαγη, ſed dignitati rei ſignatae, & aliis de re ſimili ſacrarum litterarum formulis accommodatum. Qualis eſt illa: ἡ δοξα τȣ Θεȣ περιϛελει σε, *Jeſ. LVIII*, 8. ὁ δε Κυριος

προσελαβετο με, *Pſ. XXVII, 10.* μετα δοξης προσελαβε με, *Pſ. LXXIII, 24.*

XXVI.

Sic declarata cervae Aurorae ſignificatione apparet, ipſum Pſalmi argumentum eo titulo contineri. Siſtit enim extremos cruciatus Meſſiae, ex morte de morte triumphantis, & δια το παθημα τε θανατε δοξη και τιμη εςεφανωμενε [k]). Cerva enim Aurorae ſi apud gentes Orientis ſymbolum fuit juvenis praematura morte ſublati, quidni hoc loco Meſſiam occiſum ſignificet, qui alias capreae & hinnulo cervorum aſſimilatur [l]), qui *ex anguſtia & judicio ereptus & ſublatus e terra viventium* dicitur [m]). Nec aliud quam Chriſtum in cerva Aurorae agnoverunt eccleſiae doctores [n]). Et in Pſalmo ipſo cruciatus Meſſiae cum manifeſta alluſione ad cer-

k) Hebr. II, 9. l) Cant. II, 8. 9. m) Jeſ. LIII, 8.

n) Praecipue HIERONYMUS *Comment. in Pſalmos.* Praeterea hanc veteris eccleſiae de cerva matutina ſententiam indicat fabula ſatis antiqua de Euſtachio martyre, qui ante Placidas vocabatur, & ſub Hadriano interemtus dicitur. Nam hic, ut referunt DAMASCENUS *Orat.* 3. *de imag.* & NICEPHORUS *H. E. Lib. III, c.* 29, quum in venatu aliquando magnum & ſpecioſum cervum perſequeretur, fiebat, ut inter ejus cornua lucidiſſimam crucis & Chriſti imaginem conſpiceret, ipſe vero cervus agitatus exclamaret: *Quid me perſequeris, Placida, ipſe ſum Chriſtus, quem inſcius venaris.* Quo viſo ſtatim ſe cum domo ſua addixit Chriſto.

cervarum agitationem & laniatum deſcribuntur: *Circumdederunt me canes multi, concilium malorum obſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos*, v. 16. *Erue a framea, Deus, animam meam*, hanc *unicam ex caninis unguibus*, v. 20. Aurorae cervam vocari cruciatum Meſſiam hoc magis conſentaneum eſt, quod cruciatus & angores Meſſiae aeque ac ejus de morte liberatio, ſive reſurrectio, mane fiebant ſub Aurora. Urget hanc rationem WOLFG. FRANZIUS, cervam Aurorae exponens o), & *Mane*, inquit, *capiebatur Filius Dei, & mane agitabant crudelia & ſanguinaria conſilia adverſus eum.* Reditum Servatoris in vitam factum eſſe docent ſacri ſcriptores λιαν πρωϊ, ἀνατειλαντος ἡλιȣ, valde mane, exoriente ſole p). Qua ratione inducti ſunt plerique doctores eccleſiae veteris, ut ἀντιληψιν ἑωθινην ad reſurrectionem Chriſti referrent q).

o) Hiſt. ſacra animal. p. 161.

p) Marc. XVI, 2. Jo. XX, 1.

q) EUSEBIUS *Praepar. Evang. X, p.* 492. HIERONYMUS *Comment. in Pſalm.* de reſurrectionis & aſcenſionis Chriſti ſacramento intelligit. Alii, allegorias ſecuti, non tam ad Chriſtum, quam ad animam Chriſtianam pertinere ſuſceptionem matutinam voluerunt. GREGORIUS NYSS. qui ſingularem commentarium in Pſalmorum inſcriptiones reliquit, a JAC. GRETSERO primum editum, putat titulo ſuſceptionis matutinae indicari, ineſſe in hoc pſalmo implorationem auxilii

XXVII.

Clarius ad ἀρπαγην Ἡμερας respexisse videtur Divus PAULUS, quando de JESU Servatore ait [r]): Ουχ' ἀρπαγμον ἡγησατο το ἐιναι ἰσα θεω. STEPHANUS LE MOINE [s]) respexisse PAULUM his verbis ad eum ritum consecrationis Imperatorum apud Romanos putat, quo aquilam e rogo cremandi cadaveris emittebant, eaque rapi animam in coelum & ad Deos transferri credebant. Hoc ritu ἀποθεωσεως exposito ita sententiam dicti Paulini explicat: *Ista facta & composita ad honorem principibus conciliandum, & ut post illorum fata raptu isto fictitio superstes illorum memoria servaretur & coleretur; sed in JESU res se aliter habet. Aquila quidem ipse coelum summum penetravit, solium majestatis occupavit, ad dextram Dei, proxime Patrem suum, triumphans fuit collocatus, sed isto raptu, ista exaltatione divinitatis decus & honores non sibi quaesivit. Deus erat idem cum Patre ante ascensionem suam in coelos, & raptui cuidam fictitio vel vero illius divinitas & cum Patre aequalitas, temere non est adscribenda: non reputavit raptum, se dicere Deo aequalem,* caet. Sic opponi a PAU-

---

xilii divini, quo anima tenebris malitiae & peccati adhuc oppressa, in lucem vitae secundum virtutem instituendae vindicetur. *Tractatu II. in Psalmos p. 177, edit. Grets.*

r) Phil. II, 6. seqq.

s) *In Variis sacris, p. 274 seqq.* Cui suffragatur ALEX. MORUS *in notis ad quaedam loca N. T.*

PAULO exiſtimat verám & aeternam divinitatem CHRISTI raptui per aquilam in conſecrationibus, quo Imperatores referri in Deos & divinitate donari credebantur. Mihi quidem manifeſte alludi videtur ad *ἁρπαγμȣς* gentilium, proxime tamen non reſpici ad ritum emiſſae in coelum aquilae puto, qui eo tempore, quo Divus PAULUS ſcribebat, vix uno alteroque Caeſare, fortaſſe etiam ſine illa aquilae dimiſſione, conſecrato, haud ita celebratus & per gentes cognitus eſſe poterat, ut PAULUS ad eum alludendi rationem ſatis idoneam haberet [t]). Probabilius igitur videtur, *ἁρπαγμον* reſpicere ad raptum Aurorae vel aliorum Deorum, quem poetae toties praedicant. Proprie enim hic vocabatur *ἁρπαγμος*, & ex eo reges in Deos relati *rapti*, *ἀνηρπασμενοι ἐις Θεȣς*. Majorem fidem facit, quod PAULUS *τω ἁρπαγμω* quaſi meritum illius & ſignum conjungit *το ἐιναι ἰσα Θεω*. Nam pagani, ut ex HOMERI locis & inſcriptionis veteris exemplo vidimus, rapi ad Deos dicebant, qui eſſent *ἰσοθεοι*, *ἐπιεικελοι Θεοις*, *aequales*, *ſimiles Diis*. Ἁρπαγμον vero gentiles non tam illum appellabant, quo hominum animas poſt mor-

 tem

t) Pompam illam conſecrationis, praecipue ritum illum, quo anima per aquilam in coelum ferretur, in Antonino Pio primum uſurpatum eſſe ſtatuit GUTHERIUS, *de jure Man. Lib. II. c.* 5. Sed erraſſe eum, jam notavit SCHOEPFLINUS *de Apoth. ſ. conſecr. Imper. Rom. cap. III, p.* 72.

tem ire putabant ad Deos, ſed quo credebantur vivi, occulta & celata illorum morte, ad Deos translati. Neque igitur velim *ἁρπαγμον* in verbis PAULI cum STEPHANO LE MOINE ita interpretari, ut conferatur cum aſcenſione CHRISTI in coelum. Haec enim, quod non niſi antecedente morte manifeſta facta erat, non poterat cum gentilium *ἁρπαγμῳ* conferri, & PAULUS de ſolo ſtatu humilitatis CHRISTI loquitur, quo mortem pro mortalibus obiit palam & in cruce. Huic morti CHRISTI PAULUS opponit *τον ἁρπαγμον*, qui contingere dicebatur ſine morte, & Chriſtum ait noluiſſe hunc ſibi contingere, quod noluerit ſine morte pro hominibus perpetienda priſtinam apud Deum gloriam recuperare. Itaque ex notione *τȣ ἁρπαγμȣ* hactenus conſtituta verba PAULI ſic declaranda & circumſcribenda arbitramur: Quamvis CHRISTUS aequalis Deo eſſet, propterea non ſe ſuperiorem hominibus geſſit, ut putaret nulla morte obita eripiendum ſe coetibus mortalium, & apud Deum divina in gloria collocandum, (ut fieri creditur cum iis, qui a Diis rapti dicuntur;) ſed cum hominibus ferre ſuppetias vellet, hominibus per omnia ſimilis factus eſt, imo etiam mortem & cruciatus extremos pro iis pati non dubitavit.

XVII.

XVII.

JOANNIS FLODERI

PROFESSORIS REGII ET ORDINAR. UPSALIENSIS

OBSERVATIONES

IN

THEOCRITEAM VIRGILII IMITATIONEM.

§. I.

Ea si resecueris miracula rerum, & vatibus utique, non inconcessas prorsus ὑπερβολὰς, quibus exornari solet aurei seculi descriptio, dixeris merito illud expressam sistere imaginem illarum deliciarum, quae vitam commendant rusticam & pastoralem. Istam qui sectatur, eum non magno turbine solicitae spes agitant: inter tranquilla mentis otia, laetus fruitur inemtis dapibus, quas vel exercita bubus arva fundunt, vel in laetis pascuis errantes greges propinant, vel culta denique ostendunt pomaria & vineta. Ut vero haec innocuae voluptatis & abundantiae merito censetur omnium refertissima, ita culta fuisse dicitur a primis mortalium: quos non credere fas est oscitanter sua spectavisse bona, sed sub arboreis umbris recubantes in reducta valle, inter blandos labentis aquae susurros, armentorum ac gregum balatus &

 mugi-

mugitus, suavesque avium concentus, divinae bonitatis suaeque felicitatis memores cantilenas cecinisse. Atque hos merito vocaveris primos pastorales cantus. Inde vero etiam, postquam, detersa prima ruditate, excoli paulatim coeperant artes, atque in his poetica, visa sunt arbusta humilesque myricae non indignum carminis argumentum, quo laetam pastorum simplicemque abundantiam & moderatas animorum commotiones vario modo depingeret ad fingendum solers poetarum imaginatio. Quin enim, inde usque ab eo tempore, quo Apollinis, & Musarum sacra frequentari coeperunt, illi fuerint, queis pastorum carmina ludere collibuerit, dubium non est: Quum vero illis omnibus palmam praeripuerit Theocritus, ut qui sivestrem Musam eo perfectionis perduxerit & absolutionis, ut nec postea quisquam fuerit inventus, qui nativa simplicitate & elegantia eum potuerit aequiparare, factum est, ut pastoralis initia carminis ab eo repetantur: haud aliter ac Epici parens carminis celebratur Homerus, Aeschylus Tragoediae, & Pindarus Lyricae poeseos auctor habetur [a]). Flouerunt aliquo post Theocritum tempore Moschus & Bion, etiam bucolicae poeseos laude clarissimi: sed alium quasi habitum hi induxisse videntur pastorali musae: omnia quidem in illorum carminibus sunt exquisitae, sed ideo forte

a) Cf. Bateuxii Cours de belles lettres, Part. II, 279.

forte minus naturalis, &, quae praecipue hoc genus exornat, simplicis elegantiae. Quare, qui in hoc genere solus inter Latinos excellit, Virgilius non hos, sed illum, sibi imitandum proposuit: ita quidem, ut non ficta tantum pastorum nomina in utroque eadem sint, sed argumenta quoque similia, nec diversi dicendi characteres, sententiarum denique & figurarum magna saepe deprehendatur convenientia. Ut vero in singulis, facta utriusque comparatione, partite & distincte explanemus, quatenus alter alteri vel cedat vel antecellat, ne postules quaeso aut expectes. Suffecerit nobis, specimen molientibus, ex pluribus seligere pauca, unde existimandi copia detur, quantopere Theocriteae veneres Mantuano Vati in amore fuerint & deliciis.

§. 2.

Verbo indicavimus, non fuisse prorsus, ante Theocriti tempora, pastoritios cantus ignotos: quis autem sit primus:

Silvestrem tenui Musam meditatus avena,

quaestio est & inutilis & perobscura, quum, ut aliarum complurium, ita etiam hujus artis prima incunabula retrusa sint, & in remotissimae antiquitatis tenebris abdita. *Diodorus* b) refert ex prisca *μυθιςορια*, Daphnim Siculum, *βȣκολον* dictum, invenisse *το βȣκολικον ποιημα και μελος*.

b) Biblioth. Hist. Lib. IV. p. m. 283.

Aelianus [c]) Daphnin quidem etiam inserit primae hujus generis cantilenae, non tamen ut auctorem, sed argumentum. Quum enim Daphnis Nymphae cuidam soli religiose promissa gaudia alii impertiisset, oculorum usu privatur, vindice fato; atque hoc παθος, το κατα τους ὀφθαλμους ἀυτου, dicit Aelianus primum fuisse argumentum, quod bucolico carmine expolierit Stesichorus Himeraeus. Nec refragari videtur Theocritus ipse; ita enim conjungit τα Δαφνιδος ἀλγεα cum τα βωκολικα μωσα [d]), quasi illinc haec nata fuisset. Attamen, si quae fuerint ista Daphnidos ἀλγεα existimare liceat ex primo hujus Poetae idyllio, dixerimus non tam illis intelligi την των ὀφθαλμων στερησιν, ut vult Aelianus, quam infelicem Daphnidis amorem atque inde pendentem interitum. Quum autem & Daphnis ad Himeram fluvium Siciliae coluerit ut Theocritus indicat [e]):

— — δρυες ἀυτον (Δαφνιν) ἐθρηνευν
Ἱμερα αι τε φυοντι παρ᾽ ὀχθαισι ποταμοιο.

& Stesichorus insuper, qui Δαφνιδος ἀλγεα carmine celebravit, Himeraeus fuerit, accidit, ut bucolicum carmen, quod Daphnidos nomen praefert, dicatur carmen Himeraeum, vel, observante Servio [f]) ὑμνος ἐφ ἱμερα. Quo argumento nixus Heinsius [g]) το ἐφιμερον ὑμνον in Theocriteo versu [h]):

Αἰκεν μοι τυ φιλος τον εφιμερον ὑμνον ἀεισες.

mutan-

c) Ποικιλ, L. X. c. 13. d) Ειδ. α. 20.
e) Ειδ. α. 74. f) Not. ad Virgil. Bucol.
g) Emend. ad Theocr. h) Ειδ. α. 61.

mutandum putat in *το ἐφ'ίμεϱα ὑμνον*, neque id quidem ſine ratione. Id enim agit heic Theocriteus ille *αἰπόλος*, ut Thyrſin inducat ad canendos Daphnidos amores & dolores, i. e. ad modulandum *τον ὑμνον ἐφ'ίμεϱα*. Atque hoc eſt primi Idyllii argumentum, quod ad Gallum ſuum transfert Virgilius Eccl. X. alio tamen uſus ordine & diſpoſitione.

Theocritus enim dramaticum ſecutus dicendi characterem caprarium & Thyrſin inducit colloquentes, ita ut, ubi mutua primum inter ſe defuncti ſunt laudatione artis canendi, Thyrſis demum illectus propoſita mercede canat Daphnin amore contabeſcentem & morientem: Virgilius vero, alio, nempe exegematico, charactere uſus, ipſe cantat Galli impatientiam amoris, ita quidem, ut prudenti imitatione Thyrſidos Theocritei carmen in eum commutet habitum, qui in Galli perſonam conveniat. Theocritus a Nymphis capit exordium:

Πᾶ ποκ'ἀϱ ἠθ'όκα Δαφνις ετακετο, πα ποκα Νυμφαι;
Ἠ κατα Πηνειῶ καλα τεμπεα, ἠ κατα Πινδω.
Οὐγαϱ δη ποταμοῖο μεγαν ϱοον εἰχετ' Αναπω,
Οὐδ' Αἴτνας σκοπιαν, ὐδ' Ακιδος ἱεϱον ὑδωϱ.

Quod ita imitatione exprimit Virgilius:

Quae nemora, aut quae vos ſaltus habuere, puellae
Najades, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aoniae Aganippe.

Uter-

Uterque ſcite & ad ſuum argumentum adcommodate. Daphnis in Sicilia periit, quod puellae animum ſentiret alienatum & offenſum: atque ideo quaerit Poeta, quo tunc Sicelides Nymphae abiiſſent, Theſſaliae, tempe, an Pindi juga eas tenuiſſent, ſi enim vel Aetnam coluiſſent, vel Anapi & Acidos fluenta, h. e. ſi in Sicilia commoratae fuiſſent, nunquam ſiviſſent Daphnin amore contabeſcere. Gallus quidem etiam lento ſe conficiebat dolore, quod puella, quam deperibat, illo ſpreto, Antonium ſequeretur, ſed, quum ille vir nobilis eſſet & inſignis Poeta, dicit Virgilius, tabeſcente illo puellae deſiderio, non coluiſſe Nymphas Parnaſſum, & Pindum, aut alia Apollinis ſacris inclutа loca: quaſi indicaret, ſi conſueta Muſarum ſtudia Galli animum tenuiſſent occupatum, futurum nequaquam fuiſſe, ut in eas amoris anguſtias incideret. Hinc intendens uterque animum ad pereuntis imaginem caſus, tam eum fuiſſe miſerabilem oſtendit, ut vel inanimae res & ferae in ſocietatem lugendi venire poſſent. Eadem utuntur ambo dictionis figura. Id modo intereſt, quod Virgilius arbores & ſaxa ad plorandum excitat:

Illum, inquit, *lauri*, *illum etiam flevere myricae:*
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe jacentem
Maenalus & gelidi fleverunt ſaxa Lycaei.

Theocritus vero feris beſtiis lugubres excutit ejulationes:

Τῆνον

Τῆνον μανθῶες, τῆνον λυκοι ὠρυσαντο.
Τῆνον χὠκ δρυμοῖο λεον ἀνεκλαυσε θανοντα.

Quo loco id vertitur a nonnullis Poetae vitio, quod Daphnin in Sicilia morientem luxisse dicit leones, cujusmodi animalia non istas tenere oras perhibentur; sed observent illi velim, orationem esse *ἀοριστικην*, cujus index particula *ἀν* vel *κεν* si addatur, emergit sensus commodissimus, hoc ferme modo: tam fuit Daphnidos fatum miserabile, ut vel ipsi leones, truculentissimae ferae, siquidem adfuissent, ad commiserationem moveri potuissent. Pergunt Poetae in eadem prosopopoïa, &, priores amantium curas, armenta & greges illis circumfundunt. Breviter Virgilius:

Stant & oves circum, nostri nec poenitet illas;

plenius Theocritus, & magis partite:

Πολλαι οι παρ ποσσι βοες, πολλοι δε τε ταῦροι,
Πολλαι δ' αὖ δαμαλαι και πορσιες ὠδυραντο.

Neque mutas personas in hac scena agunt pastores & bubulci, nam apud Virgilium:

Venit & opilio; tardi venere bubulci:
Omnes, unde amor iste, rogant — —

Et apud Theocritum:

Ἠνθον τοι βοται, τοι ποιμενες, ὠπολοι ηνθον
Παντες ἀνηρωντευν τι παθοι κακον — —

Agmen claudunt Numina, in Siculo theatro Mercurius, Priapus & Venus, atque in Romano Apollo, Sylvanus & Pan. Sed in hac parte carminis verba tantum Priapi ad Apollinem suum transferre videtur Virgilius. Ita enim hic: — *Tibi*

— — Tibi venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit, tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.

Quomodo ferme Theocritus:

— — Ηνθ' ὁ Πριαπος
Κηφα· Δαφνι, ταλαν, τι το τακεαι, ἁ δε γε κωρα
Πασαν ἀνα κρανας, παντ' ἀλσεα ποσσι φορεῖται.

Sed sic tamen parum abest, quin Heinsio adsentiamur i) existimanti verba ista: ἁ δε γε κωρα, κ. τ. λ. de puella absolute esse accipienda, totamque, quae sequitur, orationem non Priapi esse, sed puellae tacite secum in sylvis indignantis, & subsultoriam levitatem Daphnidi exprobrantis. Hactenus taciti audiverunt pastores montium ferarumque gemitus & ploratus, atque vel miserantia pastorum Deorumque, vel exprobrantia verba, tandem vero & illi lugubres & amentes inducuntur in scenam, loquentes quod exaestuans affectus suggessit. Quae amantium animos versant, alternas adfectum, amoris, indignationis, desperationis vices melius nemo exprimere potuit: sed nescio tamen an Virgiliana haec Ethopoeia majores habeat adfectus, quam qui in simplicis personam pastoris conveniant. Galli ordini & conditioni ista congruerint. Daphnis contra Theocriteus non sylvas egreditur suas: in delusi imaginem amoris mens unice intenta & infixa non magnas alternis concipit

i) Emend. ad Theocriti Eid. a.

pit & ponit ſpes; de inſtante fato certus jubet ſylveſtres feras, fluvios & fontes, ſuas quondam delicias, valere: paſtoralem fiſtulam, ſuum amorem, commendat Pani, addens vitam amore confectam & dolore fugere ſub umbras. Prius vero quam hoc relinquamus Idyllium, bina praeterea indicare juvat loca, quo alias reſpexiſſe videtur Maro noſter. In altero deſcribitur poculum quod cantationis praemium Thyrſidi proponit caprarius. Hujus ſuprema labra caelata conſpiciuntur ſerpentibus hederis:

Τω περι μεν χειλη μαρυεται ὑψοθι κισσος
Κισσος ἑλιχρυσῳ κεκονισμενος· ἁ δε κατ' αυτον
Καρπῷ ἑλιξιν εἱλειται αγαλλομένα κροκοεντι.

Ex quo archetypo ſi Virgilius non perfecta imitatione expreſſit ſuorum ornamenta poculorum, at ipſam tamen eorum delineationem inde mutuatus eſt. Nam etiam illis caelaturae artificio ſuperadditae erant vites & hederae:

Lento quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos k).

Quomodo etiam, quo ſuum deſcribit poculum Damoetas, verſus hic l):

Et molli circum eſt anſas amplexus acantho.

Formatus eſt ad imitationem Theocritei:

Παντα δ' αμφι δεπας περιπεπτατα ὑγρος ακανθος.

In ceteris longius a Magiſtro ſuo diſtat Virgilius. Congerit enim ille in poculum ſuum com-

k) Eccl. III. 38. l) Eccl. III. 45.

complures imagines rerum, quas penicillo forte melius peritiſſimus pictor, quam caelo quisquam in ligno imitari poſſit. Stant illinc pulcre ornata femina, duoque bene capillati; oculisque prae dolore & lacrimis tumentes, viri, quos alterno oculorum conjectu callide ludit illa; haud inde procul aſpero ſuperſtans ſcopulo piſcator, quantum conniti viribus potuit, rete trahebat, intumeſcentibus ex contentione venis. Tandem effícta erat vinea, maturis ſuperbiens uvis, quam, inter callidas vulpecularum inſidias, decipulae texendae intentus puer cuſtodiebat. At Virgilii pocula non ea imaginum varietas ornabat: alterum oſtendebat Orphea tantum, ſylvasque ſequentes, atque in alterius medio erant:

— — duo ſigna, Conon, & quis fuit alter
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae meſſor, quae curvus arator haberet.

Ceterum ex recenti caelatura eodem modo conciliat uterque Bucolicus ſuis poculis ſupremam commendationem: Theocritus ita:

Ουδε τι πω ποτίχειλος ἐμον θιγεν αλλ ετι κεῖται
Αχραντον — — —

Quod ita exprimit Maro:

Nec dum illis labra admovi, ſed condita ſervo.

Alter locus, quem ex Theocriteo hoc Idyllio in ſua carmina transtuliſſe Virgilium indicavimus, continet Thyrſidis laudem carminis v. 7.

Αδιον

Ἁδιον ἰο ποιμαν το τεον μέλος ἢ το καταχὲς
Τῆν ἀπο τᾶς πετρας καταλειβεται ὑψοθεν ὑδωρ.

Hos, inquam, verſus ita imitatur Virgilius Eccl. V. 45.

Tale tuum carmen nobis, Divine Poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine: quale per aeſtum
Dulcis aquae ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Eadem utrobique eſt imago: refertur enim carminis dulcedo ad ſimilitudinem currentis aquae: id tantummodo intereſt quod Syracuſanus vates, non ſpeciatim indicato comparationis, ut dici ſolet, tertio, ſuavitatem carminis indefinite cogitandam exhibet in imagine currentis aquae: quum Mantuanus contra definiat cujus reſpectu rei cantus & aqua conferantur inter ſe: nempe laetiſſima voluptate audientium animos perfundunt carmina, haud aliter ac ſolis aeſtu defatigata membra permulcent, & recreant dulces fontium liquores.

§. 3.

Quod in Theocriteis Idylliis ordine ſecundum eſt, Simaetham ſiſtit mulierem Delphidis cujusdam amore captam, quem amatoriis incantationibus & veneficiis, ancillae cujusdam miniſterio, ex palaeſtra ad ſe traducere conatur: ad quod exemplum Maro videtur aptaviſſe ſuam Pharmaceutriam, quam altera Eclogae VIII pars continet. Equidem non negaverim *Φαρμακεύτριαν* Virgilianam domeſtico ut plurimum cultu incedere, ſed ſic tamen, ut paſſim prodat ma-

 niſeſte,

nifeste, quae genus sit & unde domo. Theocritus distinguit poematium suum versu hoc intercalari:

Ἴυγξ ἕλκε τυ τῆνον ἐμὸν πο τι δῶμα τον ἄνδρα.

a quo, si sensum respexeris, non diversus est, qui identidem a Virgilio repetitur:

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

Nempe ἴυγγες, alias dicti ϛροφαλοι ἑκατικοι, in veneficiis antiquiorum notissimi usus fuerunt, ut ex Michaele Psello aliisque probat Seldenus m), Sphaerulae aut cylindri, quos loro torquentes rotaverint, istam qui exercuerunt artem, atque interea incantationibus praesidentes Dæmonas invocaverint. Nec ab iynge multo diversum veneficiorum instrumentum putat Seldenus fuisse rhombum illum magicum, quem Theocritus vocat v. 30. hujus Idyllii ῥομβον χαλκεον, quum inter solennia carmina & incantationis formulas torti fuerint utrique. Itaque parum retulerit, utrum, quod Theocritus fecit, excantandi vis tribuatur ἴυγγι, an, ut Virgilius habet, quae tortis iyngibus adsociabantur, magicis carminibus. Huc forte respexisse dixeris veneficae artem mulieris explanantem Bachin apud Lucianum n) εἶτα, inquit, ἐκ τȣ κολπȣ προκομισασα ῥομβον, ἐπιϛρέφει ἐπῳδην τινα, λεγȣσα ἐπιτροχω τῇ γλωσσ: βαρ-

m) De Diis Syris Syntag. I. c. 2.

n) Διαλ. εταιρικοι, qui inscribitur: Μελιττα και Βακχις p. m. 557.

βαρβαρικὰ καὶ φρικώδη ὀνόματα. Quoniam vero in Bacchidos Luciani mentionem incidimus, haud pigebit ejusdem secutos indicia cetera vatis loca perlustrare. Syra, cujus Lucianus meminit, anus magicis sacris ad Bacchidem revocatura, qui ipsam deseruerat, amatorem, dicitur πάττειν καὶ τῶν αλῶν ἐπὶ τὸ πῦρ, καὶ ἐπιλέγειν ἀμφοῖν τὰ ὀνόματα. Nempe ad commemorationem nominis vel utriusque vel alterius sal spargebant incantatores & Venefici, simulantes se, quod in sacrificiis fieri consueverat, salsa mola conspergere illum, quem carmine ferire volebant: quod indicat Theocritea Simaetha:

Ἄλφιτα τοι πρῶτον πυρὶ τάκεται. Ἀλλ' ἐπίπασσε
Πάσσ' ἅλα καὶ λέγε ταῦτα· τὰ Δέλφιδος ὀστέα πάσσω.

Ita enim legendus est versus posterior, πάσσ' ἅλα, non, ut quaedam editiones habent, πάσσ' ἅμα. Scilicet ritui convenienter in veneficiis frequentari solito, dicit primum, ἄλφιτα πρῶτον πυρὶ τάκεται, farinae, quas primum in ignem conjicimus, absumuntur: inde Thestylin adfatur, πάσσε ἄλλα, sparge alia, cetera, quorum in hujusmodi sacris usus esse solet, quaenam vero ista sint indicatura, dicit versu seq. πάσσ' ἅλα κ. τ. λ. sparge sal & dic: Daphnidis ossa spargo. Hujus indicium ritus peragit uno verbo Virgilius: sparge molam, quod enim ἄλφιτον ἐξ ἁλὸς notant, id unicum Latinorum vocabulum

bulum mola deſignat. Erat & alia ſimulatio in magicis ſacris non inſolita, quae incantandorum imagine fiebat. Theocritea Simaetha e cera effictam amatoris imaginem igni admovet, hoc addito voto:

Ως τȣ̃τον τον καρον ἐγω συν δαιμονι τακω,
Ως τα κοιθ' ὑπ' ἐρωτος ὁ Μυνδιος αὔτικα Δελ-φις.

Virgiliana contra femina duas finxiſſe videtur imagines, alteram ex limo, e cera alteram, ſubindicans optare ſe ut is, ad cujus ſenſus avertendos haec veneficii ſcena adornata erat, ſui amore molliretur, cerae inſtar igni admotae, & viciſſim inſtar limi dureſceret erga alias feminas, quod hi oſtendunt verſus:

Limus ut hic dureſcit & haec ut cera liqueſcit
Uno eodemque igni: ſic noſtro Daphnis amore.

Neque incenſa lauro alio ſpectaviſſe, niſi, ut in imagine ardentis ligni exprimerent vota ſua, palam ex hoc Theocriti loco eſt:

Δελφις ἐμ' ἀνιασεν, ἐγω δ' ἐπι Δελφιδι δαφναν
Αἴθω χ' ὡς αὐτα λακεῖ μέγα καππυρισασα
Κηξαπίνης ἅφθη κ' ουδε εποδον ἐιδομες αὐτᾶς,
Οὕτω τοι και Δελφις ἐνι φλογι σαρκ' αμαθυνοι.

Virgilius non aeque ac Siculus Poeta diſtincte pandit incenſae laurus arcanum, contentus ſenſum expreſſiſſe ex primo hujus commatis verſiculo:

Daphnis me malus urit; ego hanc in Daphnide laurum,

ubi non incommodus luſus in gemina ſignificatione verbi urere aliquid habet venu-

venuſtatis, quod in graeco exemplari quis forte ſe non invenire dixerit. Ceteroquin vero alterum hemiſtichium, ego hanc in Daphnidi laurum ſc. uro, quod ad verbum eſt ex graeco expreſſum, videtur nonnullis habere aliquid ambiguitatis, quam ſuſtuleris tamen, ſi fontem ipſum conſulere placuerit. Praeterea vero etiam inter *φιλτρα* illa, quae in hujusmodi ſacris adhibebantur, erant herbae, nec unius generis venena. Maronis venefica nominat indefinite herbas, & ponto ſibi lecta venena, quorum probatam ſaepe in veneficiis virtutem laudat, ſubinnuens cupere ſe, ut in allicienda conjuge aeque ſe nunc oſtendant efficaces. Cujusmodi vota Simaetha Theocritea, ad ſui veneni conſpectum & uſum, apertius pandit, ita canens:

Ιππομανες φυτον ἐςι ταρ᾽ Αρκασι, τῷ δ᾽ ἐπι πασαι
Και πῶλοι μαινονται ἀν᾽ ὠρεα καὶ θοαι ἱπποι.
Ὡς και Δελφιν ἴδοιμι και ες τόδε δῶμα περησαι
Μαινομενῳ ἰκελον.

Sc. optat ut, equarum inſtar, quae veneno, quod vocat *ἱππομανες*, adflatae, feruntur inſane, conjux ejus amoris furore agitatus adcurrat ad ſe: haud ferme aliter ac in Virgiliana *φαρμακευτρια* magicis ſacris dedita mulier optat viro furorem, ſimilem illi, quo actae bubulae per ſaltus & nemora quaerunt juvencos. Sed redeamus ad Bacchidem Luciani. In illo apparatu, quo vene-

ficiis operaturis opus erat, dicit anus illa fuisse etiam quasdam adamati exuvias, quas oportuerit amantem vel igni sacro comburere, vel suffimentorum incensione, aut alia ratione sacrare: δεησει δε, ait, τι αυτε τε ανδρος ειναι, οιον ιματια η κρεπιδας η ολιγας των τριχων, η τι των τοιετων. Hunc ritum pulcre observat Simaetha, nam discerptam vestimenti fimbriam adolet igne:

Τετ' απο τας χλαινας το κρασπεδον ωλεσε Δελφις,
Ω' γω νυν τιλλοισα κατ' αγριω εν πυρι βαλλω.

Nec ejus non observans fuit Maronis venefica, licet ad exemplum Simaethae non definiat quodnam esset a fugitivo amatore relictum huic nunc deserviens usui: generatim dicit:

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit
Pignora cara sui: quae nunc ego limine in ipso,
Terra; tibi mando.

§. 4.

Missis vero nunc veneficarum praestigiis & incantamentis: age porro lustremus, ad deliniendos aversos animos illis multo efficaciores, amantium blanditias, quarum pastorale specimen exhibet Corydon Virgilianus Eccl. II. ita quidem eas miscens, ut quum, apiculae instar, undique ex Theocriteis hortulis flores decerpat, miro tamen imitationis artificio dispositis illis & digestis, non alienis tumere plumis videatur. Corydon in montibus oberrans & silvis miserabiles

les primum jactat querelas de duro & inexorabili Alexidis animo:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.

Αιπολος vero Theocriteus Idyll. III. 6. seq. non adeo abrupte a crudelitate Amaryllidis suam orditur orationem, sed, quod non aeque forte convenisset in personas, quas Corydon & Alexis dissimulant, ac in Comasten Theocriti, lenius primum blandiens puellae animo illam admonet jucundi temporis, quo se corculum suum vocabat, & quaerit quid nunc alienasset animum ejus, aut quid ipsi in se displiceret: atque hinc tandem, quasi, ad memoriam sibi tam lugubris mutationis, animum occuparet desperatio, exclamat: απαγξασθαι με ποιήσεις, ubi proverbialis vox απαγξασθαι non sine venustate usurpatur in dolore ipsi interitum acceleraturo, & redditur ῥῆσις illa eleganter a Virgilio: mori me denique cogis. Quum vero non ignoraret Corydon nihil desperationis indicem querelam valere ad flectendam aversi mentem, nisi sint, quae commendent querentis personam, non praetermittit ea commemorare, quae in se apta fore putabat ad mutuum amorem sibi conciliandum. Et primum quidem divitias suas laudat, ad capiendos animos omnium efficacissimas:

Despectus tibi sum, nec quis sim quaeris, Alexi;
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.

Mille meae ſiculis errant in montibus agnae:
Lac mihi non aeſtate novum non frigore deſit.

Quod jactans paſtor Polyphemum imitatur, qui, quum in Theocr. Id XI. de hirto ſupercilio & deformi naſo nonnihil commemoraviſſet, haec addit:

Ἀλλ᾽ ὦυτος τοιȣτος ἐων, βοτα χιλια βοσκω.
Κηκ τȣτων το κρατιςον αμελγομενον γαλα πινω·
Τυρος δ᾽ ȣ λειπει μ᾽ ȣ τ᾽ ἐν θερει ȣτ᾽ ἐν ὀπωρῃ
Οὐ χειμῶνος ἀκρω — — —

Easdem certe, atque eodem ferme modo, uterque laudat paſtoritias opes, melius tamen Maro: quolibet enim anni tempore novi copia lactis abundare, id demum laudabile eſt, & rem prodit pecuariam cultam ſatis & fructuoſam, quum is contra, qui, non hieme minus quam aeſtate caſeos proferre poteſt, nihil habeat ejusmodi quo glorietur; poſſunt enim aeſtivo tempore preſſi caſei per hiemem conſervari; niſi quis forte dicere voluerit indicare Theocritum, ex uberrima nec deficiente unquam lactis copia poſſe ſe quavis tempeſtate recentes formare caſeos. Divitiarum porro laudationi jungit uterque paſtoritiae commendationem Muſae:

Συρισδεν δ᾽ ὡς ȣ τις ἐπιςαμαι ὧδε κυκλωπων.

Corydon:

Canto quae ſolitus, ſi quando armenta vocabat
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.

Ab affluentia opum & cantandi peritia tranſit paſtor Virgilianus ad formae venuſtatem, quam in aquarum ſpeculo conſpectam ruſtica ſimplicitate commendat:

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi
Quum placidum ventis ſtaret mare, non ego Daphnin
Judice te, metuam, ſi nunquam fallit imago.

Quomodo ferme ſub Polyphemi perſona canit Damoetas apud Theocr. Id. VI. 34. ſeq.

Καὶ

Καὶ γάρ θην ὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν ὥς με λέγοντι,
Ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, (ἦς δὲ γαλάνα)
Καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια, καλὰ δ' ἐμὶν ἁ μία κώρα,
(Ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται) κατεφαίνετο. —

Sed confidentius tamen, quam Damoetas, oris speciem praedicat Corydon: hic enim ne Alexidis quidem judicium se vereri palam profitetur, cum ille contra formae jactationem mitiget modeste addens: ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται, ut ego quidem judicavi. Ad reliqua pergamus: Corydon non contentus explicuisse opes suas, formaeque praeconium egisse, ostentat etiam puerulo destinata munera:

Praeterea, inquit, duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
Bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo,
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

Polyphemus quidem etiam se digna munera promittit Galateae Idyll. XI. 40:

— — Τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρώς,
Πάσας ἀμνοφόρως, καὶ σκύμνως τέσσαρας ἄρκτων.

Sed non tam huc mihi respexisse videtur Virgilius, quam potius ad caprarii verba ad Amaryllidem Idyll. III. 34. seq.

Η μάν τοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω,
Τάν με καὶ ἁ Μερμνῶνος ἐριθακὶς ἁ μελανόχρως
Αἰτεῖ καὶ δωσῶ οἱ, ἐπεὶ τύ μοι ἐνδιάθρύπτη.

Ubi rarius alias occurrens verbum ἐνδιαθρύπτεσθαι, Scholiastes exponit: σκαταλᾶν, τρυφᾶν, ut dicere posse videaris Amaryllidi suae exprobrare τὸν αἰπόλον delicatissimum fastidium, non sine tacitae irrisionis suspicione.

 Judi-

Judicent ergo, queis nares sunt emunctiores, an Virgilianum illud: *sordent tibi munera nostra*, prorsus exprimat vim Theocritei hujus: το μοι ενδια θρυπτη. Postquam vero Virgilius in caprarii persona laudavit suae veneri parta munera, quasi admiratione tangeretur dementiae ejus, exclamat iterum:

Quem fugis ah demens? habitarunt Dii quoque silvas
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat - - - -

Et cum talia dicendo paene oblitus videri posset quam ageret personam, mox se ad rusticas comparationes revocat:

Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam
Florentem cytisum sequitur lasciva capella:
Te Corydon, o Alexi - - -

Quibus verbis non interrupta climax eam conciliat venustatem, cui parem nobis utique non videtur Theocriteum exemplar habere Idyll. X. v. 30.

Α αιξ τον κυτισον, ὁ λυκος ταν αἶγα διωκει,
Α γερανος τωροτρον· ἐγω δ' ἐπί τιν μεμάνημαι.

Et nescio praeterea, an Virgilius in altero comparationis membro respiciens ad idem verbum illud, sequi, quo prius refertur, melius observaverit comparationis regulas, quam quidem Theocritus, dum suum μαινεσθαι confert τῷ αιγὸς και λυκȣ και γερανȣ διωκειν. Utique enim, si stricte loqui velimus, dixerimus, το μαινεσθαι cum designare mentis impetum, qui non prorsus consentiat illi, cui exprimendo το διωκειν solet accommodari. Tandem vero, in qua hactenus defixus fuit animus, imagine delusi amoris satiatus, colligit se Corydon ipse & confirmat: damnat stultitiam suam atque ad laborem exercendum magis utilem & fructuosum semet excitat:

Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit?
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Vimi-

Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenias alium si te hic fastidit Alexis.

Confer ista Polyphemi verba apud Theocr. Idyll. XI, 72. seq. & miram deprehendes convenientiam:

Ω κυκλωψ, κυκλωψ, πᾶ τας φρενας ἐκπε-
ποτασας
Αἴκ' ἐν θων ταλαρως τε πλέκοις καὶ θαλλον
ἀμασαις
Τοῖς ἀρνεσσι φερεις, ταχα κεν πολυ μᾶλλον
ἔχες νοῦν.
Εὑρησεις Γαλατειαν ἴτως και καλλιον αλλαν.

Nihil certe interest, nisi quod Cyclops de alio loquitur rustico opere, & melius forte, ad naturae exemplar, illum exprimit indignationis adfectum, quo, dum se sperni videt, impulsus repente infelix amator, contemtim nonnunquam de persona loquitur amata.

§. 5.

Nihil magis curare debet qui Bucolica scribit, quam ne eadem, ut dici solet, chorda semper oberrando, fastidium moveat legentibus, id quod prudenter observavit Virgilius, ut qui non singulis Eclogis eundem induxerit habitum & formam. Prima enim unius sistit otium & conquestionem alterius, quem infesta fata a suo pellunt agro; secunda infelicem rustici amorem repraesentat; in tertia alternis versibus pastoralia convicia intorquent Menaclas & Damoetas. Hujus vero litigii plenissimi carminis & materiam & formam mutuatus est a Magistro suo. Primi Eclogae versiculi:

M. Dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?
D. Non, verum Aegonis, nuper mihi tradidit Aegon.

ad verbum expressi sunt ex Theocriti Idyll. IV. V. 1. 2.

B. Εἰπε μοι, ὦ κορυδων, τινος αἱ βοες; ἢ ῥα
Φιλωνδα;
K. Οὐκ ἀλλ' Αἴγωνος. βοσκεν δε μοι αὐτος
ἔδωκεν.

In progressu vero liberius exspatiatur, suoque indulgens ingenio e longinquo sequitur Siculi vestigia: cum enim hujus Battus oblique reprehendisset Corydonem quod clam pecus mulgeret:

Ἡ πᾶψε κρυβδαν τα ποθεσπερα πᾶσας ἀμελγες;

directe amovet hic istam perfidiam:

Ἀλλ' ὁ γερων ὑφιητι τα μοσχια κήμε φυλασσει.

At Menalcas Virgilianus magis directe hujus generis probra ingerit in Damoetam:

Infelix o semper ovis pecus: ipse Neaeram
Dum fovet, & ne me sibi praeferat illa veretur
Hic alienas oves custos bis mulget in hora.

Ad quae ita respondet Damoetas, ut alia vicissim intorqueat:

Novimus & qui te etc.

Ut litigiosum hocce colloquium videri possit ejusdem esse formae ac Theocriteum illud Idyll. V. inter Comaten & Laconem, quum enim ille dixisset:

Αιγες ἐμαι τῆνον τον ποιμενα τον Συβαριταν
Φευγετε τον Λακωνα τό μευ νάκος εχθὲς ἔκλεψεν.

Non purgat hic objectum crimen, sed idem retorquet in sui accusatorem:

Οὐκ ἀπο τᾶς κρᾶνας σιττ' ἀμνιδες; ουκ εσορῆτε
Τον μευ ταν συριγγα πρωαν κλεψαντα Κοματαν.

Inde vero demum, & ad mentionem ablatae syringis, inceperunt pastores de ingesto hinc atque illinc probro inter se disquirere. Comates quaerit contemti an Laconi unquam fistula fuisset:

Ταν ποιαν συριγγα; τυ γαρ ποκα, δῶλε Συβάρτα
Εκτασω συριγγα; τι δ' ὀυκετι συν Κορυδωνι
Αρκεῖ τοι καλαμας αὐλον ποππυσδεν εχοντι.

Quorum verborum sensum eleganter exprimit Virgilius, ita tamen ut dubium nonnemini videri possit, an nativam Theocriti simplicitatem omni ex parte sit adsecutus; ita autem ille:

— — unquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Hinc ergo exardescunt animi ad cupiditatem musici certaminis: Damoetas praemium victori cessurum proponit vitulam: ad quod ita respondet Menalcas;

De

De grege non ausim quidquam deponere tecum
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca
Bisque die numerant ambo pecus, alter & haedos.

Eodem fere modo quo apud Theocritum Idyll. VIII. cum de certamine ineundo convenissent, & Daphnis vitulum praemii loco proposuisset, respondet Menalcas:

Οὐ θησω ποκα ἀμνον, επει χαλεπὸς θ' ὁ πατηρ μευ
Χ' ἁ ματηρ. τα δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' αριθμεῦντι.

Utrobique nativa & pastoribus digna simplicitate non iniquae severitatis insimulantur parentes. Sed nescio tamen an naturae ductum pressius sequatur & ad veri similitudinem se magis accommodet Virgilius, quam quidem Theocritus, cum hic dicat & patrem & matrem redeuntes ex pascuis greges vespertino tempore numerare; ille vero, ne quidquam dixisse videretur, quod matribus ferme propriae lenitati & indulgentiae adversaretur, novercam advocat in societatem paternae severitatis, atque dicit insuper numerum iniri pecudum bis die, nempe mane dum in pascua aguntur, & vespere dum inde revertuntur: quid enim prodest novissime quantum ovium redeat ex pastu, si quantum exierit ignoretur. Postquam vero convenerat de certamine ejusque praemio, poscitur arbiter, quo aures canentibus commodante, ita orditur Damoetas:

Ab Jove principium Musae: Jovis omnia plena,
Ille colit terras: illi mea carmina curae.

Ad quod ex Amoebaei lege carminis hoc reddit Menalcas:

Et me Phoebus amat: Phoebo sua semper apud me
Munera sunt lauri & suave rubens hyacinthus.

Neque absimili modo inserit Theocritus Idyll. V. mentionem numinum, queis carmina curae sint, primis certantium pastorum versiculis; ita enim Comates:

Ται Μῶσαι με φιλεῦντι πολυ πλεον ἢ τον ἀοιδον
Δαφνιν' ἐγω δ' αυταῖς χιμαρως δυο πραν ποκ' ἔθυσα.

Quem excipit Lacon:

Και γαρ ἐμ' ὠπολλων φιλεει μέγα και καλον αυτῷ
Κριον ἐγω βοσκω. — —

Ut vero in hoc carminis genere non in uno maneretur argumento, ita fit heic transitus a Numinibus ad puellas:

Malo, inquit, me Galatea petit lasciva puella;
Et fugit ad salices & se cupit ante videri.

En

En quam facili naturalique festivitate per lasciviam nonnunquam ludentium puellarum mores depingit Bucolicus, sumto exemplo a Theocrito, qui Comatem Idyll. V. ita canentem inducit de suae lascivia puellae:

Βαλλει και μαλοισι τόν αἰπολον ἁ Κλεαριστα,
Τας αἰγάς παρελῶντα, και ἁδυ τι ποππυλιασδει.

Eo tantum discrepat Graecus a Latino, quod hic exhibet puellam, post jocosum ludum, occultam simulantem fugam; ille vero suam venerem inducit inter lascivos lusus se leni delectantem modulatu, quod factitare consueverunt, qui, quod jocose agunt, egisse videri nolunt: puellaris ingenii morumque decorum scite observat. Hoc indicato puellari joco, pergit Damoetas:

Parta meae Veneri sunt munera; namque notavi
Ipse locum, aeriae quo congessere palumbes.

Sensus est penitus e graeco exemplari expressus; ita enim Theocriteus Comates:

Κἠγω μεν δωσῶ τᾶ παρθενω αὐτικα φασσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκευθω καθελων. τηνει γαρ ἐφισδει.

Nec longius in sequentibus a suo archetypo recedit Virgilius: quos enim ad antecedentia Damoetae verba Menalcas refert versiculi:

Quod potui, puero, sylvestri ex arbore lecta
Aurora mala decem misi, cras altera mittam.

translati sunt ex Theocriti Idyll. III. v. 10.

Ηνι δε τοι δεκα μαλα φερω τινῶδε καθεῖλον,
Ὡμ ἐκελεν καθελεῖν τυ, και αὐριον ἀλλα τοι οἰσῶ.

Hactenus utriusque secuti vestigia, quid in amoebaeo hoc carmine alter sit ab altero mutuatus breviter indicavimus: restat, ut verbo etiam aperiamus, quomodo lectus judex suas utrobique partes egerit. Theocritum, cum in V. tum VIII. Idyllio, ex quo utroque fonte suum hortulum irrigavit Virgilius, judicem finxisse non aequissimum dixeris forte: illic enim dictatoria gravitate primas defert Comatae:

Παυσασθαι κελομαι τον ποιμενα. Τιν δε κομαται
Δωρεῖται Μορσων ταν ἀμνιδα.

Atque hic Daphnidem victorem pronunciat:

Λασδεο τας συριγγας ἐνικησας γαρ ἀνειδων.

quum tamen modesto carminis aestimatori & judici anceps videri potuisset causa. Ea utique prudentia pronunciavit Palaemon Virgilianus sententiam, ut cum cantandi peritia alter alterum aequipararet; nihil de victoria statuerit, contentus dixisse:

Et vitula tu dignus & hic — §. 6.

§. 6.

Lustravimus hactenus cursim & breviter quasdam Virgilianas Eclogas prae se ferentes Theocriticae imitationis indicia; nunc ergo ad finem demum properantes quosdam alios ex Siculis lectos hortis, passimque per bucolicum Mantuani opus dispersos, flores monstrabimus tantum. Rusticae similitudinis, Ecl. V. 32.

Vitis ut arboribus decus est, ut vitibus uvae
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. — — —

Hujus, inquam, similitudinis ἀρχέτυπον quis non agnoscat in his Theocriti versibus Idyll. VIII. 84.

Τα δρυι ται βαλανοι κοσμος, τᾶ μαλιδι μαλα,
Τᾶ βοι δ' ὁ μοσχος, τω βωκολω αἱ βοες αὐται.

Atque alia ibidem e re rustica deducta similitudo Ecl. VII. 51:

Hic tantum boreae curamus frigora quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

luculentum praebet exemplum insignis, quo excelluit Virgilius, variationis artificii: non enim nos quidem dubitamus, quin ad hoc exemplar respexerit Idyll. IX. 13. 21.

Τȣ δε θερευς φρυγοντος εγω τοσσον μελεδαινω
Οσσον ερων το πατρος μυθων και ματρος ακȣειν
— — εχω δε τοι ȣδ' οσον ωραν
Χειματος, ἡ νωδος καρυων, αμυλοιο παροντος.

Cujusmodi ingeniosam variandi solertiam produnt etiam, qui modo allatos ex Ecl. VII. excipiunt, versiculi:

Stant & juniperi & castaneae hirsutae
Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma.
Omnia nunc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina sicca.

Hujus enim delineationi ὑπερβολης ansam dedisse videtur Theocritus Idyll. VIII. 41.

Παντᾶ ἐαρ, παντᾶ δε νομοι, παντᾶ δε γαλακτος
Ουτατα πληθȣσιν, και τα νεα τρεφεται,
Ενθ' ἁ καλα παῖς επινισσεται· αἰδ' αν αφερπη
Χω ποιμαν ξηρος τηνοθι, χαι βοτναι.

Quin etiam imago illa, quae asperitatem amoris contuendam exhibet Ecl. IIX. 43.

Nunc scio quid sit amor: duris in cautibus illum
Ismarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec nostri generis puerum nec sanguinis edunt,

effiсta ex hoc prototypo videtur Idyll. III. 15.

Νῦν ἔγνων τον ἔρατα, βαρυς Θεος ἦρα λεαινας
Μασδον εϑελαξε, δρυμῷ τε μιν ετραψε ματηρ.

Nec in fictis hisce Galli verbis Ecl. X. 65.

Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae;
Nec si, quum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus oves subsidere cancri.

Occultior est Theocriti imitatio Idyll. VII. 3.

Ειης δ' Ηδωνῶν μεν ἐν ὤρεσι χειματι μεσσω.
Εβρον παρ ποταμον πεπραμενος, εγγυϑεν ἀρκτω
Εν δε ϑερει πυματοισι παρ Αιϑιοπέσσι νομευοις.

Pressius vero haec Ecl. 20.

Tityre! dum redeo brevis est via, pasce capellas:
Et potum pastas age, Tityre, & inter agendum
Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

suum exemplar sequuntur Idyll. III. 3.

Τι τυρ ἐμιν το καλὸν πεφιλαμενε, βοσκε τας
αιγας
Και ποτι ταν κραναν ἀγε, τιτυρε, και τον ἐνορχαν
Τον Λυβυκὸν κνακωνα φυλασσεο μη τὺ κορυψη.

Quomodo etiam sine ulla mutatione verba haec Siculi Id. VII. 37.

— — — Κἠμε λεγοντι
Παντες ἀοιδον ἀριςον ἔγω δε τις ἐ ταχυπειϑης.

transtulit Virgilius Ecl. IX. 33.

— — Me quoque dicunt
Vatem pastores: Sed non ego credulus illis.

Et dum hic denique Ecl. VII. 7. vocat caprum virum gregis, istam tueri potest ακυρολογίαν Theocriti exemplo, qui Idyll. VIII. 49. dicit:

Ω τραγε τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἀνερ - -

Plura quidem festivitatis plenissimos vates inter se contendentibus nobis occurerunt notatu non omnino indigna, sed non placet esse longioribus: imprimis cum vel ex illis, quae adducta sunt, existimandi copia detur quam scite & considerate Virgilius affinxerit siculas veneres, verba nonnunquam in eum, in quem dicta sunt, modum vertendo, atque alias sententias in eam formam & habitum mutando, quem vel argumenti varietas, vel naturalis linguae decor & genius exegisse videbatur: adeo ut, cum peregrinum sequatur ducem, ubique tamen, quasi domi nata essent omnia nativa fulgens gratia & dulcedine tot seculorum adplausum promeruerit.

MUSEUM
CRITICUM
CONTINENS PRAESERTIM
VARIAS
LECTIONES
OBSERVATIONES ET DISSERTATIONES
AD
AUCTORES VETERES GRAECOS ET LATINOS

Voluminis primi Fasciculus quartus.

COLLEGIT ET EDIDIT
D. FERDINANDUS STOSCH.

LEMGOVIAE,
in Officina Meyeriana MDCCLXXV.

VIRO

NOBILISSIMO, JURE CONSULTISSIMO
ET CELEBERRIMO

PETRO BONDAM

J. V. D. ET IN ACADEMIA ULTRA-
JECTINA ANTECESSORI

VIRO

TUM DE JURISPRUDENTIA, TUM DE
OPTIMIS LITERIS LONGE MERI-
TISSIMO

EX

ADFINITATE COGNATO COLENDO SEMPER
ET CULTO

QUARTUM HUNC

MUSEI CRITICI FASCICULUM

VETERI FORMULA

D. D. D.

OPUS VELUMQUE HOC ET SEMET
IPSUM

CNMMENDAT ENIXISSIME

FERDINANDUS STOSCH.



XVIII.

LECTIONES VARIANTES ET NOTAE

INEDITAE

HADR. BEVERLANDI

AD

MARTIALIS EPIGRAMMATA.

LIB. VII.

Epigr. I, 2. quem. *quo.* ira deae. *comae* V & F. f. *umbra.* capilitium ipſum. Mart. VIII, 55: Aurea lunatae cum ſtetit umbra jubae. umbra hic eſt ſilva. aliter Gronovius, quem vide.

II, 3. Aetolae. *aetholias.* 7. merere. *merge* V.
V, 3. abest. *adest* V.
VI, 2. calens. *carens* V. 3. *fractoque* F. *improbus* F. 10. an Tigris. nomina athletarum. vide Salmas. ad Solinum.
VII, 9. levioraque carmina. *leviori carmine* V. 10. Sit. *Et* V.
VIII, 1. *Cascellius.*
IX. In Olum *fugitivum.* 1. Oros. *Orus* F. Linus. *Pinus* V. 2. faciat. *faciant* Fl.
XI, 9. innocuis verbis, hoc juro. *innocui, scis hoc bone, juro.* ita Th. & Fl. 10. *Castaliumque* Th. V. & Fl.
XII, 1. collibus. *solibus* F.
XIII, 5. meo. *modo.* 7. nec. *neque* F. amoribus. *moribus* V.
XIV, 2. fugit ad. *fugitat.* 4. tam. *jam.* 5. Argine. *Argynne* F.
XV, 1. tantum. *solum.* 2. emis. *emes.*
XVI, 1. Ruris. *rudis* V. 5. nido. *modo* V. *uno* M. 8. Haec. *hoc* V. F.
XVIII, 2. Haec. *hoc.* 5. sed. *&.*
XIX, 8. dulci plac. *Buccis placentae* Fl. pro bucceis, i. e. frustulis. 11. pellis. *pelvis.* 13. furtis. *cunis* Fl. 18. esculenta. *tus.* praeda. *praedari* V. 19. vino. *mero* F. 20. Haec. *Hoc* V.
XX, 3. nullaque. *nulla est* V.
XXI, 2. favete. *favente.* 4. Baetis. *Baccus.*
XXII, 1. canenti. *tonantis.*
XXIII, 1. quae. *quid.* tentas. *temptas.*
XXIV. In malum poetam, *qui epigrammata sine turpibus scribit.*

XXV,

XXV, 3. *ipsa est.* 8. *nec ipso.* 9. cupis. *voles.*
XXVI, 2. Jam piger. *Impiger Aetoliae*, V. F. 5. *madido laeti.* 7. coquus. *focus.*
XXVII, 3. Tarteſſiacis. *Tarpeſiacis*, V. F. 4. muſta. *vina* V.
XXVIII, 2. orbe. *urbe.* 6. pauca. *parva.*
XXIX, 12. Id tota. *In tota.*
XXXI, 4. ſecreta. *ſacrata* V. ſophos, *choros* F. 9. Vara, nec injecto. *Varra nec in lentō* V.
XXXII, 3. Dejecto. *Neglecto.*
XXXIII, 3. fecerit. *geſſerit* V. 4. cito. *ſcito.* 6. de malignis. *da malignus* F. 8. Ut quid tu. *Quid te tot* F. 9. *Neronianis.*
XXXV, 2. villa. *nulla F.*
XXXVI, 6. flaret madida. *media.* Aeolo & *os dilatatum* tribuit Arnob L. II. ubi perperam Salmaſ. ad Solin. p. 194.
XXXVII, 4. timor. *minor* V. F.
XXXIX, 2. utrumque. *utroque* F. V. 4. umbra. *ambo* T. F. & V. 6. vidit. *vixit* T. F.
XLIII, 4. es, &. *& non* F. fata. *facta* F.
XLIV, 1. potens. *proximus.* 2. Caro. *Claro.*
XLV, 6. pexa. *Priſce*, MS. *plena*, Voſſ. Plena interpretatur J. Voſſius non ornata & polita inſtar elegorum ſonantium, ſed craſſa & pinguia & incondita, magni attamen ponderis. Graecis *βλεννοι*, *πλεννοι*, *φλεννοι*, bleni, pleni, fleni. *fleni* ingenio Sueton. Domit. pro pingui. (Vix alium puto locum Suetonii reſpici, quam Domit. c. 20: *edicta alieno formabat ingenio*, ubi libros MSS. legere

Alpheno vel *Alfeno*, viri docti obſervant. Sed undenam habuerit Beverlandus inauditum vocabulum *fleni*, vel *fleno*, nunc non exquiro. W.) *pleni dentes* Plauto pro ſtupidis. Qui pituita & mucco redundant, pleni dicuntur, & tales pro ſtupidis habentur.

L, 3. *quaeris* F. *quaeres* V. 5. limatus. *lunatus* V. 11. Hunc. *Nunc.*

LI, 5. tanti. *tanto* T. F. *tanta* V. 6. *auditores.*

LV, 1. tua. *pia.*

LXII, 1. moritura. *peritura.* 5. cothurnati. *coronati* V. Martialis: *Rara coronato plauſere theatra Menandro.* Vetus Inſcript. Inter poetas latinos coronatus, & alia apud Goltz. 14: coronatus contra omnes ſcaenicos. 12. foro. *thoro.*

LXIII, 2. poſthaec. *demum.* 9. Siculis. *Siculum* T. *ſagulis* V. F.

LXVIII, 2. voce. *rore.* 5. iſtas miſeris. *has emiſeris* V. 6. Tam. *Jam.* 9. laudarit. *laudabat.*

LXXI, 3. leves. *breves.* 6. Seu. *Sed.* 10. Unctae. *Nuncta te* F.

LXXIII, 1. Cyllenes. *Myllenes.* 7. diem. *dicet* V. Caro. *Carpo* V. 8. quo coiere toris. *quod coluere choris* F. V.

LXXVII, 1. ſaxetani. *Sexi.* Strabo III, 105. ἔθνικον Sexitanus. Athen. 3, 20.

LXXXV, 8. levis. *tenuis* F. 9. quae neg. *neque.*

LXXXVI, 1. lagopode. *lagalopece.* G. Voſſ. do

de arte Gramm. P. 2. p. 128. Ita apud Catullum chenalopex, cercalopex, & apud Feſtum Cercalopex, ubi male Scaliger. 5. ichneumon. *iſchemon* M. *icaneumo* F. *ichemon* V. 7. Glacilla. *Gadilla.* 8. Luſciniae. *Luſcinio* F. 9. Labycae. *Labyrte* V. *Labytae* F.

LXXXVII, 7. Hiſpano. *nus.* 8. Hybla meas. *Hibleas.* 9. blandae murmure. *magnae munere.*

LXXXIX, 3. Calvinus. *Calvianus* Th. 4. Critice. *Cretice* F.

XCI, 1. ſcis. *tibi.* 4. ſed. *&.* 10. ne. *nec.*

XCII, 1. *circuit amnis Candidus* V.

XCIII. De Papilo. *Pamphilo.* 1. onyx parva. Sic Plin. 37, 6.

XCIV, 8. rudis. *nudis.* (perperam) 12. forcipibus. *forficibus* F. 13. Cinyphio. *Cynaphio* F. Cilix. *Cylex* F. lege *Chalybs.* Quid Cilici tonſori cum hirco Cinyphio? Non magis veriſimile eſt, Cinyphios tonſores ſuos e Cilicia petiiſſe, quam Cilicas e Cinyphiis. Bene itaque: *Tonſor Cinyphio Chalybs marito.* Chalybs pro omni eo, qui ferrum tractat, quemadmodum & apud Catullum de coma Beren. 15. Vid. J. Voſſ. ad Catulli Attin. p. 172.

XCV, 3. trieteride. *trientide* F. 7. ſerior. *ſerius* F. V.

XCVI, 4. vel. *&* F. V. 5. mille. *nulla* F. 7. pro-

proximusque — legit. 9. mihi nominis. *tibi numinis* F. 11. *sonabunt* V.

XCVIII, 3. legentur. *leguntur* Th. *legantur in auram* F.

LIB. VIII.

Epist. ad Domit. Caes. 6. quam quidem. *quoniam quid.* 13. religionis. *religiosa* V. Fl. lustratus. *lustratos.* 14. limine. *omine.*

II, 7. quater. *pater.*

III, 1. vel sex. *nam s.* T. V. 2. Et. *Est.* 5. jacebunt. *latebunt.* 6. erunt. *erit* Fl. 13. An juvat. *Annuat.* transferre. *transire.* 14. paribus. *patribus* F. 20. vita. *aucta* V. 21. videaris. *studearis* T.

IV, 1. conventus. *concentus.* 3. Nam non. *Nec sunt.*

VI, 1. odiosius Eucti. *studiosius illo* Fl. 3. stemmata. *stegmata* V. 4. mucida. *mucina* T. 7. Rhaetus. *Rhoecus.* 10. columba. *columna.* 12. & bibit ipse merum. *vividiusque merum* Fl. Th. 16. cyathis. *calathis* F.

VII, 2. Cinna, tacere potes. *dicere Cinna potest* V. & Fl.

VIII, 2. revoces. *renoves.* longa. *multa* Fl. 3. thura rogent. *turba roget* Fl.

XI, 6 sensit. *sentit.*

XV, 1. narratur. *numeratur.* gloria. *roriga* MS. Pal. 4. ditant Latias. *litant Latiae* F. V. 5. *memoravit* 6 *erat.*

XVI, 5. farinam. *rapinam* V. F.

XVII,

XVII, 2. quot. *quod.* quid est. *quidem.* 3. prodita. *perdita.*

XVIII, 6. posset. *nosset.*

XX, 2. atque. *immo sapis.*

XXI, 10. Ausonium ducem. *Ausoniam lucem* Fl. Luna. *Roma* Th. 11. sint. *stent.*

XXVI, 1. arvis. *armis.* 5. Vicit, id est vixit: itaque Bacchus hic dicitur victor, quoniam voluptarie vivere id demum est vivere. Manil. & vivere victor, vel vector apud Apul. l. 1. convector. (Haec sunt nullius pretii. & nunc non erat his locus. W.)

XXVIII, 5. Tartessiacus. *Tarpesiacus* F. V. 7. An tua. *At.* 12. albet. *alget* V. 21. Trita. *Cum pal.*

XXX, 8. laxos. *lassos.* XXXI, 3. libellis. *tabellis.*

XXXII, 3. Luserat hoc casus. *occasus. Casus hic luxus erat* Fl. Lege *Casu hic lusus erat.* 4. sibi. *diu.*

XXXIII, 6. fulcro quod. *puero quam* F. V. 10. fuso. *fusca.* 11. Hoc linitur sputo Jani. *Hoc leniturus eram puto jam* V. F. 12. asse cliens. *axe dies* F. 15. discursat. *discurrit* Th. Fl. 17. creta. *cartha* F. V. 19. intortos. *& tort.* 20. spuma Batava. *spumaque flava* F. 22. lunata. *limata.*

XXXIV, 2. Erat argenti adulterator, adeoque archetypa erant nulla.

XXXVI, 3. Mareoticus. *mare auleoticus* F. 6. Thessalicum. *Thessala cum* V.

XXXVII, 4. crede. *redde.*

XXXVIII, 1. Qui. *Quid.* 4. At. *Aut.* 15. dum manebit. *redonabit.*

XXXIX, 1. Quique Palatinae F.

XL, 6. hoc. *haec.*

XLIII, 3. committe. *mittit* F.

XLIV, 14. Fartus. *Fractus.*

XLVIII, 5. saturatas. *scutulatas.*

XLIX, 1. plane. *sane* Th. V.

L, 10. recta. *coena.*

LI, 6. pustula. *sportula* V. F. 17. digno. *dignum* F.

LII, 4. in genas. *ad gen.* V. F. 9. epaphaeresim. *aplopheresin* Th.

LIV, 4. Propter te populus. *Et propter te populos.*

LV, 8. Nomas. *comas* F. V. 9. spargit honorem. fulgorem & *αἴγλην* collis leonum tribuit Oppianus, quem male correxit Rutgersius. (Respicit Oppiani lib. 3. Cyneg. v. 37.) 10. unda. *umbra* Th. V. & Fl. & recte. vide Ep. 1. lib. 7.

LVI, 3. abesse. *deesse.* 23. ero. *ego.*

LVII, 1. exspuit. *expulit.* LVIII, 2. meo. *meum.*

LIX, 4. piceata. *piperata* Th. recte: piper enim est nigrum. vide fabulam Autolyci apud Mythographos. 5. vitare. *servare.* 8. tepido. *trepido.*

LXI, 8. imprecabor. *imprecemur.* liventi. *Carino* F. V. 9. mulas. *multas, ut* F. Carinum

num tanquam miserum hominem irridet, tanquam qui non invidenda invideat.

LXIV, 4. habes. *haberi.* 5. levior. *laevior.* 18. nec. *jam* V. F.

LXV, 3. formosus. *famosus.* 4. ore. *orbe* F. 8. edomitis. *& domitis.* 9. frequenter. *frequentem.*

LXVI, 2. nostro. *vestro.*

LXVII, 3. raucae. *paucae.* 4. lasset. *laxet.* 7. sed nondum. *nondum mihi.*

LXVIII, 1. Qui. *Quisquis* V. F. 7. sic per. *supra* F. V.

LXX, 6. Contentus. *Contenta est.* 8. nota. *nostra.*

LXXI, 10. acu levius vix. *aculeolos in* V.

LXXII, 3. Artanum. *Archanum* V. F. 4. redire. *ridere* V.

LXXIII. *De se & aliis poetis. De Corinna.* 1. Instanti. *Statori.* 2. nivea. *vera.* 5. lascive. *lasciva.* 9. *spernat.* 10. erit. *erat.*

LXXIV, 1. ophtalmicus ante. *optomicus olim* V. F.

LXXV, 7. lacernam. *laternam*, aut *lucernam* Rob. Titius. adde L. 14. ep. 61. 62. *Lucernam* habent Fl. V. & C.

LXXVII, 4. caput. *comae.* 8. Longior. *Largior.*

LXXVIII, 2. pompa Lyaee. *Pompiliane.* 13. terdenaque. *aeternaque* V. F. 16. habet. *amet* F.

LXXIX, 2. foediores. *foedior es* F.

LXXX,

LXXX, 6. numen. *nomen.* 7. revocas. *renovas.*

LXXXII, 2. qui dom. *pro dom.* V. F.

LIB. IX.

I, 1. Non te celabis. *Non te licet nobis* Fl. 3. tibi. *&.*

II, 2. commodabit. *commendavit* F. 3. famuli. *Fauni* V. F. afferet. *adferunt* V. F. 7. divae. *dives.* Juliae. *Julium* V. F.

VII, 4. avari. *aut vir.* XVII, 5. munere. *nomine.*

XVIII, 3. dominorum voce. *domi rata vota* Th. *domino sua vota* V. 6. tota. *tuta.*

XX, 2. Sabelle. *Fabelle.*

XXI, 3. quae tantis. *o quantis.* 9. protexit. *porrexit.*

XXIII, 5. Mauri. *Magni.* XXVI, 6. tegam. *petat.*

XXVII, 2. Pallia. *pallida.* 8. metuat. *metuit* Th. *meruit* V.

XXIX, 5. nostro. *verso* V. lege *vestro.* 8. suspicit. *inspicit.*

XXX, 7. cirrata. *curiata.* 9. deducere rhombo. *deducet ab orbe* V.

XXXII, 1. Arctois. *Archadis.* 2. Vibius. *Velius.* 9. caesa. *Caesar.*

XXXV, 2. Dum. *Cum.* 7. nobis. *uberis.*

XXXVI, 2. sed. *&.* 5. Cattis. *chartis* T. *carthis* V. 7. Phario madeat. *pario mandat.* Pharium Jovem Nilum interpretatur Gevartius, utpote qui *Deus* Heliodoro

l. 9.

l. 9. & *Sacer* Papinio dicitur. *imbrifer* Nilus Mart. I, 62. Sic & Lucan. l. 8. & Claud. Ep. 4. de Nilo.

XXXVII, 8. negat. *vetat.*

XXXIX, 1. ludas. *laudes.* 4. clune. *crine.*

XLV, 6. Λυσιππȣ. *Lysippum.*

XLVII, 1. Gellius. *Selius.* 4. tamen. *tantum.*

XLVIII, 4. mento. *sane* Th. *tamen* V. Ex vetustissimo Vaticano C. *sane* legit N. Heinsius *Samia*, intelligitque de Pythagorae barba, quae ob densam longitudinem in proverbium apud Graecos abierat. 5. quid. *quod.* 6. molli. *mobili rigidam.* 8. praecidi. *percidi.*

XLIX. In Gallicum. *Ad Garricum.* 1. Gallice. *Garrice.* 8. Ructat. *ruptat.*

LI, 3. bis denis. *bissenis.* 5. Lagona. *Langona.* Ciceroni ad Atticum Lagunculi. Statius: Molles Cajuli Lagunculique.

LIV, 3. jubemus. *volenti* Th. *volemus* V.

LV, 3. vadis. *levis.* 5. solenne tibi. *solemnati,* 10. in astra. *ad* Th. V.

LVII, 7. ense. *basta.* 8. dum. *cum.*

LX, 13. vitro. *nitro* V. ita Salm. p. 204. 19. veros. *que viro.* Ad 11. an olerent. Veteres solitos τῃ ὀσφρασιᾳ δοκιμαζειν τα νομισματα, docet Arrianus p. 79. ad Epictetum.

LXX, 9. Vicini. *Vicino.* 11. quantum. *tantum.*

LXXIII, 2. posuere. *coire.* LXXV, 2. Solum est planta pedis, κάσσυμα Gloss. p. 272.

LXXVI.

LXXVI. De effigie Camoni. *De Gamonio puero* Th. 1. *Gamoni.* 2. manet. *manus.*

LXXVII, 8. Synnas. *Sumas.* Nomas. *novias* V. 9. fonte. *fronte.*

LXXVIII, 9. sola tamen. *sublatum* V.

LXXXI, 1. minorem. *priorem.* 3. tuorum *est.*

LXXXIV. In Cinnam. *Ad Munnam* Th. 1. Cinna. *Munna* Th. *Numa* V. 5. Bisque tuum. *Bis quantum.* 6. Cinna. *Munna* Th. *Numa* V.

LXXXVI, 5. raptum. *miles. Moesus.*

LXXXVII, 1. Paullus Atili. *Paule Satili.*

XCVI, 1. Santonica. *Sardonica* T. V.

CI, 3. Tolosae. *jocosae.* 4. amica. *alumna.*

CII, 3. emptor. *tempto* habent C. V. lege itaque *mitteret empto.* Propert. l. IV, El. V. Venerem promiseris empto.

CIV, 7. undis. *astris.* 19. Parthos. *partos* Gevartius: nam Domitiano cum Parthis nulla bella, sed arcta amicitia. Scriverius mavult *recusatos parcus.* lege *parcus.*

CVI, 2. cycno nupta Lacaena alio. *alio nuda Lacaena cygno.* 3. Asillo. *Asilo.*

LIB. X.

II, 11. nec praesunt. *at prosunt* Th.

III, 3. nolit emta ramento. *noli temtare mento.*

IV, 3. Attis Salmas. ad Solin. 51. in inscript. Goltz. p. 177. Atthis. 12. Nec te scire legas *αἰτιας.* *Necte sacrilege Sextia.*

V, 3. & clivos, scil. Aricinos l. 2. 19. 5. buccas. *bacas.* 6. december longus. miser

&

& taediosus, quem triste frigus extendat. Juvenalem hac ratione emendat J. Vossius in Catullum: *Quae nudis longum ostendit cervicibus annum.* *annum* reposuit, ubi *aurum* vulgo legebatur. Mulier ista quaerit, num rectius factura sit, si caupone relicto nubat negotiatori sagario, qui nempe frigus arceat. 10. venerint horae. *neverint Horae.*

VI, 1. urna. *una.* VII, 6. aureus. *aureis* legendum. cornua quippe aurea fluminibus attribui notius est, quam ut commendatione egeat.

X, 1. fascibus. *fastibus intrat.* 4. Qui de plebe. *Quid ephoebe.* 11. clienti. *clientem.*

XI, 6. *ut multum* parenthesi includendum, ut sint verba Martialis, irridentis exiguitatem muneris. Male hunc locum accipit Salmasius in not. ad Hist. Aug. quod & in pejus retractat in notis ad Solinum p. 391.

XIII, 1. cathedralicios. *cotathedratos.* *cathedrator* V. rheda. *praeda.* 2. sudet. *sedet.* 3. non unas cingant. *Nolanas pingat.* 10. male. *bene* V. Tucca. *Cotta* Th. & praemissus titulus: *Ad Cottam* Th.

XIV, 9. quo. *quod.*

XVI, 3. Callaicis. *Caldeis.*

XVIII, 2. credere. *reddere.* 4. Heu quam perfatuae. *Heu heri quam fatuae* Th. *Heu mihi q. f.* V.

XIX, 15. studet. *vacat.* 19. dum. *cum.*

XXIII,

XXIII, 3. totos. *tutus.* 5. *gravisve.*

XXIV, 11. tempora. *nec horam.*

XXV, 6. non facio. Alludit ad formulam Christianis usitatam. Illi quippe in ipsis tormentis dicere solebant: *Non facio.* Homerus similiter λαΐνεον χιτῶνα.

XXVI, 1. Latia vite. *Latio vecte.* 5. frigentia. *fulgentia.*

XXVIII, 4. terebat. *tenebat.*

XXX, 7. Antiumve. *Autumique.* 15. Multa. *Mota.* 16. seta. *suetam.* 23. Nomenculator. *nomendatori.* 26. Quot. *Quin.* 28. vinitores. *janitores.*

XXXI, 1. Addixti. *Abdisti* V. 6. voras. *cenas* V. *comes* M.

XXXIII, 6. livor dixerit. *lector dixeris.* 7. scribere. *stringere.*

XXXV, 8. pios. *probos.* Ad 11. Quidam addunt versum istum, *Nullam dixerit esse nequiorem.* Recte, nam nequitia & lascivia quoque licita inter conjuges: non vero impudicitia. Ita l. XI, 105. lascivam volebat Thaida, uxorem scilicet sibi: non impudicum scortum aliis. Sic Laodamia apud Statium *lasciva*, & Propertium *jucunda.* Adde Scaligerum in Ep. & Heraldum in apolog. Tertulliani. 13. crediderim. *credimus.* 14. condiscipula. *cum discipula.* 17. Phaon. *Pean.*

XXXVI, 1. cogunt. *colant.* legendum *colant.* Casei coguntur, unde massa coacta foco.

6. Setia

6. Setia cara. *tecta carina.* 8. puto caussa tibi est. *est causa puto.*

XXXVII, 4. si quid. *ecquid.* 13. Hic olidam. *Colchidicam.* 18. marte. *matre.* 20. si quid *ecquid.*

XXXIX, 1. quid. *quod.* 3. narrant. *narres.*

XLII Dindymum. *Didmum.* 5. impressi. *impensi.*

XLV, 1. lene. *pene.*

XLVII. Ad Julium Martialem Filium.

XLVIII, 1. sua turba. *natura.* 9. sedens. *recens.* sectile. *tonsile* Th. 10. deest ructatrix. *destupratrix* V. 11. rutatos. *ructatos.* 12. thynni. *tenui* V. 13. Parvus in his. *Gustus in his.* 17. perna. *cena.* 23. Prasino. *parrasino.*

XLIX, 1. *amethystino* legit Salmas. ad Solin. p. 290.

L, 2. saeva. *reseca.* 3. & iniquis. *det iniquis.* 4. Mitte coronatas. *Mutet honoratas.* 8. Cur fuit. *Cui fuit.*

LI, 5. qualem Ravennam. *quales Ravennae.* 10. maris. *rates.* 12. juncta. *victa.*

LII, 1. *Thelinus deerat in loco spadonem* V.

LIII, 3. Lachesis. *laceris.*

LVI, 4. uris, Higine. *oris Yene.* 6. servorum. *Saxonum.* heros. *hero.*

LIX, 6. sine pane satur. *pene.* ita Cod. pro cauda sive fine. hinc offa penita apud Festum & alios.

LXII, 8. Scuticaque. *Cirrata.* Pellis cirrata loris horridis, Graeci σκυτάλην & πλό-

κάμον appellant. Scythae. Graeci Scythis utebantur carnificibus & lictoribus. passim apud Aristophanem, Pollucem & Theogn. Hyginus tradit Marsyam ab Apolline Scythae traditum, qui eum flagellaret pelle loris cirrata. Flagella e loris vel anguinis exuviis fiebant. cirrus pro flagello apud Sueton. in Nerone. contexebantur etiam e crinibus. Mart. l. II. de Lalage, quae comotriam suam Plecusam istiusmodi flagello ad animi pene deliquium caedit, quod in uno comarum peccasset annulo. J. Voss. (ad Catull. p. 224.) 9. Marsyas. Vide Hyginum. Marsyas traditus fuit Scythae, qui eum flagris conficeret, utpote carnifex & lictor. Causa quam ob rem ab aliis excoriatus, ab aliis flagris caesus fuisse dicatur Marsyas, haec est, quod δεῖρα utrumque significat. Vide Pollucem p. 148, & Hesychium in σκολλις.

LXVI, 3. culina. *coquina* MSS. & ita legendum. Nonium vide in coquina. Errat Mercerus, cum novum hoc esse putet vocabulum.

LXXIII, 2. severa. *serena.*

LXXIV, 6. afferat. *auferat.*

LXXVI, 4. Remi. *tenui.* 8. *Naevius.* 9. Cocco. *croceo.* Incitatus. *victatus.*

LXXVII, 3. saltem. *utinam.*

LXXVIII, 6. *remittet.* 12. Tagi. *Daci.* 16. sim. *sum.*

LXXIX,

LXXIX, 4. cucumam. *capanam.* lege *cumeram struxit.* ita Horat. l. I. Sat. I, 53. cumerae, *granaria* parva. cumerae sunt areae frumento servando factae. (Schol. Horat. l. c. sic describit: *Cumeram dicimus vas ingens vimineum, aut fictile, non absimile dolio, quinque vel sex modiorum, in quo reconditur & reponitur frumentum.* Confer Bentlejum ad alterum locum Horat. Epist. I, 7, 30. *W.*) redde hoc & Plinio in Paneg. *cumerarumque.* (Quo loco obtrusum Plinio hoc vocabulum velit Beverl. non intelligo. Fortasse aliquem eorum spectavit, quibus de aerario agit Plin. e. c. cap. 36, 3. 42, 1. *W.*) cucuma l. 1. D. ad l. Corn. de sicar. & Petron. cucumam ingentem foco apposuit. 7. vici. *unus.*

LXXX, 1. myrrhae. *Terae.* 6. Pars major. Lacrimas introrsus obortas Devorat, & clausum pectore vulnus habet. Ovid. 4. Fast. Seneca l. 3. controv.

LXXXIII, 7. Splendophorum. *Spendophorum.* Σπενδοφορος. Scriver. 8. Cidae stare putabis. *Cidesta reputabis bermorontem.*

LXXXV, 4. lacu. *gelu* V. 5. alta. *alto* Th. *alga* V.

LXXXVI, 3. primus. *plurimus* T. lusor. *lusus* V.

LXXXVII, 2. pia. *pila.* 13. Infamata. *Impraegnata.*

XCIII, 1. Helicaonis oras. *Heliconis in oras.*

 3. Per-

3. Perser. *Praefer.* 4. ſed modo ſuta. *ſi modo luta.* 6. mento. *merito.* Vide ad Solinum Salmaſ.

XCVI, 3. patriumque. *portumque.* 9. macellus. *macelli.*

XCVII, 3. pollinctore. *pollectore.* C. *Ad poetam imperitum* Th.

CI. *De Capitolino & Galba.*

CIII, 1. Bilbilis acri. *Bilbilitano.* 2. quos. *quem.* 7. meſſibus. *menſibus.*

CIV, 5. rota. *tota.* 8. ut. *ſcis.* 14. ſpatio. *precio.* ſalubri. Salmaſ. ad Solin. p. 988. ex epiſtolis Plinii. 16. tumidus. *timidos.*

LIB. XI.

I, 4. inevolutus. *irrevolutus.*

VI, 4. Craeſos. *croceos.*

XI, 2. Cur. *Cui.*

XV. *De colono ad haeredes* Th.

XVII, 3. Lampſacio. *laſſato.* 4. Terteſſiaca. *Tarpeſiaco.* 6. licet. *fecit.* 8. ſis Patavina licet. *ſi ſtata vina bibas.* vel bibes.

XIX, 9. coſti. *coſmi* Th. 10. jacere. *latere* V. 12. Erucam. *urticam.* 23. cochleam. *coclear.*

XXXII, 7. epidipnidas. *epidinnicas.*

XXXIII. In Neſtorem. Codex Th. pro *In* plerumque habet *Ad.* 5. Neſtor. *noſter.*

XXXV, 3. illi. *illic.*

XXXVIII, 3. tuis. *tuus.*

XL, 4. puncta. *juncta.* 10. abſtinet ira manum

num. *temperat ira tua.* 15. libertum. *liber tum* Th. 16. dicet. *decet.*

XLIII, 2. quid fieri. *quis flere.*

XLIV. *Ad ſenem orbum, de amicis* Th.

XLIX, 3. tumulique. *tumulive.*

LI, 1. ſancta. *ſicca.* 3. Arpino tandem ſuccurrit agello. *optatae ſuccurrere cenſuit umbrae.*

LIII, 9. Altera. *Alea* V. 10. maſſa recocta. *Maſſica cocta.* 15. coena. *menſa.* 18. Rura vel aeterno. *Ruraque Lucrino.*

LIV, 2. cur. *quam.* 3. matres. *matrem.* 4. Atthides. *Achides.*

LV, 4. de turpi. *de promto.*

LVII, 9. Lingonicis. *Leucocinicis.* 10. texta. *pexa.* 11. Caecuba miſcet. *pocula miſcens.*

LVIII, 3. vivit. *vino.*

LXX, 3. dextra. *Dextro* Th. 9. Fulmineo &c. Hic verſus extat quoque in Inſcrip. Gruteri.

LXXXV, 3. Alba. *Orba* V. pro orborum. vid. Auguſt. C. D. l. VII. c. 24. 6. dedolat. *dum dolat* V. 9. Scythica. *Stygia* V. tondere eſt radere, vellicare & lacerare. Prometheus mallet, ut vultur jecur ejus perpetuo tondeat, quam ſubire manus Antiochi raſoris. ita Virgil. de ea ave, immortale jecur tondens. ita apud Ciceronem in Arateis corvus roſtro tondet. Lucianus in Prometheo *δεσμώτῃ, ὅς μοι τὸ ἧπαρ κείρει.* 10. nudo. *duro.* paſcat. *poſcet.* 13. numeraſti. *numeratis* V. 14. vetuli picta. *vituli pyctae* Th.

XCI, 4. Lucili. *Lucilius.*
XCII, 7. ederunt. *laeserunt.*
XCIV, 2. hoc tibi. *& tibi.*
XCVIII, 10. afferet. *auferet.*
CVII, 1. vacabit hora. *vacas avere* Salmasius: *vacas ab aere* J. Vossius, qui rem acu tetigit. nam iste Albius Maximus praefectus erat aerarii.

LIB. XII.

Praef. 1. Scio. *Spero.* 2. quae. *quo.* 5. nisi. *non nisi.* 10. theatra, conventus, in quibus studere se voluptatibus. *convinctus omnibus studere se voluntates.* 11. reliquimus. *delinquimus.* 12. his. *his autem.* 17. praesto. *praestabo.* 20. aestimare. *existimare.* 21. decreveris. *decreveram.*
I, 4. tota. *cartha.*
III, 2. tu Romam nunc. *nunc Romam sed.* 4. quae. *quod.* 13. superbit. *superbus.* 14. ferunt. *ferant.* 16. ipse. *ista.*
IV, 1. Vario. *Varro.*
VIII, 8. Serum. *Syrorum.*
XII. In Postumum. *Ad Pollionem* Th. 2. Postume. *Pollio.*
XIV, 7. deerunt. *deerit.* praestent. *praestet.* 8. cadunt. *cadat.*
XVI. Lentinum. *Laetinum* Th. 1. Lentine. *Laetine.* 3. Gestatur tecum. *A te gestatur* V. pariter. *tecum.* 9. sic tam. *recubet.* tam belle. *cum tam bene.* 10. Dammam. *Damam.*

XVIII, 7. post. *per.* 11. Bothrodum. *Boterdum.* 18. Rupta. *Rapta.* e cath. *a cath.* 20. cultus. *fultus.*

XXI, 2. quis. *qui.* 7. cito ridebit. *Sicori debet.* id est debetur. Non Sicori, inquit, debetur gloria peregrini partus, ipse siquidem Sicoris non infitiabitur te ingenio & moribus Romanis praeditam, Romanam potius, quam Hispanam esse dicendam. J. Vossius. irrito itaque conatu frivolam suam emendationem adstruit Scaliger in Catull. LXII. 8. deceat quam. *dicet te*, J. Voss. & ita MS. 10. Romam. Cum jam in Hispania inter incultos barbaros experiretur municipalium rubiginem dentium, in unica sua uxore omnem suam voluptatem invenit, utpote quae Romanis moribus esset elegantissima & cultissima.

XXIV, 1. covine. *Coccinne.* 3. Heliani. *Adiani* V. 6. caballi. *caballo.* 8. mannuli. *mamulli.* 9. hic Avitus. *hinc amicus.*

XXV, 4. colliculis. *codiculis.* 5. Carus. *casus.*

XXXI, 7. reverso. *reversae.* 8. domos. *dapes.*

XXXII, 3. pro bima. *proxima.* 4. rufa. *rapta*, crinibus septem. sic supra de Vetustina, tres capilli quatuorque sunt dentes. senis crinibus apud Festum corruptum est. lege ex C. V. sine crinibus, & Hesychio in *γάμων ἔθη.* Vestales sine crinibus ornabantur, Plin. XVI, 44. crines ex Graeco *κρινεῖς* nunquam treciam

 signi-

ſignificant. Male itaque Scaliger & Salmaſ. ad Solin. p. 479. 9. Irus. *Ad rus*. 15. gerres. *grues*. 17. miſit. *vixit*, lege *viſit*. 21. matris *maris*. Ad 11. tripes grabatus. σκολυθριον, ſella tripes. Pollux. l. X, c. XI. χωλὸν κραββατιον Scholiaſt. Ariſtoph. in Nub. ſponda humilior. Σκιμπυς, ῥητορικον, κραββατος, κοινον. Th. Magiſter. Euſtath. Odyſſ. p. 1944. Pollux. X, 7 dubitat de hac voce, lege itaque Sozom. l. I, c. XI. adde Marc. c. 2.

XXXIV, 1. meſſes. *menſes*. 7. nigriorem. *nigricantem*.

XLV, 3. dixit. *duxit*. 4. Qui dixit. *Crudum*.

XLVIII, 1. ſi tanquam. *tanquam mihi*. 15. magiſter. *magiſtros* Th. & V. C.

XLIX, 13. uniones. *juniores*.

L, 1. *platanonas & aereas phyonas*. lege *pityonas*. 3. tua. *tibi*. 4. onyx. Salmaſ. in Solin. p. 560. onyx alabaſter, Plin. 36, 8. Lucan. totaque effuſus in aula Calcabatur onyx. adde Statium in Epithal. Stellae.

LII, 3. tuus. *jacet*. 6. Tyndaris. *Sintheſis*. 7. rediſti. *fuiſti*. 8. repetita. *derelicta*. 11. loca laeta. ex Virg. l. VI. *juga longa* V.

LIV, 1. Crine. *Fronte*, MS. ita in Priap. *fronte cruenti*.

LVI, 4. aegrota jam. *aegrotat da*. Σωτηρ Servator, cui ſacrificia σωτηρια ſolvebant

a

a morbo reſtituti. Lege Papinium ad Soteria Rutilii Gallici.

LVII, 10. fuſte. *non vecte.* 15. qui. *quis.* 17. luna *lana.* 19. Petilianis. *Pecunianis.* 23. curſus. *curris.* 27. eſt Roma. *Stroma.*

LIX, 9. Hinc deſioculus. *Deſiolculus hinc.*

LX, 3. pigebit. *pudebit.*

LXI, 4. ire. *ſorte.* 6. frigidiora. *frigidaque ora.* 7. tua. *ſua.*

LXII, 1. &. *ut.* vividum. *lividum.* 8. ebrium. *Servium* Th.

LXIII, 2. Sub quo. *Somno.* 11. Quam non, *Quanti.* 13. bis. *bis.* 15. tuo Decembri. *tuos Decembres.*

LXIV, 2. Hiſtra. *Luſtra.* 3. oves. *ſoles.*

LXVII, 4. latet. *licet.*

LXIX, 5. negavit. *negabas.*

LXXI, 6. biberet qui. *Tyberi quod* Fl. 9. diatheca. *diatreta.*

LXXIII, 2 compactae. *compoſitae.* 5. ptiſanamque. *tiſinamque.*

LXXV, 1. cataſtus. *cataplus* V. Vitruvius habet transmarinos *cataſtos*, catlaſtos ſive catlaſtros. catlaſter eſt catulaſter, Scaliger. Ad 3. audaces rectius dixeris, quod ob exiguum valorem audacter tractabantur, viles enim admodum fuiſſe, ex hoc loco apparet. Vide Salmaſ. ad Hiſt. Aug. qui tamen aeque ac Calderinus videtur neſciviſſe, quare audaces dicantur. Caeterum de more

frangendorum calicum vide Casaub. ad Athen.

LXXVII, 1. vigessis. *vicenis* Th. *vigetiis* V.

LXXVIII. De Aethone. *Ad Cethonem* Th. 3. Aethon. *Cethon.* 4. comites. *homines.* 9. Patroclianas. *quatridianas.* 10. que viciesque. *vigetiesque.*

LXXIX, 2. Histrio satur corporis sordes ante Jovis statuam deposuerat. Unde tam impudenti indicitur poena, ut de suo viveret scil. stercore. Huc refer proverbium *ipsa olera olla legit.* quod Catullus Mamurrae Carm. 95 applicavit.

LXXXIII, 3. enim. *ergo.*

LXXXIV, 3. trigonem. *trionem.* 6. erit. *era.* 11. tropin. *propin.* 12. tuae. *suae.*

XCII, 1. caro. *clare.* 3. undas. *umbras.*

XCVI, 5. doctis. *calabris* Th. 6. nova. *novem.* 9. fingere coepi. *pingere possis* V. 10. fama. *palma.*

C, 5. Instantius. *instantibus* V. 6. annus, *amnis.*

LIB. XIII.

I, 1. paenula. *pice nulla* Th. 5. talo. *telo.* 7. nuces. *nocet.* 8. nec. *non.*

II, 2. noluerit. *noluerat.* 5. quam. *sed.* 9. candidus. *conditus.* 10. venis. *venit.*

III, 7. Addita. *Cadit.*

IV, 1. Serus ut aetheria. *Sertis aetherii.* aula. *aulae* Th. *aura* V.

VI, 1. Nos. *Non.* 2. eme. *emas.*

XI,

XI, 1. taciturìs. *taciturnus.*
XV. acapna. *actua* Th. 2. Ad villam moneo. *Mane bis ad.*
XVII. Coliculi. *Fasciculi* Th. 2. Nitrata. *Vitiata.* fiat. *flatus.*
XXIV, 2. licet. *placent* Th. firmatur ea lectio ex Isidoro l. 17. c. 7. Origin.
XXVII. Spathalion caryotarum. *Petavirium cyriotarum.*
XXVIII. Coctana. *Vas cotanorum.*
XXIX. *Vas Damascenorum.*
XXX, 2. mille. *multa.*
XXX. *Pro jentaculo caseus Vestinus.* 1. jentacula frugi. *geniales fruges.* geniales epulae Claud. de raptu P. l. 2. 2. massa. *missa.*
XXXII. Velabrensis. *fumosus.* 2. ipse. *ille.*
XXXV, 2. datur. *cibat.*
XXXVI. *Cistella olivarum.*
XXXVIII, 1. quae nondum stantibus. *nondum gustantibus.* 2. *colustra.*
XXXIX, 2. Dat poenas. *Deponas.* jam tener. *sed tamen.*
XLI, 2. *Aetholio.*
XLII, 1. tuberes. *tibures.* apyrina. *aprina.*
XLIII, 1. apyrina. *arpinia.*
XLIV, 2. vivo. *niveo.*
XLVI. *Persica percocta.* 1. praecoqua. *persica.* 2. cara. *rara.*
XLVIII, 2. mittere. *nam mihi.*
LI. corona. *decuria.*
LIII, 2. perdere. *prodere.*
LVI, 1. de virgine. Virginaria vel virgina-

lis

lis Plinio, Celſus *ejectitiam* vocat. Graeci *μητραν ἐκβολαδα*. 2. gravi. *magis.*
LX, 1. in effoſſis. *inoffenſis.*
LXVIII, 1. Galbula. *Galbina.*
LXX, 2. dure. *clune.*
LXXI. Phoenicopterus. *Ptoricottori.*
LXXII, 1. Argiva. *Argoa* Th.
LXXIV, 1. Tarpeji. *Tarpeja.* 2. illa deus. *ille Deos.*
LXXV, 1. *Turbabit.* volabit. *ſonabit.*
LXXVI, 1. Ruſtica ſum. *Ruſticula, an* V. *ſi manſi* Th. 2. ſic. *ſi.*
LXXVII, 1. defecta. *defoeta.*
LXXVIII, 1. magni. *magnae.* gigantis. *cicada.*
LXXIX, 1. advecto. *Adriaco.*
LXXXIII, 1. Liris. *Tibris. Mariſcae.* 2. ſquillae. *Scyllae* V.
LXXXIV, 2. vile. *bile.*
LXXXV, 1. *Niliaci marcelli* Th. 2. eſt. *es.*
LXXXVIII, 1. Venetis. *variis* V.
LXXXIX, 1. Laneus Euganei. *Launius Euganius.*
XCII, 1. certet. *certum eſt.* 2. gloria. *mutea* Th. *beſtia* V.
XCIII, 2. *Aetolia.*
XCV, 2. oryx. *Erix.*
XCVI, 2. Silvia, certus. *Selvia certus.*
XCVII, 1. Cum. *Dum.* 2. hoc. *hic.* (Non animadvertunt interpretes, reſpici hoc verſu ad *Lali* vel *lalli* vocabulum, quo infantes appellant nutrices iisque

ſomnum

somnum inducunt. De quo Scaliger ad Auson. epist. 16. Sensus est: Hoc nomen lalisionis, sed breve, nempe lali, habet infans. Alias Martialis infantem dixisset pullum onagri, quod valde absurdum. W.)

XCIX, 1. Delicium. *Dulichium* V. 2. *turga rogis.*

C, 2. decipit. *despicit.*

CII. scombrorum. *sociorum.* 1. primo. *prono.* 2. faecosum. *fastosum* Th. V.

CIII. Vide epistol. Ausonii ad Paul.

CV, 1. *Siculis mediae.*

CIX, 1. mitis. *mittis.* 2. Juleo. *Juleto* Th.

CXII, 1. Pontinos. *Pompilios.* Setia. *vinea.*

CIII, 2. mulsum. *mustum.*

CXV, 1. coquuntur. *coluntur.*

CXVI. Vinum asperrimum maximeque Signinum. Cels. l. 4. c. 5. vinum signinum vel resinatum austerum, Id. l. 4. c. 19.

CXVII, 1. Mamertina. *Manestina.* 2. potest. *potes.*

CXVIII, 1. tantum. *solum.*

CXXI, 1. mittunt turbata. *mittas orbata.*

CXXIII. *Massilitanum* Th.

CXXVI, 1. nec. *vel.*

LIB. XIV.

I. APHORETA. 4. jam. *tam.* 13. Quoviscunque loco potes. *Quiscunque foco putet.*

VIII, 2. cupiant. *capiant.*

X, 1. puella. *pusilla.* 2. vacuas. Chartae majores sunt, quae vacua habent & larga marginalia: breviores, in quibus & ipse margo conscriptus erat. L. II, 1. consule Plin. XIII, 12.

XII, 1. Hos. *Non.* fulva. *flava* Th. 2. decet. *licet* Id.

XVI, 1. Quaerit. *Quae scit.* 2. facit. *feret.*

XVII, 2. Calculus est *κυβος* tessera, quam Lucilius calces vocat. (Fallitur Beverl.) Petron. *Calculus in tabula nobile ducit opus.* tabula autem alveolus dicitur Ciceroni atque Gellio, lib. I. c. 20.

XVIII, 2. abstulit. *obtulit.*

XIX. calamaria. *libraria.*

XXII, 2. Defuerit. *Desierit.*

XXIII, 1. prurigine. *porrigine.*

XXIV, 1. Taenia. *Tenuia.*

XXV, 1. inventura. *invenit ira.*

XXVI, 1. Caustica. *Cattica.* Cum Codex Mediolanensis sic habeat, atque sic quoque in MS. suo legerit Raderus, demirari satis nequeo, quod probam lectionem non retinuerit. Cattica spuma est Batava. L. VIII, 33.

XXVII. Mattiacae pilae. *Sapo.* Plin. XXVIII, c. 12.

XXIX, 2. Nam ventus. *mandatus* V. C. Salmasius legit *mantatur* ad Trebell. Pollion. p. 343. mantica. Mantatus quia ipse non indiget velis, facit ut populo negentur, hoc est non praebeantur, publice non obten-

obtendantur soli. Sic apud Livium Consul ei collum torsit, Consul eum securi percussit, pro fecit jussitque ut haec fierent. In Bucol. Quo te Moeri pedes aut quo via ducit. Etenim via se continuando facit, ut ducaris & quasi sequaris eam. J. F. Gronovius.

XXXII, 1. & grati nomen honoris. *gratique erit omen hon.*

XXXIV, 1. certa. *creta.* placidos. *proprios.*

XXXVII, Constrictos. *Selectos* Th.

XXXVIII, 2. tecta. *texa.*

XL. Candela. *Cicindela* V. vide Servium apud Salmas. p. 375. 1. lucernae. *lucernam.*

XLII. Isidorus Hispal. l. XX, c. 10:
Hic tibi nocturnos praestabo cereus ignes,
Subducta luce altera lux tibi sum.

XLV, 1. pluma. *plumba.*

XLVIII, 1. Antaei velox. *antituflox.*

LIII, 2. ille tibi. *illa dies.*

LVI. Dentifricia ex lentisco. (potius dentiscalpia. v. epigr. 22.) hinc σχινοτρώγες. vide Suidam.

LVII, 2. balano. βαλανῳ. Fit ex unguento & palmulis, ait Celsus l. 4. c. 9. legerat φοινικοβάλανον & interpretatur palmulas, quia φοῖνιξ palmam significat, cum potius ex φοινικοβαλάνῳ fieret μυροβάλανον. Plin. l. 12. c. 22.

LVII, 2. dicor &. *Graecis.*

LIX, 1. me. *te.* 2. Hinc vos. *quos milvos* Th.

LXI, 1. Dux. *Lux.*

LXIV,

LXIV, 1. nos. *non.* saepe monaulon. *sepon aulon* Th.

LXV, 2. proderis. *pes erit.* scil. παις. Martialis aetate παις & pes eodem sonabat modo. *ai* ut *e* pronunciabatur. Sic apud Aeoles & Spartanos πος & puerum & pedem significat.

LXVII. pavonina. *pavonum.*

LXX, 1. faciet. *fecit.*

LXXI. Muscarium. *Muscarum.* 2 hunc. *nunc.*

LXXIII, 1. discam. *disco.* Psittacus imitatrix ales, Ovid. l. II. El. 6. Am. & sic Mart. lem. 67. generis feminini est ales eximia. Varro lib. III. R. R.

LXXVIII, 1. narthecia. *narcithica.* 2. Pactius. *accius.*

LXXXII, 2. Sed pretium. *Otia sed.*

CX, 1. gemma, quae servat. *gemmatis fru- atque.*

CXIV, 1. Hanc. *Haec.* Cumano rubicundam. *Cumanae rubicunda.* testam. *testae.* 2. casta. *charta.*

CXV, 2. quoties. *faciens.*

CXVI. Lagena nivaria. *Lacona nivata* Th.

CXVII. Nives. *Idem.*

CXXI. Cochlearia. *Cochleare.*

CXXII, 2. comes. *comis.*

CXXV, 2. Attrita. *A. trita*, Salmas.

CXXVI, 2. togula. *coena.*

CXXVIII, 1. Santonico. *Santigo* Th.

CXXXI. coccineae. *coccinae.* 1. qui sumis. *quid sumes.*

CXXXII.

CXXXII. Pileus. *Teilleum* Th.
CXXXVI, 1. levia. *taenia.* 2. mei. *femet.*
CXXXVII. albaé. *albeticae* Th. 1. *Amphitheatrali.* ad usus. *ab usu.* 2. nostra lacerna togas. *alba lucerna comas.*
CXXXVIII. Gausapa villosa vel mantile. *Matele* Th.
CXXXIX. Liburnici. *Fiburnici.*
CXLII, 2. focale. *focelle.* afferat. *afferis.*
CXLIII, 1. cum sumant. *consumunt.*
CXLIV, 2. imbre. *umbra.*
CXLV, 2. messe. *veste.*
CXLVI, 1. Tinge. *Pinge.* nardi folio. *cosmi filo.*
CL. Cubicularia polymita. *Cubicula polemata* Th.
CLVII. Polentinae. *Pollinae* Th.
CLVIII, 1. apta. *neca* Th. l. *neta.*
CLIX. Tomentum Lingonicum. *Lumentum Leuconicon* Th. 2. Lingonicis. *Leuconiis.* Salmas. ad Solin. p. 398.
CLX, 2. Lingonico stramina. *Leuconico stramine.* emit. *erit.*
CLXII, 1. facilis. *fragilis.* pluma. *mula.* Salmas. p. 398 ad Solin.
CLXVII, 2. Exornent. *Exornet.* garrula. *candida.*
CLXVIII, 1. das. *da.*
CLXIX, 1. Garrulus. *Carrus* Th.
CLXX. victoriae. *aureum* Th.
CLXXI. Βρȣτȣ παιδίον. *Beotoviculopedion* Th. lege Βρȣτȣ κολοπαιδίον. Sic Bruti pusionem vocat. v. J. Voss. ad Catull. p. 229.

CLXXII. Saurocłonos Corinthius. *Sauroclonos coriantius* Th.

CLXXIII, 1. Flectit. *Flectite* Th.

CLXXVI, 1. Rufi. *Ruffi*. Josephus l. XIX antiqu. de Batavis Germanorum flore & satellitibus Caji. Homines robusti corporis hostium impetus excipere soliti, sed natura iracundi, quod plerumque, quid fiat, non intelligant. Per iram itaque sontes juxta atque insontes trucidarunt interfectores Caesaris. Silius: *Jam puer auricomo performidate Batavo.* Quia itaque erant homines quadrati & formidabiles, innocentes, vafriciei expertes, ideo tales pro corporis satellitibus habuere Principes. Lucanus *truces* vocat. Mart. L. 6. Ep. 82 dicit, omnes ejus laudare epigrammata praeterquam *aures Batavas*, id est, praeter homines quadratos, vafriciei expertes, & qui epigrammatum linguam & acumen exprobrationis sentire vix possunt ob candorem & ingenuam rusticitatem. Feros & immanes nautas *vastis moribus*.

CLXXXI, 1. Leander. *Leandros*.

CLXXXIII. *Batrahomachia*.

CLXXXIV. *Homerus in pugillaribus membranis*. 2. condita. *candida*. latent. *patent*.

CLXXXV, 2. nugis. *nucibus*.

CLXXXVII, 1. Haec. *Hac*. 2. vere. *verum* &.

CLXXXIX. *Monobiblos*.

CXCIII, 2. quem. *quam*.

CXCVI.

CXCVI. Calda & frigida aqua. *Calvi de aquae frigidae usu* Th. 1. fuerint caldarum nomina dicunt. *fontes & aquarum nomina dicit.* 2. *Mersa suas melius charta vocabit aquas.* Si mergas librum Calvi, recte vocabis aquas illas, quas describit, frigidas.

CC. vertagus. *verturacus* Th.

CCI, 1. qui vincit. *quod vincat.* qui succ. *quod s.* 2. Nihil hic Domitiani κλινοπάλη, ut notat Salmas. ad Solin. p. 290. sed male corrigit. Lege itaque ἐπιςιβόπαλιν.

CCIX, 2. arundo. *hirudo.*

CCXI. arietinum. *vervecinum* Th. 2. saepe, *saeve.*

CCXII. Pumilio. *Pumillus* Th.

CCXIV, 2. διδεξαπόθος. *δὶς ἐξαπατῶν.* Menandri fabula Δὶς ἐξαπατῶν citatur a Suida, v. Ζάκορος.

CCXVII, 1. es. *&.*

CCXIX. Corculum. *Corbulum.* Cor bubulum.

CCXX, 2. Namque. *Nolo* Th.

CCXXI, 1. Parva. *Rara.* curva. *curta* Heinsius.

CCXXIII. Jentacula. *Adipata* Th. 1. jentacula. *lecticula.*

J. C. W.

XIX.

JOANNIS FLODERI

PROFESSORIS REGII ET ORDINARII IN ACADEMIA UPSALIENSI

SPECIMEN

PHILOSOPHIAE HOMERICAE.

D. D.

§. 1.

Uti nullo defuerunt aevo, qui amoenissimo poeseos studio insultaverint, ita habuit vel maxime Homerus suos Zoilos, qui, ex tanti scriptorum vatis inepta laceratione defaecatioris captantes laudem judicii, non illa continere aliud dictitaverint, nisi aniles nugas, nihil reipublicae aut litterato orbi adferentes verae utilitatis, sed ab umbratico homine, suo abuti otio gestiente, dignas demum, quae pervolutentur. Si vero isti scioli modum in vituperatione excedunt, certe justae laudationis cancellos transgrediuntur illi, qui Homerum vocant προπατορα και ἀρχηγον πασης σοφιας & cum DIONYSIO HALICARNASSENSI a) dicere non

a) Epist. ad Pompejum.

non dubitant, *πασαν παιδειαν και τελευτωσαν φιλοσοφιαν* per illum eſſe in orbem invectam, in nullis non fabulis & narrationibus abſtruſum venantes ſenſum, vel hiſtoricum, vel phyſicum, vel theologicum aut moralem. Hoc utique nomine ſunt, qui dicam impingant HERACLITO b), quod paſſiim in Homericis fabulis ſe inveniſſe gloriatur latitantia phyſicae & aſtronomiae arcana. Nec omnium tulere puncta audaculi FRANCISCI BIANCHINI conatus, qui c), Homeri poemata ad hiſtoricam revocaturus veritatem, omni id ſtudio agit, ut oſtendat, Jovis nomine illic intelligi regem Aethiopum atque Aegypti, Junonem deſignare regnum Syriae, Neptunum Cariae, Apollinem Babyloniae, & ſic porro. Queis geminae ſunt GERHARDI CROESII molitiones, qui d) Ulyſſeos errores in Odyſſeae opere deſcriptos revocare nititur ad patriarcharum & Iſraelitarum caſus, quos, inde ab egreſſu Loti ex Sodomis ad obitum Moſis, pertulerunt; quae vero in Iliade adornatur, belli ſcenam ad iliaca moenia, poeticis coloribus depictam exhibere contendit oppugnationem Hierichuntis aliarumque Chananeae urbi-

b) Conf. lib. ejus, qui inſcribitur, *αλληγοριαι σοφωταται και εἰδικοταται εἰς τα τῃ Ὁμηρῳ περι Θεων εἰρημενα.*

c) Hiſt. univerſalis ex antiquis monumentis illuſtrata.

d) In Homero Hebraeo.

urbium Josuae ductu peractam. Hisce longius audacia progressus JACOBUS HUGO [e]) divino adflatu motum Maeonidem adseverat, praecinuisse in Iliade excidium Hierosolymitarum, atque fabularum velis obtenta proponere salvatoris vitam, miracula, passionem & fata ecclesiae sub imperatoribus. Ut vero haec sunt inania deliramenta, in quae luxuriantia ingenia impulit immoderata Homericae sapientiae admiratio, ita ultra, quam oportuit, vatis nostri laude evagari videntur, qui non illum tantum contendunt primum Musarum sacris operatum esse, sed eo quoque perfectionis atque absolutionis perduxisse divinam poesin, ut ultra, quo progrederetur, postmodum non habuerit. Demus VELLEJO PATERCULO [f]) clarissimum fuisse & maximum Homeri ingenium, neminem vero ante illum fuisse, quem imitaretur, id vereor, ut aequi rei aestimatores admittere queant. Si enim antea non patuissent Apollinis castra, in quibus, sollertia inter magisteria, exerceri artibusque temperari potuisset felicissimum ingenium, certe produci non facile potuisse opus adeo absolutum, fatebitur mecum, quisquis perpenderit, eam esse artium & scientiarum naturam, ut, ab exiguis profectae initiis, paulatim in perfectionis apicem

cem

e) In vera historia Romana.

f) Vid. ejus hist. Rom. Lib. I. p. 19.

cem enitantur. Neque praeterea ex nihilo natas putamus fabulas Amphionis, & Orphei, quorum ille, Thebana conditurus moenia, cantus dulcedine, animata saxa ad obsequiosa pellexisse dicitur ministeria: hic vero accepta ab Apolline lyra tam suaviter modulatus fingitur, ut arbores & saxa se loco moverint suo, & immanissimae ferae, exuta quasi natura, ad dulces audiendos modulos adcurrerint: non, inquam, natae ex nihilo sunt hae fabulae, sed haud obscure indicant, fuisse olim, & quidem ante Homeri tempora g), cantores & poetas, adeo musicis instrumentis ludendi peritos, ut vel durissimos animos mollire & flectere potuerint. Quid, quod, eo usque progreditur CLEMENS ALEXANDRINUS h), ut Homerum dicat compilavisse nonnunquam ORPHEI MUSAEIque scrinia: ut enim ille canit:

Ὡς ȣ̓ κυντερον ἠν και ῥιγιον ἀλλο γυναικος,

ita ad ejus imitationem cecinit Homerus i):

Ὡς ἐκ αἰνοτερον και κυντερον· ἀλλο γυναικός.

Quemadmodum etiam Musaei versiculos:

Ὡς δ᾽ αὐτως και φυλλα φυει ζειδωρος ἀȣρα
Ἀλλα μεν ἐν μελιησιν ἀποφθινει αλλα δε φυει,
Ὡς δε και ἀνθρωπȣ γενεη και φυλλον ἑλισσει,

g) Amphionis meminit Homerus Od. XI. 261.
h) Strom. Lib. VI. p. m. 618.
i) Od. XI. 426.

ita imitatur Homerus k):

Φυλλα τα μεν τ᾽ ανεμος χαμαδις χεει, αλλα δε θ᾽υλη
Τηλεθοωσα φυει, εαρος δ᾽ επιγινεται ωρη.
Ὡς ανδρων γενεη, ἡ μεν φυει, ἡ δ᾽αποληγει.

Sed utcunque haec existimata erunt, invito tamen Homero inventae poeseos gloria obtruditur, quum ipse passim in scenam inducat cantantes poetas & musicos. Sic enim Demodocus, quem poeta vocat θειον αοιδον l), in Alcinoi, Phaeacum regis, convivio;

- - κατα κοσμον Αχαιων οιτον αειδεν
Οσσ᾽ ερξαν τ᾽ επαθον τε και οσσ᾽ εμογησαν
Αχαιοι m).

Et quidem auctor est PLUTARCHUS n), hunc ipsum Demodocum carmine descripsisse ιλιȣ τε πορθησιν και Ἀφροδιτης και Ἡφαιςȣ γαμον, pro quo tamen SUIDAS ait carminis argumentum fuisse την Αφροδιτης και Ἀρεως συνȣσιαν o). Quin etiam Phemius, PLATONI dictus Ιθακήσιος ραψωδος, metro composuisse dicitur a PLUTARCHO p) νοςον των απο τροιης μετ᾽ Αγαμεμνονος ανακομισθεντων, eo sine dubio respiciente, quod in frequenti

k) Il. VI. 147. seq.
l) Od XIII. 27.
m) Od. VIII. 489. seq.
n) De musica.
o) Vid. Fabricii Bibl. Gr. Lib. I. C. V. N. 6.
p) L. C.

quenti procorum Penelopes consessu, referente Homero q):

- - Ἀχαιῶν νόστον ἄειδε

Λυγρὸν, ὃν ἐκ Τροίης ἐπετείλατο Παλλὰς Ἀθήνη.

Scilicet deorum laudibus fortibusque heroum gestis percelebrandis, antiquissimis illis temporibus, suam maxime operam commodaverunt Musae: id quod Penelope apud Homerum non obscure innuit. Quum enim laudatum modo Phemium audiret carmen ordiri de Graecorum ex Trojana expeditione reditu, per varios casus & mille rerum discrimina, recrudescere sentiens dolorem ad renovatam infelicis mariti memoriam, his illum adfatur verbis r):

Φήμιε πολλὰ γὰρ ἄλλα βροτῶν θελκτήρια οἶδας

Ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε τά τε κλείουσιν ἀοιδοί.

Τῶν ἕν γέ σφιν ἄειδε παρήμενος - - -

Ita ergo laudibus cumulandus Homerus, ut ne quid nimis, aut superstitiosa viri admiratione ducti, humanam sortem supergressas virtutes ipsi, etiam invito, vindicemus. Non, quod aliis invida negavit natura, id huic soli concessit beneficii, ut suopte ingenio artibus temperatus animus & metricas servare leges, & naturae pandere arcana, docuerit Musas. Patuere etiam tunc littera-

q) Od. I. 326.
r) Od. I. 337. seq.

riae officinae [s]), & floruit eruditorum chorus, quorum e fontibus hausta aqua suos hortulos irrigaverit Homerus [t]): qui quidem non illis omnibus superbiunt floribus, quibus, quam late nunc patet, totus scientiarum campus condecoretur, sed passim tamen sparsa condunt semina, unde, si artificiosa accesserit manus, quoddam elici queat philosophiae corpus. Et fuerunt certe olim, qui de philosophia Homeri integros composuerint libellos, quos, SUIDAE secutus vestigia, strictim recenset REIMANNUS [u]), quemadmodum etiam nullae ferme postmodum enatae sunt philosophiae sectae, quin Homerum nonnunquam exciverint in suorum patrocinium dogmatum. Sic ex Homericis verbis [v]):

Ὠκεανος ὅσπερ γενεσις παντεσσι τετυκται.

& hisce consonis aliis:

Ὠκεανον τε θεων γενεσιν και μητερα τηθυν.

dicit

---

s) Homeri tempore patuisse scholas & academias, in quibus studia & inchoaverit juventus & ad maturitatem perduxerit, ex HERODOTO & DIODORO SICULO probat JAC. FR. REIMANNUS in Iliade post Homerum Sect. I. C. 4. & 5.

t) Sat ingentem eruditorum catalogum, qui, praeter supra a nobis laudatos vates, ante Homerum floruerunt, pertexit FABRICIUS Bibl. Gr. L. I. C. 2 & seqq.

u) In Iliad. post Homerum Sect. I. Cap. 1. §. 5. vid. & BRUCKER hist. philos. T. I.

v) Il. XIV. 246. 201.

dicit JUSTINUS MARTYR [x]), Thaletem Milesium suum formavisse dogma, quo aquam adserit omnium esse principium rerum: quemadmodum ex aliis ejusdem poetae verbis [y]):

'Αλλ' ὑμεις μεν παντες ὑδωρ και γαια γυνεισθε.

adripuisse dicitur Xenophanes occasionem dicendi, aquam & terram esse omnium stamina rerum [z]). Neque parum ex Homericis fontibus hausisse traditur Plato, ipse licet Socratis, quam Homeri, discipulus videri malit: quod MAXIMUS TYRIUS [a]), ipse Platonicae consultus sapientiae, indicat: ἐπιτολμήσαιμι, inquit, ἀν ἐιπειν ἐγωγε, ἐμφερεςερον ἐιναι Πλατωνα Ὁμηρω μαλλον. Κ'αν τον Ὁμηρον φευγη, κ'αν διώκη τον Σοκρατην; & mox: την γνωμην (scilicet Ὁμηρȣ) τη γνωμη (scilicet Πλατωνος) προσαγω, και την συγγενειαν ὁρω. Itaque, ex hujus mente philosophi, sensum si respexeris, amicissima intercedit concordia Homerum inter & Platonem: hic licet illam dissimulet nonnunquam, ut, quum maximum vatem sua exsulare jussit republica: id enim, quod inter alios observat LUDOLPHUS KUSTERUS [b]), non alia de causa

x) Orat. paraen. ad Graecos.
y) Il. VII. 99.
z) Vid. JOH. SPONDANI comment. in Iliad. L. VII. v. 199. nec non REIMANNI Ilias post Homerum Sect. I. C. 3.
a) Dissert. XVI.
b) Historia critica Homeri Sect. VI.

caufa feciffe videtur, quam quia verebatur, ne fi poetica de Diis commenta, ad litteram explicata, pro veris admitteret vulgus, falfis imbueretur ideis, omnique paulatim excideret religione. Quin vero etiam Platonis difcipulus ARISTOTELES maximi fecerit Homerum, & hujus effata varia in fuos converterit ufus, dubitare nos non finit crebrior ejus operibus inferta poetae laudatio, & frequentiffimus verficulorum ufus, qui ibi, ftellarum inftar, exfplendefcunt. Cynicorum porro caftra fi introierimus, occurret nobis illorum ftator Antifthenes palam confitens, animas poft mortem effe ὁμοιοσχημόνας τοῖς σωμασι, fe inde didiciffe, quod Patroclis anima Homero dicitur [c]):

Παντ' αὐτῳ μεγεθος τε και ὀμματα καλ' εἰκυια
Και φωνην - - - - -

Quod fi denique Zenonis porticum fcrutaris, invenies ab hoc ftoicorum principe compofitum libellum περι προβληματων Ὁμηρικων [d]), qui indicio eft certiffimo, non ab Homericis fcriptis abhorruiffe prorfus ftoicam qui condidit fectam: quid quod CICERO [e]) dicit, CHRYSIPPUM, ut aliorum poetarum, ita etiam Homeri fabulas adcommodaviffe ad fua illuftranda & confirmanda de

c) Il. XXIII. 66.
d) Vid. DIOGENES LAERTIUS L. VII. c. 1. n. 4.
e) De natura Deorum L. I.

de Diis immortalibus dogmata. Sic ergo non poetae tantum & oratores sibi ad imitandum proposuerunt Homericas veneres, sed nec ipsos puduit philosophos Homerizare, suaque auctoritate vatem inserere philosophorum ordini. Neque tamen ideo cuiquam in mentem veniat, ex Homericis scriptis erui posse suis membris & numeris omnibus aptum philosophicum systema. Isto enim tempore rudia omnia simplicia & inculta; non satis inter se discretae erant artes certoque ordine digestae: non ex principiis, longa interveniente syllogismorum serie, adserta demonstrandi ratio viguit, ut, non suis distinctae nominibus, doctrinae potius quam scientiae vocari debeant. Immo nec ipsum philosophiae vocabulum isto innotuit aevo, sed occurrit tamen σοφίας vox, latiori licet tunc, quam recentiori tempore, usurpata sensu, quum non ad eos tantum pertinuerit, qui artes profitebantur liberales, sed ad eos quoque omnes, qui in arte quacunque excellebant. Nam qui fabrilem callet artem, dicitur peritus πάσης σοφίης f). Et quidem fuisse isto tempore hujuscemodi artifices maximo in honore, indicare quodammodo videtur Eumaeus apud Homerum g). Quum enim is ab Antinoo reprehenderetur, quod Ulyssem,

f) Il. XV. 412.
g) Od. XVII. 384. seqq.

ſem, mendici ſpeciem mentitum, in convivium induxiſſet, eo ſe purgat modo, ut dicat, non facile quemquam conſueviſſe peregrinos pauperes arceſſere:

Μαντιν, ἢ ἰητηρα κακῶν ἢ τεκτονα δȣρων
Ἠ και θεσπιν ἀοιδον, ὁ κεν τερπησιν᾽ ἀειδων
Ὀυ τοι γαρ κλητοι γε βροτων ἐπ᾽ ἀπειρενα
γαιαν.

Quod vero heic vates, rerum periti ſacrarum, fabri, medici & poetae praecipue nominantur, tanquam digni, qui etiam peregre accerſantur, omnique colantur honore, id occaſionem dedit REIMANNO h) ſuſpicandi, theologiam, medicinam, poeticam & quae manu exercentur, artes in republica litteraria praecipuum olim tuliſſe punctum. Sed nec temere negandum, etiam ex ceteris doctrinae ſtudiis, quae recentior Encyclopaedia ſuo complexu coerceret, aliquid tunc delibatum fuiſſe. Crebra enim & in Heſiodi & Homeri carminibus occurrunt veſtigia phyſicae, aſtronomicae, pneumaticae, politicae cognitionis: niſi quis dicere velit, nominato poeſeos ſtudio, cetera intelligi. Antiquiſſima enim philoſophia, quod multis probat LIPSIUS i), erat poetica. Nos vero, dum quoddam edere conſtituimus *philoſophiae Homericae* ſpecimen, ea nobis concedatur venia, rogamus, ut, quae

---

h) Ilias poſt Homerum Sect. I. C. 1. §. 10.

i) Manuduct. ad philoſophiam Stoicam Lib. I. Diſſert. 7.

quae ad disciplinas, sic dictas instrumentales, grammaticam, rhetoricam, alias pertinent, & si quae praeterea sese scrutantibus nobis offerunt physica, astronomica, medica argumenta, aut quae ad architecturam civilem & militarem, artesque gymnasticas referuntur, ea taciti praetereamus. Excresceret enim opusculum in dissertationis mensuram supergressuram molem, si singula vel leviter contingeremus. Illis ergo limitibus circumscribatur labor noster, ut non ultra circulum philosophiae, stricte sic dictae, evagetur: h. e. ut ex Homericis scriptis eruat argumenta, quae vel ad philosophiam theoreticam vel practicam pertineant.

§. 2.

Ad philosophiam theoreticam referuntur logica, metaphysica, pneumatica, & theologia naturalis. Quin Homerus, &, qui eo tempore vixerunt, alii logicas secuti sint regulas, & universales notiones metaphysicas, dubitare nos non finit animae natura, in qua utriusque generis ratiocinandi principia ita sunt fixa & radicata, ut illis se exuere non queat: sed nec dubitationi locum relinquit adcuratior Homerici consideratio poematis, utpote in quo is regnat ordo, id ubique conspicitur artificium argumenta & inveniendi & disponendi, quod ratiocinandi peritum prodit magistrum. Sed

credere

credere tamen fas eſt, quidquid hujus fuerit, id felici magis naturae, quam arti, deberi: logicis enim aut metaphyſicis principiis temperata tum fuiſſe juvenum ingenia, vereor ut ullo probari queat argumento. Iſtis ergo relictis diſciplinis, in patentiorem nos immittamus campum, viſuri, quid de Numine ſenſerit Homerus. Quod dum ingredimur ſtadium, in ipſo limine audire nobis videmur obſtrepentes adverſarios, laudumque obtrectatores Homericarum, clamitantes, nihil Homeri poeſin continere aliud, niſi *ἱεροσυλȣς μυθȣς, και θεομαχȣ γεμοντας ἀπονοιας* [k]). In iſta enim, inquiunt, ſcena nobis ſpectandi exhibentur Dii, rixas inter ſe cientes & pugnas, epulis adcumbentes, in libidinem profuſi & voluptates, mortalium probris lacerati & vulneribus confoſſi. Scilicet is dignus eſt philoſophi titulo, ea qui congerit in Numina, quae ipſis etiam hominibus probro ſunt & dedecori. Talia obgannientibus vere reſpondet PLUTARCHUS [l]): *ὅταν* inquit, *ἀτοπον τι και δυσχερες ἐν τοις ποιημασι λεγεται περι θεων, ὁ μεν ὡς ἀληθη προσδεξαμενος λογον, οιχεται Φερομενος και διεφθαρται την δοξαν.* Ut vero, haec quorſum valeant, intelligamus, haud abs re fuerit, nonnihil diſſeruiſſe de fabulari poetarum

---

k) Vide HERACLITUM de allegoriis Homericis initio operis.

l) De audiendis poetis C. 2.

rum theologia, & quantum haec distet a vera, qua imbuti fuerunt, de Diis opinione. Et primo quidem sciendum est, non illos omnes habitos ab illis fuisse Deos, quibus Deorum nomina tribuerunt. Usu enim venit poetis non raro, ut reges & principes opibus & dignitate eminentes Jovis titulo ornent. Sic ut exemplo dicta illustremus, nihil ferme in poetarum fabulis celebratius est bello inter Saturnum Titanasque & Jovem gesto: quod ne quis simpliciter intellectum Jovi, Deo, vindicet, obstare videntur res circumstantes, totaque, quae ab HESIODO m) contexitur, narrationis series, ut quae docere per ambages videatur, mutuo sumta Deorum nomina dissimulare principes pro Thessaliae imperio in ipsa Thessalia pugnantes. Et si porro quaesieris, quis ille Jupiter fuerit, qui tauri mentitus speciem, Europam abstulit, respondet HERODOTUS n), Cretensium principem fuisse, qui, quam fama celebrabat, Europae pulcritudine impulsus, ex Phoenicia abreptam secum in Cretam abstulit puellam. Nec si per singula eundi hic locus esset, difficile foret ostendere, quomodo, diverso tempore a diversis principibus edita facinora, allegoricis exposita imaginibus, illas pepe-

m) Theogonie v. 617. seqq.
n) L. I. seu Clio in initio.

pepererint fabulas, quae in poetarum scriptis de Jove circumferuntur. Αμυητος sit oportet, si quis crediderit, serio loqui poetas & λογογραφȣς, dum numina dicunt peregrinas inducere species, virgines ludificari, liberos ex illis procreare, & nescio quae alia Diis indigna perpetrare. Personata sunt ista numina, &, si larvam detraxeris, manifesta patebit humana facies. Hoc ergo loco admoneor, ut nonnihil etiam dicam de Deorum filiis, unde scilicet ortae sint fabulae, quibus ex Deorum concubitu cum mulieribus liberi nati dicuntur. Observatum a viris eruditis est, qui facultate aliqua & dotibus excellunt, eos dici eorum esse filios numinum, quae istis praesidere putantur virtutibus, sic enim bello strenui vocantur Martis filii, eruditionis, & poeseos inprimis, gloria conspicui Apollinis & Musarum celebrantur nati; & qui regia fulgent majestate, vel Joves vel Jovis filii salutantur; unde etiam non ab Homero minus, quam ceteris Graecis vatibus, reges frequentissime vocantur διογενεις & διοτρεφεις. Neque praeterea raro usu venisse existimamus, ut compressae virgines, sive ita ratae, seu quia Deus aliquis honestior culpae auctor putatus sit, nuncupaverint stirpis parentes Deos. Sic quae in Romana historia celebratur, fabulam de Romuli ortu ex Rhea a Marte Deo compressa, ita explicat DIONYSIUS HALICAR-

NASSEN-

NASSENSIS o), ut dicat Vestalem illam, quum in lucum accederet Martis, puram haustum aquam, vi compressam a quodam viro esse, quem alii dicunt unum procorum ejus fuisse, alii ipsum Amulium, non tam libidine impulsum, quam virgini insidiandi cupiditate ductum: quum vero iste, quisquis erat virginis stuprator, in ignotam versa facie, persuaderet simplici puellae se ejus esse loci genium, vel Deum, cui sacer erat lucus, divulgatum tandem est, ex Martis concubitu cum Rhea natum esse Romulum: nisi vero similius quisquam esse dixerit, amicos & consanguineos Rheae, ut honori consulerent vitiatae puellae, dispersisse famam illam. Neque mirum est, potuisse rudiori ista aetate hujuscemodi commenta fidem invenire, quum JOSEPHUS p) auctor sit, multo cultiori seculo, Paulinam, Saturnini uxorem, fraude sacerdotum inductam fuisse ad credendum, amari se ab Anubide, &, quum isthac plena opinione in Dei templo compressa nocturno tempore esset a quodam, Decio Mundo, qui, captus mulieris amore, totam hanc struxerat fraudis scenam, & ipsam credidisse, & persuasisse aliis, rem se cum Anubide habuisse. Quod si istiusmodi dolus saepius, antiquioribus

Ee 2 &

o) Antiquitat. Roman. L. I.

p) Ant. Jud. L. XVIII. c. 49.

& rudioribus feculis, ftructus eft mulieribus, & fi, ut Ovidius q) canit, multi:

Nomine Divorum thalamos iniere pudicos,

non eft, quod miremur, in antiquiffima Graeciae hiftoria, & poetarum fabulis, tot nominari Deorum filios r). Confuevere enim poetae vulgi ore celebratas fabulas amplecti fuisque inductas coloribus ad pofteritatem transmittere. Et fic non unicum habemus fundamentum, unde ifta explicentur poetarum loca, in quibus numinibus quidquam tribuitur, quod abfonum effe Diisque indignum quivis videt: qui nimirum immemor eft Deorum nominibus faepe poetas intelligere homines, is ὄδεν πείσεται δεινόν, ὄδὲ πιςεῦσαι φαῦλον s). Et multo quidem minus infanae impietatis crimine compellabimus poetas, fi meminerimus, accidere non raro, ut Deorum nomina rebus adcommodentur naturalibus & moralibus. Quis nefcit, Jovis nomine faepe a poetis intelligi aëra, & Junonem defignare terram? ut, fi fenfum refpexeris, non impius in numina videatur effe VIRGILIUS, dum canit t):

Tum pater omnipotens foecundis imbribus aether
Conjugis in gremium laetae defcendit.

Et

---

q) Metamorphof. Lib. III. 282.
r) Vide pluribus hac de re differentem CLERICUM ad Hefiodi Theogon. v. 940.
s) PLUTARCHUS de audiendis poetis Cap. 2.
t) Georg. L. II. v. 326.

Et alio loco u):

— — *Quum Jupiter horridus austris*
Torquet aquosam hiemem & coelo cava nubila rumpit.

Pari ratione Vulcanus usurpatur pro igne, Neptunus pro mari, Mars notat bellum & fortitudinem, Minerva prudentiam, Venus mollitiem, libidinosum, & effoeminatum animum, id quod poetae eleganti designant fictione, veneri dantes:

— — *Medicatum nectare certum,*

in quo

— — θελκτηρια παντα τετυκτο
Ενθ' ἐνι μεν φιλοτης, ἐν θ' ἱμερος, ἐν θ' ὀαριϛος
Παρφασις, ητ ἐκλεψε νοον πυκα περ φρονεοντων v).

Quum vero in mentionem inciderimus Veneris & Martis, redimus in memoriam geminorum in Iliade Homeri locorum, quae vel maxime vellicari solent, tanquam certissimum peragentia stultitiae & impietatis Homericae indicium. In horum altero x) sistitur Venus a Diomede vulnerata, alter vero in belli theatrum intrudit Martem, itidem a Tydei filio sauciatum y). Nimirum, inquiunt, non suffecit poetae proeliis inserere numina, sed longius dementia progressus,

u) Aeneid. L. IX. v. 670.
v) Vid. HOMERI Ilias Lib. XIV. v. 215. seqq.
x) Il. V. v. 335. seqq.
y) Il. V. v. 855. seqq.

ſus, fingit, ea etiam vulneribus patere, & ne homine quidem bellico dignos fletus & ejulatus ciere. Horum vindicias locorum acturus HERACLITUS z) ad allegorias confugit, quas nusquam non in Homeri carminibus ſibi obſervare videtur. Ita ſcilicet calculos ponit: Diomedes Minervae uſus auxilio, h. e. prudentia & fortitudine inclutus, utpote *δια πασης ἐληλυθως πολεμικης μαθησεος, και τȣτο μεν ἐν Θηβαις, τȣτο δὲ ἐν ἰλιω, δεκαετη χρονον ἐμφονως τȣ μαχεσθαι προιςαμενος*, vulnerat, Venerem, Aeneae adſiſtentem in proelio, h e barbaros Aeneae ſocios profligat, molles & effoeminatos, ſi viris comparentur, omnibus, qui exerciti erant bellicis laboribus. Hinc Martis ope exaſperati Trojani, ſumtis animis, bellicae ſe iterum committunt ſcenae, ubi multum utrinque ſanguinis effunditur, multique confoſſi vulneribus cadunt: tandemque, qui a parte Trojanorum ſtetit, Mars, & ſaevus in armis furebat, vulnere perſtringitur a Diomede, haſtam dirigente Minerva: qua quidem ipſa poetica fictione, interprete HERACLITO, indicatur, Diomedem, viribus qui ſociavit prudentiam, h. e. ſi poetico uti velimus ſtylo, cui Minerva adſidua adfuit comes, cecidiſſe & fugaſſe barbaros, aſperos quidem bello armisque furentes, ſed prudentia tamen Graecis inferiores, h. e. ex poetica dictione,

---

z) In Allegoriis Homericis p. m. 107.

ctione, a Marte quidem adjutos, sed Minervae destitutos auxilio. Ita ferme HERACLITUS. Et certe fateamur oportet, non in commodiorem sensum istas torqueri posse poeticas fictiones, quibus vel Diomedi, vel Ulyssi, vel Achilli adfuisse dicitur Minerva, quam si dicamus fuisse istis Heroibus virtutem sapientia temperatam. Cui illustrandae rei etiam inservierit quod de Achille memorat Homerus [a]): nimirum injuria lacessitus heros animo secum versabat, quid faciendum esset, utrum stricto gladio vindicaret injuriam, an iram compesceret. Fervens primum animus ultionem meditatur, gladio admota manu, at repente coelo delapsa Minerva furibundae impetum mentis reprimit & saniora suggerit consilia. Quid si hic dixeris, poeticis obtentam velis adumbrari, animum Achillis quae versabat, luctam inter rationem &, sensibus quae originem debet, vindictae cupiditatem, nihil absoni adferuisse videberis. Exardescens enim, ad primam injuriae cogitationem, vindicandi impetus rationi quasi fumum obducit, deinde vero, quum paulatim ardor animo consedisset, sese nubibus evoluta ratio exserit & meliora suadet. Sed nec me fugit, alios ut taceam, MAXIMUM TYRIUM [b]) putare, non in illo magis, quam aliis locis,

a) Il. I. v. 188. seqq.
b) Dissert. XXVI. p. m. 246.

Minervae aliorumque, qui se hominibus adjunxisse dicuntur comites, divorum nomine intelligi genios, quos prisca credidit aetas, peculiari supremi numinis jussu, certis datos esse hominibus vitae comites & patronos: ut in Achillis gratiam, non aliud fecisse dicenda sit Minerva, nisi, quod frequentissime celebratissimum Socratis genium factitavisse tradunt vetustatis monumenta. Is enim tam fidus custos Socrati adfuisse traditur, ut mala ab ipso averterit, & secreto monitu animum nonnunquam retraxerit a non profuturis consiliis. Quae vero hactenus disseruimus eo valent, ut intelligatur, neque in universum gentilium theologiam spectandam esse ex poeticis figmentis, quae saepe latentiorem habent sensum, quam ut is obiter inspicientibus sese offerat, nec in specie quid Homerus de Diis senserit, judicandum esse ex iis, quae poetica usus, an abusus, licentia in personata congerit numina. Sed nec eo temeritatis progredi audemus, ut dicamus, ridicula si praecidantur figmenta, quae nullum sibi in theologia vindicant locum, nihil superesse, nisi quod sanum sit, & abominandae purum faecis. In permultis enim oscitantes gentiles ita halucinati sunt, ut a veri dei cognitione, ex puriori haurienda fonte, tantum illorum differat theologia, quantum distat caelum a terra. Sed sic tamen ex altera parte non ita eos desipuisse putandum est, ut nihil sani in

divinis

divinis rebus vel senserint vel locuti sint. E mediis, in quibus oberraverunt tenebris, emicuere nonnunquam quaedam scintillulae veritatis, quae manifesto indicio suam produnt originem, sanioris loquor rationis usum, junctum traditionibus, ex altius repetenda fama celebratoque cum instructioribus gentibus commercio derivandis. Quod vero in genere de scriptoribus ethnicis dicere convenit, id nec negandum de Homero. Gravissimis licet tenebris oppressus, lucem tamen veritatis, quamvis aegris oculis, adspexit nonnunquam, atque adeo pulcris divinaque majestate dignis effatis sua distinxit poemata, ut ea protulisse non poeniteret divina luce collustratum hominem; ex quibus, speciminis loco, quaedam decerpsisse & illustrasse juvabit.

§. 3.

Et primo quidem omnium lubenter supersedemus opera multa coacervandi poetae loca, unde Numina esse, credidisse illum constet, quum nulla ferme pagina sit, quin luculentissimum ejus rei perhibeat testimonium. Magis utique quid de illis eorumque numero senserit, ambigitur. Fuisse etiam ex antiquissimorum ordine poetarum, qui unicum esse Deum adseruerint, permultis e vetustatis fonte erutis testimoniis commonstrat CLEMENS ALEXANDRINUS c) cujus fide adtulisse suffecerit haec Orphei:

Ee 5 Μῦνον

c) λογος προτρεπτικος προς ἑλληνας p. m. 48. seq.

Μȣνον δ'εσορα κοσμοιο ανακτα
Αθανατον — — —

& alio loco:

Εις ἐς' αυτογενης ἑνος ἐκγονα παντα τε-
τυκται.

Quaeque SOPHOCLES habet:

Ἑν ταις αληθειαισιν εις ἐςιν Θεος
Ὁς ἐρανον τ'ἐτευξε και γαιαν μακρην
Ποντȣ τε χαροπον οιδμα, κ'ανεμων βιας.

At vero tam claris oculis veritatem adſpexiſſe Homerum, non equidem adſeverare auſim. Id vere mihi dicere poſſe videor, ſive totidem fuiſſe crediderit numina, quot nomina adfert, ſive illis genios intellexerit, in qua ſententia ſupra obſervavimus MAXIMUM TYRIUM eſſe, omnia tamen clariſſime illum indicare uni parere ſupremo Numini. Id enim non illa indicant tantum loca, in quibus celebratur Ζευς τα πρωτα θεων [d]), verum etiam hoc Hectoris teſtimonium [e]):

Ἡμεις δε μεγαλοιο διος πειθωμεθα βȣλη
Ὁς πασι θνητοισι και αθανατοισιν ανασσει.

& manifeſtiſſimum illud Martis effatum [f]):

Ἡμεις μεν γαρ παντες ὅσοι θεοι εισ' ἐν
ὀλυμπω
Σοι τ'ἐπιπειθονται και δεδμημεθα ἑκαςος.

Adeo ut ſi non poeta noſter dignus ſit, qui illorum adſcribatur philoſophorum ordini, quos

d) Vid. Il. XIX. 263. Od. XIV. 158. XIX. 303.
e) Il. XII. 241.
f) Il. V. 877. ſeq.

quos Menippus apud LUCIANUM g) dicit τὸς ἄλλὸς ἅπαντας θεὸς ἀπελάσαντας ἑνὶ μονῷ την των ὁλων ἀρχην ἀπονεμειν, locum certe sibi inter illos vindicet, qui, ut idem inquit Menippus ἐπιδαψιλευομενοι, πολλὸς τε αὐτὸς ἀπεφαινον, και διελομενοι τον μεν τινα πρωτον θεον ἐπεκαλὸν, τοις δε τα δευτερα και τριτα ἐνεμον της θεοτητος. Is vero Deorum princeps Homero dictus τὰ πρῶτα θεῶν, viribus gaudet, quae nullis circumscriptae limitibus a nemine coerceri queant, ut poeta loquitur h):

— — ἀνηρ δεκεν ὅτι διος νοον ἐρυσαιτο
Ουδε μαλ' ἰφθιμος, ἐπειη πολυ φερτατος ἐςι.

Queis consona sunt haec ejusdem effata i):

- - - - τὸ γαρ κρατος ἐςι μεγιςον

& k):

- - - - δυναται γαρ ἁπαντα.

Qui potentia gaudet quidquid voluerit efficiendi, ejus etiam scientiae omnia pateant, necesse est l):

Ὁ γαρ (Ζευς) οἰδεν ἅπαντα.

Neque vero ita suo Jovi vindicat poeta potentiam & scientiam, ut cetera Numina hisce prorsus nudata virtutibus sistat. In genere enim sunt omnes Dii:

- - φερ-

g) Vid. Dialog. qui inscribitur ἰκαρομενιππος Tom. II. p. m. 213.
h) Il. VIII. 143.
i) Il. IX. 25.
k) Od. IV. 237. XIV. 445.
l) Od. XX. 75.

- - - - φέρτεροι ἀνδρῶν m).

&

Θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι n).

Neque minus id cum Jove habent cetera numina commune, quo, tanquam certissimo charactere, Dii distinguantur ab hominibus, ἀθανασίαν loquor, quam ita suis numinibus vindicat poeta, ut ἀθανάτους Θεοὺς passim opponat θνητοῖς ἀνθρώποις, altiusque in arcana Deorum penetrans rationem pandat, cur moriendi legi non aeque ac homines pareant:

Ου γὰρ, inquit, σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον

Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται o).

Videlicet observavit poeta, alimentis egere hominum corpora fluxa & caduca, quibus, quod decedit quotidie, reparetur, ita tamen ut, qui renovandis corporibus inservit, potus & cibus, etiam materiam subministret morborum & mortem nonnunquam ipsam gignat: quae ergo substantia se quotidie refecturo nutrimento non eget, illam concludit nec morbis subjectam esse, nec morti. Hoc ergo loco suboritur quaestio, an Homerici Dii ἀσώματοι sint, & alimenti prorsus non indigi? Dixerit aliquis non hanc per-

m) Il. XXI. 264.
n) Od. IV. 379.
o) Il. v. 341.

perdifficilem esse aut obscuram quaestionem. Quisquis enim vel a limine salutavit poetam, is non potuit non observasse nectare & ambrosia pastos Divos, & corporea atque adspectabili specie in humana se ingerentes negotia. Verum, si res tibi fuerit cum obstinato Homericae philosophiae adsertore surdo haec omnia narrabis. Ita enim ejus egerit vindicias. Exstruxerat animo poeta imaginem bellici theatri, in quo principes personas acturi erant Dii, humana qui moderantur negotia, & quo ipsis placuerit, fata versant; hanc verbis depicturo imaginem e re fuit, singulis ejus partibus eum dare habitum, qui agnosci & sensibus quasi usurpari posset. Ostendere dum voluit arcana quadam ratione divinam providentiam cunctis se inserere hominum operibus, nec ex horum consiliis, sed Deorum arbitrio fluere omnia, non philosophum agit sed poetam; h. e. non nudam, ut animo ipse conceperat, veritatem proponit, sed quibusdam involutam integumentis spectandam exhibet. Scilicet Diis humanum circumfundit amictum, coeloque excitis suas adsignat partes in belli moderanda scena: nunc dormientium animis ingestis somniis aliove secreto monitu; nunc aperto adloquio & exhibito auxilio facit illos fata mortalium volvendi partes obire. Qui inde concludit, credidisse illum, Deos esse corporeos, &, hominum instar, manum operi

admo-

admovere, is dixerit eodem jure, hominibus similem verum Deum nobis in scriptura sacra sisti: quum is nonnunquam dicatur adspectabili amictus specie sermonem miscuisse cum mortalibus, aut futurae delicias felicitatis consistere in opipare exstructis dapibus, quum in lauti imagine convivii eas nobis proposuerit Spiritus sanctus, nostrae consulturus imbecillitati. Quidni ergo dicere possimus etiam poeticum nectar & ambrosiam, symbolum esse felicitatis, qua coelestia perfruuntur numina? In hunc utique sensum trahit CLERICUS p) poeticas fabulas, quibus Ixion fingitur conviva fuisse Deorum, & Tantolus dicitur superis stetisse a poculis, nempe indicatum ait, beatissimos illos fuisse. Quemadmodum etiam quod EPICTETUS q) dicit illos, qui concessa sibi munera moderate ferunt, fore aliquando *ἀξιους των Θεῶν συμπότας*, non alio valere videtur, quam ut innuatur, coelestem illos manere felicitatem in Deorum coetu. Utut vero haec non sine ratione dicantur, non ausim tamen ego adfirmare dicere, tam sobrie de numinibus cogitasse Homerum, ut, nec corporea ea fuisse, nec alimento eguisse, crediderit: inprimis, quum nec ipsos inter philosophos hac de re convenisse deprehendam. Inter alia enim philo-

---

p) Observat. ad Matthaei C. VIII.

q) Εγχει C. XXI.

philosophorum dissidia, id etiam in illis reprehendendum judicat LUCIANUS [r]), quod de specie Numinis a se dissenserint: οἱ μεν γαρ ἀσωματον τε και ἀμορφον ἡγȣντο ἐιναι το θειον, οἱ δε ὡς περι σωματος ἀυτȣ διενοȣντο. Nec vero e gentilium tantum philosophorum ordine fuerunt, qui, si non corpus, tamen, ut ex Epicuri mente VELLEJUS loquitur apud CICERONEM [s]) quasi corpus Deo tribuerint, sed quidam etiam ecclesiae patres in ejusdem venerunt erroris societatem [t]). Ex quo praecipitio facile fuit in alterum transcursum. Qui enim divinam substantiam non segregatam duxerunt ab omni materiali concretione, eo facile prolabi potuerunt, ut & nutritionis indigam putarent. Sic utique non uno in loco dicit JAMBLICHUS [u]) τα δαιμονια esse ἐνυλα, sacrificiis adeunda materialibus: nempe illorum nidore vesci numina putabantur, quod PORPHYRIUS [w]) manifestis indicat verbis: ȣ̔τοι dicit (scil. οἱ θεοι) οἱ χαιροντες λοιβῃ τε κνισσῃ τε, δι ὡν ἀυτων το σωματικον πιαινεται. Ζῃ γαρ τȣτο ἀτμοις, και ἀναθυμιασεσιν και δυναμȣται ταις ἐκ των ἀιματων και σαρκων κνισσαις. Et dixerit forte aliquis, non nullum prorsus esse suspicandi locum, exhala-

r) Dial qui dicitur ικαρομένιππος p. m. 213.
s) De nat. Deor. L. I. C. 12.
t) Vid. Pfanneri Syst. Theolog. Gent. C. II. §. 19.
u) De Myst. Aegypt.
w) De abstinentia L. II. c. 42.

halatum illum ſacrificiorum nidorem eſſe illud nectar & ambroſiam, queis totus poetarum chorus Deorum inſtruit menſas. In hac utique ſententia eſſe videtur CLERICUS x). Deducit enim nectar ab orientali voce קטר, quae ſuffitum notat, quem dicit habitum fuiſſe Deorum potum, ut caro victimarum illorum erat cibus. LUCIANUS y), vero diſtincta haec adſerit eſſe Deorum nutrimenta. Salſe enim deridens Deos, vel hominum potius de Diis opiniones, dicit, ſolemnia dum peraguntur ſacrificiorum, denſo agmine illos circumvolare accenſa ſacra, naribus haurire nidorem, & muſcarum inſtar, ſanguinem libare: ἢν δὲ, dicit porro, οἰκοσιτοι ὦσι, νεκταρ και ἀμβροσια το δειπνον. Sed tamen, qui aliquantum ſobrie philoſophari videbantur, ſummum Deum eorum eximebant numero, quos & materiae concretionis participes dixerunt, & materialibus adeundos eſſe & paſcendos ſacrificiis, de qua re differentem vide JAMBLICHUM z). Quod ſi vero Homerus, ut eo nunc redeamus unde nonnihil divertit oratio, non Deos putavit eſſe, prorſus ἀσωματους, &, quod inde ſequitur, ἀορατους, aliquo tamen ſenſu ipſis tribuere videtur ἀορασιαν. Nempe Deorum ſpeciem humana eſſe longe auguſtiorem, ejus fulgoris & gloriae

x) Vid. comment. in Heſiodi Theogon. v. 640.
y) περι θυσιων p. m. 245.
z) L. C.

gloriae, ea majestate conspicuam, ut hebeti oculorum lumine videri non facile queat, quin Homerus crediderit non est cur dubitemus. Non enim aliam ob causam, quam ut sui fruendi copiam darent mortalibus, inducit in scenam Deos humanam simulantes faciem, posterioribus tantum partibus divinitatis peragentibus indicia. Qua de re dignus est, qui consideretur, locus ille in Iliade a) ubi Neptunus adflictos miseratus Graecos, Calchantis induisse dicitur vultum, eoque oris habitu se ambobus Ajacibus conspiciendum exhibuisse, qui sermonem cum Deo miscent, putantes vatem esse, at cum retro vestigia flecteret tum demum ex incessu cognovit Oilei filius, aliquid in ista specie latitare divinitatis: ita enim adloquitur Telamonium Ajacem:

Ἀιαν ἐπει τις νωι θεων οἱ ὀλυμπον ἐχουσι
Μαντει εἰδομενος κελεται παρα νηυσι μαχεσθαι
Ουδ' ὁγε καλχας ἐςι θεοπροπος οἰωνιςης
Ιχνια γαρ μετοπισθε ποδων, ἠδε κνημαων
Ρει ἐγνων ἀπιοντος. ἀριγνωτοι δε θεοι περ.

Quem locum egregie illustrat Calasiris apud HELIODORUM b). Primo enim in genere docet, quomodo numina, quorum major est

---

a) XIII. v. 68. seqq.

b) Aethiop. Hist. L. III. vid. Joh. SPONDANI comment. in Iliad. L. XIII.

eſt & fulgentior majeſtas, quam ut craſſo hominum viſui patere queat, ſeſe nonnunquam conſpicienda exhibeant; nempe mentiri ait rarius aliorum animalium, frequentiſſime vero hominum ſpeciem, quae quidem ſapientiores non fallit, ſed ſi attentius contempleris, diſſimuletur licet divinitas, quosdam tamen ex ipſis oculis ejus radios emicare videbis. Sic enim Achilles inde agnovit Minervam, quod [c]):

- - - - δεινω οἱ ὀσσε φαανθεν.

Ut plurimum vero, pergit Calaſaris, internoſces numen ex inceſſu, quod non diductis & transpoſitis pedibus, findentium magis auras quam tranſeuntium eſſe videtur, & vi quadam impetuque aerio expeditur. Id quod deinde adcommodat ad hunc poetae locum. Homerus, inquit, Aegyptiacae conſultus ſapientiae, hoc non ignoravit divinae adparitionis arcanum. Nam Neptunus anteriori quidem parte, qua ſe conſpiciendum praebuit Ajaci, Deum diſſimulat, at, dum tergum vertit, agnoſcebatur divinitas ab inceſſu, dicit enim Ajax τα ἰχνια ρει ἐγνων ἀπιοντος, οἱον ρεοντος ἐν τη πορεια. Ita ſcilicet exponit apud HELIODORUM Calaſiris poetae verba ρει ἐγνων ἀπιοντος: ut conſtet inde το ρει non referendum eſſe ad το ἐγνων, quaſi ſenſus foret, facile agnovi veſtigia abeuntis, ſed ad ἀπιοντος, τȣτ᾽ ἐςιν, ρεοντος ἐν

c) Il. I. 200.

ἐν τῇ πορεία. Quasi dicat Ajax: Calchas quidem vates nobis visus est esse, sed, nisi me mysteria fallant, Deus fuit, in humana specie qui adparuit. Nam dum abiturus tergum vertit, observavi illum non, humano more, motis pedibus incedentem, sed aerio quasi impetu, non tacta terra, fluentem vel avolantem, h. e. ῥεῖα ἀπιόντα. Quod vero Ajaci accidit, ut abeuntem Neptunum demum agnoverit, id Aeneae contigit apud VIRGILIUM d). Quum enim ventorum violentia in Africam delatus esset, obviam se ei tulit Venus:

Virginis os habitumque gerens & Virginis arma

Spartanae — — ;

dum vero id peregerat, cujus gratia virginis formam induerat, tum demum vultum avertens ab Aenea:

— — *vera incessu patuit Dea* —

Quod si sacra componere profanis religioni non fuerit: conferas id, quod gentilium philosophi docuerunt de Diis a tergo, ex incessu agnoscendis, cum sanctissimi Dei verbis ad Mosen e) ראית את־אחרי ופני לא יראה h. e. ut οἱ ό reddunt, ὄψῃ τὰ ὀπίσω μου· τὸ δὲ πρόσωπόν μου οὐκ ὀφθήσεταί σοι. Si vero eo consuluit poeta Deorum majestati, quod humano visui subducto vultu, posteriores

d) Aeneid. L. I. 318.

e) Exod. XXXIII. 23.

partes ei subjecerit, certe supremi Deorum Jovis majestatem & gravitatem felicius non potuit poeticis coloribus depingere, quam dum dicit, sub pedibus ejus vastum trepidare & concuti Olympum f):

τῶ δ' ὑπὸ ποσσὶ μέγας πελεμίζετ'
ὄλυμπος.

id quod alioquin ex solo capitis motu fieri ajunt poetae, ut OVIDIUS canit g):

Terrificam capitis concussit terque quaterque
Caesariem, cum qua terram, mare, sidera
movit.

Nec parum ad intelligendam Jovis majestatem id conferre existimat SPONDANUS h), quod in Homerico poemate is inducitur nonnunquam:

θεῶν ἄτερ ἥμενος ἄλλων i).

Ipsa, inquit, solitudo, & quod ceteris non permiscetur Diis, sed se ipso fruitur in otio, Deum exhibet, qui sola mente sentiatur, quique se solo contentus sit. Et quidem se solo contentum esse, nulliusque indigum rei, perfectio est soli vindicanda Deo: neque inepte dixeris eo, vel in genere ad felicitatem, qua prae ceteris gaudere putabantur Dii, respexisse poetam, quoties eos vocat *μάκαρας καὶ ῥεῖα ζώοντας* k). Quod quidem poste-

f) Il. VIII. 443.
g) Metam. I. 179.
h) Observat. in Iliad. V.
i) Il. V. 753.
k) Il. VI. 138.

posterius elogium, non in eum trahendum est sensum, quasi nihil agerent Dii, otiosi tantum rerum spectatores; sed eo valet, ut ostendatur, non tantum tumultus & seditionis expertem eos agere vitam, verum etiam quidquid deponunt operae in mundo regendo, atque hominum inprimis moderandis factis, id molestia carere omni & difficultate. Hic ergo locus vellit nobis aurem, & admonet, ut paucis etiam aperiamus, quid Homerus senserit de cura Deorum humanis impensa rebus.

§. 4.

Si quis alius, hic certe, qui de providentia Dei agit, lubricus est locus, in quo non gentilium tantum philosophi, sed permulti quoque eorum, queis divinior lux adfulsit, sine casu & prolapsione ingredi non potuerunt. Fuere, qui omnium cura rerum Deum absolverent: alii vero tantum quae lunari subjecta sunt globo, atque in specie humanas res, divino subducunt regimini & moderationi. Sic e. g. ARISTOTELES, licet non penitus Divinam providentiam rebus eximat creatis, contrahere tamen illam & justo arctius adstringere videtur. Quo enim res quaeque supremi domicilio numinis vicinior fuerit, eo magis dicit eam sentire se praemeantem divinam vim; quo fit, ut terrena omnia quam longissime abscedant ab adminiculante numinis

manu l). Hoc craſſiorem errat EPICURUS errorem m). Ne enim operoſis vitaeque felicitatem turbaturis negotiis Deum ſuum implicet, res omnes ſibi relinquit fortuito ferendas agitandasque. Praecipue vero in iſta devia abrepti ſunt inde, quod obſervaverint nonnunquam, proborum malorumque miſceri fata & confundi merita, quaſi, nullo ordine vel examine rerum, coeco omnia volutarentur impetu. Ita enim ſumus comparati, ut, dum res videmus non ex voto fluere, ſubirati Deo exclamemus cum Talthybio apud EURIPIDEM n):

Ὦ ζευ τι λεξω, ποτερα σ᾽ ἀνθρωπȣς ὁραν
Ἠ δοξαν ἀλλως τηνδε κεκλησθαι ματην
Ψευδη, δοκȣντας Δαιμονων ἐιναι γενος
Τυχην δε παντα των βροτοις ἐπισκοπειν.

Contra vero, ad votum fluente fortuna, lubenter accinamus choro apud eundem EURIPIDEM o):

Νω τηνδ᾽ ἀελπτον ἡμεραν ἰδȣσ᾽ ἐγω
Θεȣς νομιζω — . —

Quid vero de providentia divina ſenſerit Homerus, luculentiſſime oſtendit tota poematis ejus oeconomia. In Iliade panditur theatrum, ubi fortiſſimos inter heroas armis decernitur, ſub ipſorum auſpicio numinum. Non enim tantum tribuitur ſapienti ducum con-

l) Vid. ejus. lib. de mundo C. VI.
m) Vid. CICERO de natura deorum L. I. C. 17.
n) Hecuba v. 488.
o) ἱκετιδες v. 731.

consilio fortibusque militum armis, quantum Deorum nutui & regimini. Illi adsunt ubique, modo ingestis somniis ordinantes aciem, modo mentito hominum vultu se in mediam inferentes concionem, & languescentem pugnandi ardorem acri accendentes monitu. Si cadit quis in praelio, adfuit numen, quod hostilem direxit hastam: volantibus telis si quis subreptus incolumis evasit, propitio Numini acceptam referat salutem, quod vel alio avertit ipsi intentatum ictum, vel secreta ratione illum ex acie eduxit. Porro, si in Odysseae recessus te insinuaveris: offendes heroa, quem late circumtulerunt fata, non caeco rapta impetu, sed sapienti dispensata Numinis arbitrio: ut totum poetae epos sit quasi speculum, in quo contemplari liceat, quomodo, non consiliis tantum, sed actionibus quoque, mortalium moderandis divina se immisceat providentia, atque ubique, quod poeta ait p);

— — Διος ἐτελειετο βȣλη.

Ita ergo etiam formatos instructosque in scenam inducit heroas suos, ut non ferme aliud vel sentiant vel loquantur de providentia, quam hominem deceat, quem penitus pervaserit numinis sensus. Quum Ajax deprehenderet Hectoris ictu mutilatam sibi hastam inutilem reddi, quid Dii adversus se

p) Il. I. 5.

& Graecos meditarentur, illico cognovit. Scilicet:

> Γνω Αιας κατα θυμον αμυμονα ριγησεν τε
> Εργα Θεων, ὁ ῥα παγχυ μαχης ἐπι μηδεα κειρει
> Ζευς ὑψιβρεμετης τρωεσσι δε βȣλετο νικην[q].

Neque minus, quum, delapsi instar sideris, Jovis impulsu descenderet Minerva, Graecorum & Trojanorum confusura foedera, ex viso portento concludunt, aliquid Jovem meditari animo, quod humana consilia redditurum esset irrita. Nam:

> Ὡδε δε τις εἰπεσκεν ἰδων ἐς πλησιον ἀλλον.
> Ἠ ῥαυτις πολεμος τε κακος και φυλοπις αἰνη
> Εσσεται. ἠ φιλοτητα μετ' ἀμφοτεροισι τιθεσι
> Ζευς, ὁς τ' ἀνθρωπων ταμιης πολεμοιο τετυκται[r].

Et certe, qui heic panditur fabulae actus, dignus est qui perpendatur, quum specimen exhibeat providentiae humana nonnunquam confundentis consilia. Scilicet ictum jam erat foedus, quod omnes sperabant finem esse impositurum luctuoso Martis ludo. Aliter autem Diis visum; ut Ilium caderet, superum voluere scita, atque ideo viri induit Minerva speciem, & ad violanda foedera stimulat Trojanos, quo facto pugnae iterum

q) Il. XVI. 119. seqq.

r) Il. IV. 81. seqq.

iterum exardeſcit flamma totaque redintegratur belli ſcena, in qua

Barbarae poſtquam cecidere turmae,
Theſſalo victore, & ademtus Hector
Tradidit feſſis leviora tolli
Pergama Grajis s).

Quod ſi iſthoc commentum ſimpliciter & ad verbum explicaretur, haberet TERRASSONIUS t), ob quod reprehenderet Homerum, ejusque Deos perageret reos injuſtitiae in humanarum curatione & adminiſtratione rerum. Si enim ad iniqua perpetranda ſtimulant homines, non poſſunt liberari culpa malorum, quae noſtrum commaculant genus. Atvero ſi, ad PLUTARCHI monitum u), quae in poeticis fabulis ἀτόπως dicta videntur refutare placuerit iis, quae aliis in locis in contrariam dicuntur partem, non deerit Homero, quo objectum crimen eluat. Profecto enim, qui de hujus theologia vatis mitius ſentiunt, tam impiam de Diis immortalibus opinionem obtrudere non aequum putant illi, qui Deos ſuos vocat δωτῆρας ἐάων x), quod Deo dignum eſt elogium, nec pariter incedere poſſe videtur cum animo facili ad mala inferenda aliis. Iſtam utique culpam a ſe ipſe amovet Jupiter

s) HORATII Od. IV. L. II.
t) Diſſert. critique ſur l'Iliade d'Homere p. 111. Sect. II. Ch. IV. Art. III.
u) De audiend. Poet. C. IV.
x) Od. VIII. 325.

ter apud poetam, ita dum invehitur in homines, quibus religio non est malorum culpam in ipsa transferre numina y):

Ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Et licet id praecipue in hoc loco agere videatur Jupiter, ut calamitatum causam in hominum ipsorum inclinet malitiam, non multis tamen opus est ambagibus, ad ostendendum, etiam tacite illum a Diis amoliri moralium culpam malorum. Eo utique mihi referenda videntur verba Jovis, *σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν*, *suis ipsorum delictis*, quod dici omnino non posset, si quidem non homines, sed Dii, auctores essent *τῶν ἀτασθαλιῶν* humanarum. Neque praeterea video, an quisquam, sibi modo si constiterit, omnique ex parte secum ipse consenserit, malorum physicorum culpa liberare queat Deos, siquidem impellant homines ad mala moralia, poenis omnino expianda. Sed sic tamen negandum non est, etiam ad malas hominum actiones divinam permanare providentiam, ita, ut certos illis fines terminosque constituat, extra quos egredi non detur, tandemque id inde eliciat, quo totius consulatur perfectioni universi: inprimis

y) Od. I. 31.

mis vero, dum ad metam progressa malitia, immisso supplicio, castiganda est; miro se modo exserente divina rerum administratione: Caecutientibus quasi oculis, ipsi solent homines se erroribus implicare labyrintheis, pronoque lapsu ad ea ferri flagitia, unde naturali consecutione nascuntur supplicia; prorsus ut videri possint efficacioris caussae impulsu agi. Qui ergo liberaliter cum Homero agere vult, is dixerit, ut ceteris gentilibus, ita etiam illi observatam fuisse occultam hanc providentiae divinae viam, &, quum suarum putaverit esse partium, etiam arcana Dei consilia, queis mundus regatur, ad imagines revocare sensibus quasi usurpandas, non alia ratione credidisse melius se hoc defungi posse negotio, quam si diceret, Jovem, misso nuntio, incitavisse Pandarum ad violanda foedera: quum tamen non aliud senserit, utique sentire debuerit, nisi factum fuisse non sine providentia cuncta moderantis Dei, ut, quum exscindendum jam esset Ilium, ipsi Trojani caeci quasi ruerint in suam perniciem. Cui non multum absimili modo scriptura sacra pandit nobis perplexas istas providentiae divinae semitas. Ita enim denunciat Deus Judaeis supplicium, ut, si resilirent a foedere, se dicat percussurum esse eos caecitate & stupore cordis, ut clara luce se vagis circumacturi essent erroribus, veluti si quis spissas inter tenebras titubanti gressu ober-

oberret [z]). Et quum Achab, Iſraelis rex, id meruiſſet, ut hoſtium percuſſus telis caderet, dicuntur ejus prophetae, Dei juſſu, adflati falſo numine, eo impuliſſe regem, ut bellatum exiret adverſus Syros [a]). Quis vero inde arguerit, Deum eſſe fallacem & inſidioſis artibus mala machinari mortalibus? Profecto enim; ſi, ut decet, ſacri ſcriptoris verba explicueris, ſenſum invenies Deo digniſſimum; & tamen, quod ſummo numini heic vindicatur, conſilium, aliquid habere videtur cognationis cum eo, quod ſuo Jovi tribuit Homerus [b]) cum fingit, eum excitaturum in Graecorum animis Achillis deſiderium; fallaci immiſſo ſomnio ſtimulaſſe Agamemnonem ad milites producendos in aciem. Quod commentum TERRASSONIO [c]) videtur juſtiſſima dignum impietatis reprehenſione, quum Deum exhibeat captioſa fallacia in perniciem illicientem homines. Qui vero mitiorem acturus interpretem, quam dudum monſtravimus, etiam heic ſequi voluerit explicationis viam, is neque in hac fabula quidquam inveniet, ob quod tam manifeſtae ſtoliditatis nota poetae inuratur: quum dici queat, il-

lum

z) Vid. Deut. XXVIII. 28.
a) Vid. 1 Reg. XXII. 19. ſeqq.
b) Il. II. 8.
c) Differt. critique ſur l'Iliade d'Homere p. 111. Sect. II. Ch. II. Art. I.

lum de suo locutum esse numine humano more, atque non ingrata imaginum varietate ostendere voluisse, Jovem esse ταμιην πολεμοιο [d]). Sed vero, si quis temerarium esse putaverit, ita explicare poeticas Homeri fictiones, ut, quemadmodum externo habitu, ita etiam interno sensu consentire dicantur cum illis, quae scriptores divina collustrati luce de Deo & ejus providentia locuti sunt: non illi obstinate reluctabimur. Nostrum fuit ostendere, quomodo veritati convenienter, aliunde nobis notae, explicari queant. Si vero illam non ubique adsecutus est Homerus, in tanta lapsans caligine, mirum non est, quum etiam illi, queis clarior lux adfulsit, in perplexis hisce viis offenderint nonnunquam. Neque vero id tantummodo usu venisse novimus in istis providentiae divinae actibus, qui in malis hominum actionibus moderandis occupantur, verum etiam, dum de poenarum dispensatione sermo fuit. Cujus quidem rei mihi in mentem venit, dum observavi, TERRASSONIUM [e]) impietatis crimine compellare Homerum, & injuriosum vocare in providentiam divinam, quod sua nonnunquam ex Olympo eliciat numina ad innocentes plectendos cives ob insane delictum principis. Inprimis id crimini datur poetae, quod

---

d) Il. IV. 84.
e) L. C.

quod geminam Atridae insolentiam in Graecorum exercitum recidisse fingit, ita illorum fata dispensante numine. Primo enim, quum Apollinis sacerdotem injuriose repulisset Agamemnon, ab irato numine immissa pestilentia proborum & improborum funera miscuisse dicitur; atque iterum, quum iste Atrei filius injuria lacessivisset Graecorum fortissimum Achillem, adeo se acrem hujus vindicem exhibuisse fertur Jupiter, ut, quo ejus veniret maturius desiderium, robur interea addiderit Trojanis, Graecorumque copias torvo dederit spectaculo Marti. Praeclare scilicet, inquit, humanis rebus prospiciunt ista numina, quae ut unum vindicent stolidum militem, quaedam hominum millia lanienae addicunt. A nostro proposito alienam putamus istam quaestionem, an in poemate Epico observandas regulas secutus sit Homerus, dum effecta sistit non antegressis causis nexa, & in specie quidem inculpatos mores malorum consecutionem adferre facit. Hanc causam agat, si quis voluerit artificium ejus poeticum sub disquisitionis incudem revocare. Nostrum est ostendere non esse, cur in ejus philosophiam hoc nomine tanto animo a TERRASSONIO peroretur, quasi ista fictio injustitiae neglectaeque mortalium curae reos perageret Deos. Verum quidem est, non debere, ex justitiae regulis, innocentes alienae poenam culpae pendere. Sed, praeterquam

quod

quod tales ſint quaedam noxae, ut naturali nexu & ordine non poſſint non in poenarum ſocietatem plures, etiam innocentes, pertrahere, accidit nonnunquam, ut, dum ſe movet Numen ad puniendos mortales, probos & improbos nullo agere videatur diſcrimine; cujus quidem mirae diſpenſationis ſanctiſſimas eſſe rationes, etiam in ipſis quaerendas hominibus, qui plectuntur, in genere novimus; quum vero ſpecialiores cauſae nobis lateant, ſoli perviae Deo, dicimus innocentes nonnunquam involvi ſuppliciis, quorundam expiaturis delicta. Neque tamen quidquam dicimus, quod adverſetur illis, quae in ſacris pandectis manifeſtata ſunt. Sic enim, quum late manans peſtilentia Davidis temeritatem expiaret, denſata civium ſuorum funera miſeratus rex, his ferme Deum adit verbis: meum delictum hanc miſero populo acceleravit peſtem. In me ergo converte tela tua. Quid hic innocens grex fecit mali? Ut adeo judaica gens experiri & rex ipſe agnoſcere videatur quod HESIODUS canit [f]):

Πολλακι και ξυμπασα πολις κακυ ανδρος απηυρα.

Quae γνωμη, ſi modo, quem diximus, temperetur, ut nempe dicamus, tam late nonnunquam graſſantium poenarum latentiores eſſe cauſas, neque unice earum rationem quae-

f) Εργ. 240.

quaerendam esse in illo, cujus notorium crimen, omnium concessu, exegerit poenam, fundamenti instar esse potest, cui Homericae illi similis fictio superstruatur. Quod si vero hoc non distincte noverit Homerus, sed simpliciter tantum, quod fieri observaverat, verbis imitando exprimere voluerit, veniam meretur. Neque nos sumus adeo pertinaces ejus defensores, ut, dum quid ille senserit de Deo & providentia quaeritur, ad sanum sensum revocari omnia debere putemus, quae, dura licet videantur, mitigari tamen possunt, adhibito temperamento. Id vero omni adseveratione dixero, agnovisse Homerum providam Dei curam, per omnes mundi partes, & ad singula hominum negotia se diffundentem: ex qua sana doctrina emanantia praecepta, multiplicis plena utilitatis in vita & moribus, quum viderit & inculcaverit Homerus, nec nos breviter tetigisse pigebit. Et primo quidem, quum non nostro auspicio vivere liceat, sed sit Numen, quod nostra volvit fata, suoque sapientissimo regimine efficiat nonnunquam, ut nostrae ad irritum cadant spes, non est, cur sortes multa jaculemur, &, nulla Dei habita ratione, audeamus nobis in futurum multa polliceri. Sic, Deorum quasi immemor Achilles, quum Trojam proficisceretur, sua unice fretus fortitudine, pollicebatur quidem Menoetio, se Patroclum, ejus filium, incolumem esse reducturum; quum

vero

vero aliter fata tulissent, caeso Patroclo, agnovit stultitiam suam, ultro confessus, in consilio & potestate Jovis omnes positos esse eventus g):

'Αλλ', inquit, ὁ ζευς ἀνδρεσσι νοηματα παντα τελευτα.

Laboremus ergo & speremus, at eventum permittamus summi curationi Numinis; in quem sensum eleganter canit PINDARUS h):

Νυν δ' ἐλπομαι μεν Θεω γε μαν
Τελος — —

Quod si ergo fixum in animis nostris teneamus, Dei nos subjectos esse imperio & potestati, nec temere quidquam casu, sed supremi nutu Numinis, evenire, habebimus consolationem, quae, si quid ex voto non cesserit, dolori nostro medeatur, & obortas lacrimas abstergat. Hanc utique efficacissimam medicinam admovet Thetis Achilli, quem ad Patrocli funus in squalore & luctu jacentem invenit. Ita enim, prehensa manu, illum adfatur i):

Τεκνον ἐμον, τουτον μεν ἐασομεν ἀχνυμενοι περ
Κεισθαι ἐπειδη πρωτα Θεων ἰοτητι δαμασθη.

Et tanto quidem magis absonum est, vel fortunae, si minus faverit, subirasci, vel totum se tradere dolori, quum supremi rectoris & moderatoris viribus ac voluntati resistere

g) Iliad. XVIII. 328.
h) Olymp. Od. XIII.
i) Iliad. XIX. 8. seqq.

ſiſtere non poſſimus: quomodo in ceterorum coetu Deorum concionatur Juno k):

Νηπιοι, οἱ Ζηνι μενεαινομεν ἀφρονεοντες
— — φησιν γαρ ἐν ἀθανατοισι Θεοισι
Καρτει τε σθενει τε διακριδον ἐιναι ἀριςος,
Τω ἐχεθ' ὁ, τι κεν ὑμμι κακον πεμπησιν ἑκαςω.

Quin etiam ſi noſtri providum Numen cuncta intuetur & gubernat; non eſt, cur quis impunitatis ſpe in peccata ſe illici patiatur, quum raro antecedentem ſceleſtum deſerat pede poena claudo. Cujus memoria rei conſolatur Agamemnon ſuum dolorem, quum nefario Pandari ictu, vulnerato Menelao, inchoata foedera rupta eſſent. Si inquit, Jupiter, juſtiſſimus perfidiae vindex, debita Trojanorum ſupplicia differat, erit tamen aliquando illa dies, qua ruiturum ſit Ilium & perfidi hoſtes juſta conculcati foederis perſoluturi ſint ſupplicia l):

Ἐιπερ γαρ και ἀυτικ' Ολυμπιος ἐκ' ἐτελεσσεν
Ἐκ τε και ὀψε τελει. συν τε μεγαλω ἀπετισαν
Συν σφησιν κεφαλησι, γυναιξι τε, και τεκεεσσι.
Ἐσσεται ἡμαρ, ὁταν ποτ' ὀλωλῃ Ἰλιος ἱρη
Και Πριαμος, και λαος ἐυμελιω Πριαμοιο.
Ζευς δε σφιν κρονιδης ὑψιζυγος, ἀιθερι ναιων,
Αυτος ἐπισσειησιν ἐρεμνην ἀιγιδα πασι
Της δ' ἀπατης κοτεων — —

Deni-

k) Iliad. XV. 104. ſeqq.   l) Iliad. IV. 160. ſeq.

Denique, qui nihil sibi, omnia vero paternae Dei curae, gratissimo animo refert accepta, is, si quidem lautior contigerit sors, non ideo insolescat, aut prae se contemnat alios: si quis autem divinitus concessis muneribus tumuerit animo, illi succinamus verba, queis Agamemnon apud Homerum m) retudit ferociam Achillis, qui suis confisus viribus contumeliosa effutiebat verba:

Ἀλλ᾽ ὅδ᾽ ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων

Ἐι δέ μιν αἰχμητὴν ἔθεσαν Θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
Τοὔνεκά οἱ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι.

Quo loco redeo in memoriam elegantissimi moniti, quo Minerva, apud Sophoclem, dissuadet Ulyssi superbiam omnem & arrogantiam. Quum enim hic divinam praedicavisset potentiam & homines omnes dixisset esse nihil aliud, nisi εἴδωλα ἢ κούφην σκιάν, ita orditur Minerva n):

Τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, ὑπέρκοπον
Μηδέν ποτ᾽ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
Μηδ᾽ ὄγκον ἄρῃς μηδέν᾽, εἴ τινος πλέον
Ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.

§. 5.

Quum gentilium philosophis exploratum esset & perspectum, supremi nutu Numinis mundum &, in specie, humana negotia gubernari, & simul etiam scirent, infinito

 inter-

m) Iliad. I. 287. seqq.
n) Αἴας μαστιγ. v. 127. seq.

intervallo ab illo discludi mortales res, dixerunt eſſe quasdam ſubſtantias, ut PLATO loquitur, *μεταξυ του Θεου τε και θνητου*, quarum interventu ſe Deus cum hominibus communicet, & horum viciſſim preces & neceſſitates ad illum commeent. Ut vero ex veterum monimentis fidem faciamus dictis, e re non eſſe videtur, quum paſſim obvia iſtiusmodi illorum *φιλοσοφηματα* nemini non obſervata eſſe credamus. MAXIMO TYRIO o), Platonicae conſulto ſapientiae, vocantur *φυσεις αθανατοι, οι καλουμενοι αθανατοι δευτεροι, θεων μεν αθενεστεροι, ανθρωπου δε ισχυροτεροι, Θεων μεν υπηρεται, ανθρωπων δε επισαται, θεων μεν πλησιαιτατοι, ανθρωπων δε επιμελεσατοι.* Et quidem hujusmodi *δαιμονας* exiſtere, tum ex ipſa natura mundi, & in ſpecie hominum, queis ſine illorum auxilio non ſatis foret conſultum, probat iſte philoſophus, tum etiam exemplo Socratis confirmat, cui peculiaris adſignatus fuiſſe dicitur genius, comes & cuſtos adſiduus: quin etiam in ſuae praeſidium ſententiae excitat Homerum, quem divorum nomine, quos heroibus fideles adjungit tutores & patronos, intelligere ait *τινας δαιμονιους δυναμεις, συνισαμενας των ανθρωπων τοις ευμοιροτατοις και υπαρ και οναρ.* Et certe! quum Heſiodus, qui a Maeonide vate non longo temporis intervallo disjunctus putatur,

o) Diſſert. XXVII.

tur, partite & diſtincte differat de ortu & natura των δαιμονων, non fas fuerit omnem horum notitiam noſtro abjudicare: licet fateri cogamur, quod nobis prorſus ſatisfaciat, nihil dum in ejus ſcriptis nos obſervaſſe. Non enim firmum ſatis argumentum elicere nobis poſſe videmur ex frequentato ab Homero vocabulo δαιμονος, quum illud πολυσημον ſit, & tum generatim de Diis quibuscunque uſurpari ſueverit, tum etiam exponi nonnunquam poſſit de fortuna & fato. Sicubi vero fas fuerit δαιμονα exponere genium, dixero huc reſpexiſſe vatem, dum Minervam inducit ita inſtruentem Telemachum, qui ſcitabatur, quibus verbis Neſtorem adfari oporteret p):

— — ἀλλα μεν αὐτος ἐνι φρεσι σησι νοησεις
'Αλλα δε και Δαιμων ὑποθησεται, ὀ γαρ ὀιω
'Ου σε Θεων ἀεκητι γενεσθαι τε τραφεμεν τε.

Si, inquam, hic δαιμονος nomine intelligit genium Telemachi, concinunt verba ceterorum ſcitis philoſophorum, quos novimus, ita ſuum ſingulis, utique τοις ἐυμοιροτατοις, dare genium, ut dicant ſecreto illum monitu & adflatu ſuggerere non facienda tantum, ſed quae dicenda etiam ſunt nonnunquam. Neque adeo diverſus fuit hic Telemachi δαιμων ab illo, qui, interprete Antinoo, illum, inſidiis procorum Penelopes ereptum, ἀπηγαγεν ὀικαδε q). Cui vero iſta non

p) Od. III. 26. q) Od. XVI. 370.

non displicet explicatio, is nec aegre tulerit, si, quod filio concessum fuit, id etiam patri vindicemus privilegium, & sic dicamus illum *δαιμονα*, qui Ulyssi, exitium machinanti Polyphemo, *μεγα θαρσος ἐνεπνευσεν* [r]), fuisse ejus genium, qui in angustiis omnibus & periculis adfuit illi, & miro modo illum salvum & incolumem eduxit. Et si ulterius, Homerum interpretaturi, ceterorum vestigiis philosophorum insistere velimus, dixerimus Aeolum, dum ita adfatur Ulyssem, post infelicem navigationem ad se ventorum impetu reductum [s]):

Πως ἠλθες ὀδυσσευ τις τοι κακος ἐχραε δαιμων

ad pervulgatam illam respexisse opinionem, qua creditum fuit, esse etiam quosdam *κακοδαιμονας* & *ἀλαστορας*, quae in homines incursant, calamitatum auctores. Si quem morbus invadit, cujus forte causa ignoratur [t]):

— — *στυγερος δι ἐχραε δαιμων*

aut si navigationem impeditura tempestas excitatur [u]):

— — *χαλεπος τις ὠρορε δαιμων.*

Ut autem non prorsus negaremus, doctrinam de daemonibus Homero auditam & tactam fuisse, eo tamen progredi non audemus, ut, qui in scriptura tantum sacra panditur,

r) Od. IX. 381. s) Od. X. 64.
t) Od. V. 396. u) Od. XIX. 201.

ditur, illorum lapsum perspectum fuisse poetae adferamus. Quod enim Jupiter dicitur iratus comprehensam ἄτην de coelo praecipitavisse, addito jurejurando [x]):

> Μήποτ' ἐς ὄλυμπόν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
> Αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται.

id vereor, ut satis commode a JUSTINO MARTYRE [y]) illumque secuta DACIERA [z]) referatur ad casum Daemonis, quo coelesti gloria excidit, in illam nunquam restituendus. Nihil profecto! absoni dixisse videbimur, si quidem ἄτην dicamus esse poeticum numen, ideo confictum, ut in imagine conspiciendus exhiberetur furor ille, quo in flagitia quaevis acti ruunt mortales: hanc utique explicationem alias non respuit vocabulum hocce apud poetam. Sic dum Phoenix [a]) indicaturus etiam Deorum iram victam remollescere, dicit ἄτην, σθεναρήν τε καὶ ἀρτίποδ' laedere homines, totam pervagantem tellurem, atque pone sequi λιτάς, Jovis filias, quae, si quidem debito ab hominibus colantur honore, illato ab Ate damno medeantur, contra vero, si negligantur, id a Jove impetrant, ut scelestos homines insequatur ἄτη poenas exactura. Haec, inquam, dum coram Achille concionatur

Gg 4 Phoe-

x) Iliad. XIX. 128. seqq.

y) Orat. ad gent. p. 71.

z) Vid. TERRASSONII Diss. critique sur l'Iliade d'Homere P. III. Sect. II. Ch. V. Art. 2.

a) Vid. Iliad. IX. 498. seqq.

Phoenix, poetica usus fingendi licentia, veritatem aperit moralem; indicat nempe, ἄτην, h. e. furorem & peccandi libidinem, stimulare homines ad mala quaevis perpetranda, unde laesi Numinis ira concitetur: hanc vero conquiescere, si λιται colantur, h. e. si Deo admotis precibus peccati veniam implorant: & quod porro dicit, easdem λιτας neglectas, orare Jovem ut sinat ἄτην sequi & punire flagitiosum, id non alio valet, nisi ut ostendatur, eundem furorem, qui ad peccatum impulit hominem, si gratiam exposcere precibus neglexerit, eo usque illum exagitare, donec immisso supplicio flagitium expietur. Quum ergo fabula ἄτης ad sanum revocari possit sensum alium, non est, quod confugiamus ad rem, quae, nisi peculiaris accessisset manifestatio, abstrusa esset & humanae perspicaciae invia. Ceterum & nos piget diutius versari in argumento, quod ex Homericis scriptis expedire nos posse diffidimus. Ad alia ergo certiora properemus.

§. 6.

Sequitur itaque ut videamus, quatenus in cognitione sui progressus sit Homerus. Quod ingressis stadium, in ipso limine se nobis obvium dat vates, ultro professus, non totum se corporeum esse, in fumum & cinerem, dum fata ingruunt, vertendum, sed inesse praeterea in se substantiam ab

omni

omni ſegregatam materiali concretione, quae evitabit Libitinam. Sic utique de anima loquitur, ut, quin illam ſcierit ſeparatam eſſe a corpore ſubſtantiam, nullus ſuperſit dubitandi locus. Elpenor cadit ab alto & moritur, corpus relinquitur inhumatum b):

— — ψυχὴ δ' αἴδοςδε κατῆλθεν.

Et ſimul ceciderant Penelopes proci: excipit illorum animas Mercurius eoque deducit c)

Ενθα τε ναιεσι ψυχαι, ειδωλα καμοντων.

Neque aliud fatetur poeta in ſua νεκυια d), niſi vivere animas poſt corporis fata, in ſtatu, ut philoſophi loquuntur, idearum diſtinctarum, nec omni deſtitutas praeteritorum memoria: & quidem illas corporeis ſolutas vinculis, ad ampliorem promoveri perfectionis gradum, inde credidiſſe Homerum concludit SPONDANUS e) quod Elpenoris anima noviſſe ſe, ait, futurum eſſe, ut Ulyſſes, relictis Plutonis aedibus, navem adpelleret ad Aeaeam inſulam. Quum, inquit SPONDANUS, ex mente, ut putat, Homeri, hujus corporis vinculis adſtringitur anima, variis occupata negotiis, futura praedicendi facultatem minus exſerere poteſt, ubi vero libera eſt & ſoluta, tum perfectiſſime officio fungitur ſuo, adeo ut etiam futura intelligat. Ita vero ſi de anima

b) Od. X. 560. c) Od. XXIV. 14.
d) Od. XI. e) Comment. ad Od. XI. 69.

Elpenoris ſenſit Homerus, non ſecum ipſe, omni ex parte, conſentire videtur, quum eadem νεκυΐα alias in lucem extrahat animas, quae id ſçitantur ab Ulyſſe, quod per ſe ſcire debuiſſent, ſi quidem divinandi facultate praeditae eſſent. Haec vero utcunque exiſtimata erunt, id certe adfirmate dicere poſſumus, eſſe animas, ex philoſophia Homeri, corpori ſuperſtites & immortales; unde ſequitur, ut etiam immateriales ſint & ſpirituales. Omnis utique corporeae concretionis expertes eſſe docet Ulyſſem matris umbra [f]):

— αὐτη δικη ἐςι βροτων, ὁτε κεν τε θανωσιν
Ου γαρ ἐτι σαρκας τε και ὀςεα ἰνες ἐχουσιν
Αλλα τα μεν τε πυρος κρατερον μενος αἰθομενοιο
Δαμνα ἐπει κε πρωτα λιπῃ λευκ' ὀςεα θυμος
Ψυχη δ' ἠυτ' ὀνειρος ἀποπταμενη πεποτηται.

Sed vero dixeris, hinc tantum conſtare, non eſſe animam ex craſſiori materia compoſitam, quae contrectari manibus queat: quamdam vero animas a corpore ſejunctas habere ſimilitudinem & ſpeciem corporum, manifeſte docet poeta, quum Patrocli animam objiciat Achilli, & ſpecie oris & magnitudine referentem heroa vivum. Ita vero HOMERUS [g]):

Ἠλθε δ' ἐπι ψυχη Πατροκληος δειλοιο
Παντ' αὐτω μεγεθος τε και ὀμματα καλ' εἰκυια

Και

f) Od. XI. 217. ſeqq. g) Iliad. XXIII. 65. ſeqq.

Καὶ φωνήν. καὶ τοῖα περὶ χροὶ εἵματα ἕςο. Satis equidem provideo, non tibi satisfacturam responsionem, si dixero, non Patrocli animam se hoc loco Achillis oculis usurpandam offerre, sed inanem tantum ejus mortui imaginem dormientis imaginationem amici ludere, haud aliter, ac per quietem interdum videre nobis videmur defunctos amicos, qui tamen praesentes non sunt: quum in promtu esse queat, quod regeras, nempe, in tota Homeri νέκυια adparere defunctorum animas, eo habitu, quo fuerunt, donec in vivis erant: neque praeterea vocari posse εἴδωλα καμόντων h), nisi umbrae essent & corporum speciem haberent. Itaque observandum, etiam hic se prodere poeticam libertatem. Nempe, qui veritatem a fictione secernere didicit, is non potest non per se videre, nihil indicatum esse aliud, nisi defunctorum animas superstites esse post mortem, interno idearum, inclinationum & morum habitu a se discretas, atque ideo, ut ad imaginem revocet, quod alioquin sub sensum non cadit, dat cujusque animae umbram illius corporis, quod circumtulerat prius, ut inde constaret, hujus esse animam, non alterius cujusdam. Quam poetici stili elegantiam etiam recentiorum permultos sectatos novimus, qui dialogos mortuorum contexuerunt. Neque tamen obstinate re-

lucta-

h) Iliad. XXIII. 72. Od. XI. 475.

luctabimur, si quis existimaverit, non procul abesse a mente poetae, qui dixerit proprium hic retinendum esse verborum significatum, atque defunctorum animas ideo vocari *ειδωλα καμοντων*, quod vel sint, vel habeant sibi circumfusum quoddam quasi corpus. Creditum forte fuit, soluto per mortem commercio inter animam & corpus, remanere hujus quoddam simulacrum, cum quo anima societur, & in quo sui fruendi copiam concedat aliis: illud vero non esse corpus, qualia sunt, quae manibus contrectari & sensibus usurpari possunt, sed quasi corpus, ut palam faceret Homerus, fingit fumo vel umbrae simillimum esse, quae adparet quidem sua internoscenda figura, at, si comprehendere volueris, nihil esse deprendes, quod teneri queat. Sic enim, amplexus effugiente matris umbra, queritur Ulysses [i]):

> Τρις μεν ἐφωρμηθεν, ἑλεειν τε με θυμος
> ἀνωγε
> Τρις δε μοι ἐκ χειρων σκιη ἰκηλον ἠ και ὀνειρω
> Ἐπτατ' — — —

Ad quorum exemplar verborum haec formata videntur VIRGILII de Aenea, itidem petente visi apud inferos patris amplexus [k]):

> *Ter conatus ibi collo dare brachia circum,*
> *Ter frustra compreusa manus effugit imago*
> *Par levibus ventis volucri quo simillima somno.*

Quo

i) Od. XI. 105. 7. k) Aeneid. VI. 700.

Quo loco adnotasse juvabit, JOH. SPONDANO [l]) videri tutissimam viam hanc rem expediendi, si dicamus creditum prisco aevo fuisse, tria esse in homine observanda, corpus, animam & imaginem. Corpus occidit, & vel igne absumitur, vel in terra putrescit: ejus imago, quam Homerus vocat εἴδωλον, descendit in ἀδην, locum in terra abstrusum & recipiendis mortuorum umbris destinatum: anima vero vel sociata cum imagine eodem descendit, vel coelum petit, remanente nihilo minus apud inferos τῳ εἰδώλῳ. Ne vero hanc philosophiam Homero invito obtrudere videatur, adfert, quod de suo ad inferos descensu memorat Ulysses [m]): dicit scilicet se etiam ibi vidisse βιην Ἡρακλειην, quod ne audientium quisquam de Hercule ipso interpretaretur, quem Deorum coetibus insertum fuisse, communis ferebat fama, corrigit quasi in hunc modum verba sua:

Ἐιδωλον· αὐτος δε μετ' ἀθανατοισι θεοισι
Τερπεται ἐν θαλιης — — —

quasi dicat: vidi quidem apud inferos Herculem, sed ejus tantum εἰδωλον, nam corpus absumsit rogus in Oeeta monte, anima vero Deorum adscripta coetibus in coelo fruitur non enarranda felicitate, ut sic nihil supersit, quod Plutonis domus capiat, praeter εἰδωλον. Quod si tibi videatur, posse ex hoc poetae loco

---

l) Comment. ad Od. XI. 602. m) Od. XI. 602.

loco concludi, praeter animam, superesse mortuo corpori ejus εἴδωλον; monstrabo tibi locum alium, qui, an istam confirmet sententiam, ipse videris. Quum Achilles frustra petiisset oblatae sibi Patrocli amplexus umbrae, ita secum de natura mortuorum loquitur [n]):

Ὢ πόποι ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισι
Ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι
πάμπαν.

Certe, qui in suos usus nihil non convertere novit, facile ex his verbis elicuerit, tria illa, quae ex veterum mente SPONDANUS dicit esse in homine observanda: nempe primo manifestissimum esse videtur, ψυχὴν καὶ εἴδωλον esse distincta, licet binae hae partes junctae esse dicantur εἰν ἀΐδαο δόμοισι, & deinde & ψυχὴν & εἴδωλον carere dicit φρεσὶν, quod vocabulum non incommode Scholiastes Graecus hoc loco exponit, ὅλον τὸ σῶμα. Ut sensus verborum Achillis hic esse queat: nunc ego deprehendi vivere animam, mortuo homine, & superesse etiam quamdam quasi umbram, quae simillima sit corpori, sed corpus est nullum, quod tangere & amplecti queas. Dixerit etiam aliquis, non aliunde natam esse doctrinam de spectris, quam quidem inde, quod εἴδωλα hominem scierint post fata manere. Ita enim intellectu facile fuit, qui fieri potuerit, ut, quum cor-

n) Iliad. XXIII. 103. 4.

corpus abierit in fumum & cineres, mortuus tamen adesse nonnunquam videretur vivis; idque, vel ut bene consulat, vel ut eos hostiliter exagitet. Id fieri & posse & consuevisse, credidit Dido, atque ideo minatur, apud VIRGILIUM o), nullam se mortuam daturam esse Aeneae quietem:

Sed quum frigida mors anima seduxerit artus
Omnibus umbra locis adero: dabis improbe! poenas.

Forte etiam, dum Elpenor, apud Homerum p), jubet Ulyssem, ab inferis reducem, sibi justa persolvere, ni ipse fieret τι θεων μηνιμα, non aliud indicat, nisi suam umbram omnibus in locis illum exagitaturam esse. Cur vero de impertiendo sibi sepulturae honore adeo sollicitus fuerit heic Elpenor, & alias Patroclus q), ea putatur ratio esse, quod persuasum fuerit, inhumatorum umbris nullam dari quietem, nec in Plutonis aedes patere ingressum, sed vagis illas erroribus agitandas esse: uti coram Achille queritur Patrocli anima r):

Θαπτε με ὁττι ταχιϛα πυλας αιδαο περησω
Τηλε με ἐιργεσιν ψυχαι, ἐιδωλα καμοντων,
Ὀυδε με πως μισγεσθαι ὑπερ ποταμοιο ἐωσιν
Ἀλλ᾽ ἀυτως ἀλαλημαι ἀν ἐυρυπυλες αιδος δω.

Neque aliam existimavero fuisse rationem, cur naufragium tantopere reformidaverint, quam

o) Aeneid. IV. 385. p) Od. XI. 73.
q) Iliad. XXIII. 71. seq. r) ibidem.

quam quia viderint cadavera tumuli expertia fore eſcam piſcibus: Homerum enim credidiſſe, animam eſſe igneam, in elemento contrario exſtinguendam, atque ob hanc cauſam propoſuiſſe naufragium tanquam horrendum mortis genus, id neſcio unde hauſerit SERVIUS s). Ceterum quae ſapientiorum gentilium alios, ea etiam Homerum imbuit perſuaſio, fore ἐν ᾅδῃ cujusque animae ſtatum, qualem acta in corpore vita exigeret. Neque enim alio ſpectant etiam ab hoc poeta celebratae fabulae Tityi, Tantali, Siſyphi, quorum quisque ſuum perferre fingitur ſupplicium in inferorum regno, niſi ut indicetur non impune quemquam flagitioſum eſſe & contemnere divos.

§. 7.

Hoc ergo in ſtadio quum jam ſatis deſudaverimus, ad calcem properantes, viſuri tandem ſumus, quo ſucceſſu vates noſter coluerit ſcientiam, quae a moribus nomen trahit. Ubi primo omnium monendum eſt, quod & in genere obſervavimus ſupra, diſciplinis practicis non tum fuiſſe eum inductum habitum, quo poſt ARISTOTELIS tempora ſuperbierunt. Non diſtincte perceptam animo habuiſſe videntur ideam legis, juris & obligationis, nec ad generale principium revocare didicerant, quae homini colenda ſunt

s) Comment. ad Virgilii Aen. I. 97.

ſunt officia ſingula. Haec & permulta alia, quae ad conſtringendam arctius ſyſtematicam hujus diſciplinae compagem neceſſaria ſunt, enodatius explicandi gloria debebatur recentiori aevo. Iſtius ſuffecit ſimplicitati temporis, quandam habuiſſe a natura datam juſti atque honeſti informationem, & ſine ullo definitionum, diſtinctionum & demonſtrationum adminiculo noviſſe, quid cuique ad felicitatis metam properanti faciendum fugiendumque eſſet. Quam vero hujus non rudis ſcientiae fuerit Homerus, tota nos docet poematum ejus oeconomia. Haec enim ſpectandos nobis exhibet heroas, quorum cuique ſua datur indoles & peculiaris morum habitus, quem exprimunt deinde verba & facta, quae ipſi adſignantur. In hanc ſcenam ſi te tradideris, invenies Agamemnonem plerumque juſtitiae & religionis ſervantem, Hectorem & Ajacem, ſuo monſtrantes exemplo, quo deceat animo ſubire bellicum laborem, Ulyſſem videbis callidum & ſagacem, & Achillem denique trucem, aſperi & intractabilis ingenii. Certe qui tot tamque diverſas morum imagines, imaginationis virtute feliciter effictas, ſiſtere valuit, eum oportuit diligenter ſcrutatum fuiſſe humana ingenia, & quid in illis foret laudandum, quidque vituperandum; quemadmodum viciſſim, qui diſcendi ſtudio ſe permoveri patitur ad noſtri pervolutanda poemata, is non exemplis minus heroum, quam in-

fertis passim egregiis admonitionibus & praeceptis; formare sibi poteſt regulas, quas in omni vita tuto sequatur. Neque tamen quicquid ab Homericis heroibus factitatur & dicitur, tibi ad imitandum esse propositum, aut quid poeta de justo & aequo senserit, inde spectandum existimes. Depingit enim homines non summa integritate & innocentia praeditos, sed naturae ductum secutus, inducit nonnunquam truces animo & adfectuum turbine a recto tramite abreptos, ut non illos imiteris, sed discas potius illorum exemplo, quid cavendum tibi sit. Supremo exhibendam duci obedientiam omnem contumaciter abjicit Achilles, & privatae consecrat irae publicam Graecorum salutem: quo quidem ipso non tibi exemplo praeit, sed monet compescere furorem, & obedienter parere illi, cui summa rerum est commissa. Et Agamemnon ipse, cetera justi & religionis servantissimus, adfectibus succumbit nonnunquam, &, neglecta pietate, contumeliose repellit Apollinis sacerdotem, conculcataque justitia, eripit Pelidae captivam, quam in deliciis habuit. Itaque qui in moribus proficiendi studio adlectus ad nostri poemata accedit, perpendat diligenter, quid quisque & quo animi habitu dicat & faciat. Atque sic fiet, ut inde haurire queat, quod & pietati & honestati ac justitiae acuendae inserviat. Et quidem, quod ad officia attinet, quae Deo sunt exhi-

benda, quum illorum explanatio sibi in practica philosophia locum vindicet praecipuum, non fas fuerit hoc loco intactum praeteriisse, quod ad pietatem combibendam utile docuit HOMERUS; quo spectantia porismata quaedam ex doctrina poetae de providentia divina supra etiam §. 4. elicuimus. Id vero nunc primo omnium monendum ducimus, existimatum eo tempore fuisse, praecipuam religionis partem in sacrificiorum solemnitatibus positam fuisse, & tum demum officiis Deo debitis fore ab hominibus satisfactum, si rite illis defungerentur; contra vero irritari numina, si illas desidiose & negligenter obirent. Atque istam ob causam, si quid adversi incidebat, ejus causam quaerebant in sacrificiorum neglectu. Sic enim, quum immissa ab Apolline pestilentia Graecorum popularetur exercitum, vatem arcessi jubet Achilles, qui, Deorum conscius & interpres consiliorum, aperiret causam cur:

— — τοσσον ἐχωσατο Φοιβος Απολλων.
Ειτ᾽ αἐρ ὁγ᾽ ἐυχωλης ἐπιμεμφεται ἐιθ᾽ ἑκατομβης [t]).

Scilicet persuasum erat, non temere & casu quodam ista inter milites vagari mala, sed esse illa manifestissima laesi numinis indicia, cujus ira tum demum conticesceret, si, in quo cessaverant, sacra faciendi officium re-

t) Iliad. I. 64.

ligiosius colerent, ut verbis sequentibus indicat Achilles. Nec minus e Trojanis Aeneas indicare videtur sui infortunii auctores esse homines ipsos, flagitiosa vita & desidioso pietatis cultu. Ita enim Pandarum hortatur ad pugnam acriter conserendam, ut se sperare indicet felicem successum:

Ἐι με τις Θεος ἐςι κοτεσσαμενος τρωεσσιν
Ιρων μηνισας· χαλεπη δε Θεε ἐπι μηνις [u]).

Et in eo quidem omnis vertitur pietatis cardo, ut primum sciamus, odisse Deum mala quaecunque, cujus veritatis meminit coram Ulysse Eumaeus:

Ὀυ μεν σχετλια ἐργα θεοι μακαρες φιλεεσι [x])

&, quod inde sequitur, ut persuasum habeamus, acerrimum esse illum flagitiorum vindicem; qua de re haec nunc occurrit elegantissima & vere pia Ulyssis sententia [y])

— — Ζευς τε και ἀλλες
Ἀνθρωπες ἐφορα και τινυται ὁςις ἀμαρτη.

Certe enim, cui in animo fixum sedet, esse Θεε χαλεπην μηνιν, atque ipsi esse ἐκδικον ὀμμα [z]), is habet fortissimum argumentum, quo tum in genere absterreatur a malo, tum in specie pietatis ardore accendatur animus, ut nec unquam obliviscatur moniti Menelai [a]):

Οι δ' ἀιει βελοντο Θεοι μεμνησθαι ἐφετμεων.

Scili-

u) Iliad. V. 177. 8. x) Od. XIV. 83.
y) Od. XIII. 213. z) Batrachomyomachia v. 96.
a) Od. IV. 353.

Scilicet, sunt quidem illae rationes, quae ex interna actionis honestate aliisque circumstantibus rebus depromuntur, satis ad flectendam voluntatem efficaces, sed praeponderant tamen illae, quas cuncta cernentis respectus numinis suggerit. Id non ignoravit Priamus. Quum enim occisi cadaver Hectoris redemturus ad Achillem accessisset, deflet primum miserabiliter orbitatem suam, atque admonet insuper illum patris sui, inde vero, quod vel ad maxime inexorabile ingenium efficacissimum putabat, revocat animum ejus ad memoriam numinum b):

Αλλ', inquit, *αιδειο Θεους Αχιλλευ*

quasi dicat: si nec mea miseria & adflictio, nec patris respectus te movere potest, ad hoc mihi exhibendum pietatis officium, at certe memento Deos esse, qui, ut ipsi solent miserescere adflictorum, ita nec inultum passuri sunt, qui justas miserorum preces contemnit. Neque alia ratione asperum Cyclopis animum se flectere posse credebat Ulysses. Ita enim, in extremum adductus vitae periculum, adfatur illum c):

Αλλ' αιδειο, Φεριστε, Θεους· ικεται δε τοι ει μεν
Ζευς δ' επετιμητωρ ικεταων τε ξεινων τε
Ξεινιος, ὁς ξεινοισιν ἁμ' αιδοιοισιν ὀπηδει.

Qui vero ita reveretur Deum, ut & semper sit memor sacrorum ipsi ex lege offerendo-

b) Iliad. XXIV. 503. c) Od. IX. 269. seq.

rum, & nullarum non actionum motiva desumat ab ejus perfectionibus, is non pius tantum, sed etiam vere sapiens & prudens haberi debet: quomodo Eumaeus dicitur ideo κεχρηϑαι φρεσιν ἀγαϑησιν, quod nunquam ἐληϑετο ἀϑανατων d). Neque vero tantum est necessarium habere animum sensu numinis imbutum, sed perutile quoque est in omni praxi morali, bene novisse se ipsum & communis fragilitatem naturae. Dubito sane, an secundum metum Numinis, quidquam sit ad contundendam audaciam & peccandi lubidinem efficacius, quam adsidua meditatio humanae imbecillitatis & caduci rerum omnium floris. Digna ergo quae semper volvantur animo sunt verba Ulyssis e):

> Ὀυδεν ἀκιδνότερον γαια τρεφει ἀνϑρωποιο
> Παντων, ὁσσα τε γαιαν ἐπιπνειει τε και ἑρπει.

quibus Ithacensis ille haec subjungit sobria philosophemata: tale ferme est hominum ingenium, ut, dum hilari vultu fortuna blanditur, suae quasi sortis obliti, insolentius sese efferant majoresque credant, quam ut illis posset fortuna nocere: contra vero, si rerum mutatur facies, & malorum tempestas ingruit, franguntur animo. Id quod, pergit Ulysses, etiam mihi usu venit: fuit enim, quum ego mih viderer in ipsa felicitatis

---

d) Od. XIV. 421.

e) Od. XVIII. 129. conf. Iliad. XVII. 446.

tatis arce ſedere, inde nunquam dejiciendus, qua fretus ſpe atque inſuper confiſus genere & cognatis meis

Πολλα δ'αταϑαλ' ἐρεξα, βιη και καρτει εικων.

uſu vero edoctus, quam nihil ſit rerum humanarum, cui tuto fidas, ſuaſero, ut, ridente fortuna, nihil agas inſolenter, ſed ejus munera reverenter habeas:

Τω μη τις τοι παμπαν ἀνηρ ἀϑεμιςως ειη
'Αλλ' ὁγε σιγη δωρα Θεων ἐχοι ὀττι διδοιεν.

Et hic certe eſt uſus hujus loci qui de humana agit fragilitate & omnium inconſtantia rerum, ut cautiores fiamus & moderatiores. Nimirum, quum fluxa ſint omnia & volubilia, ſubitoque caſu, quae dudum valuere, ruant, nihil agamus adrogantius, aut inſolenti uſu munerum nobis conceſſorum Nemeſin accerſamus: ſed potius, ſi quem videmus infelicem noſtraeque indigum opis, conſilio eum juvemus & re, memores, & nos eadem natos eſſe lege, ut fortunae injuriis ſimus expoſiti: atque ſic imitemur Nauſicaam, quae his verbis excipit Ulyſſem, multis jactatum caſibus omniumque egenum:

Νυν δ'ἐπει ἡμετερην τε πολιν και γαιαν ἱκανεις,
'Ουτ' ἐν ἐσϑητος δευησεαι, ἐτε τεν ἀλλε
'Ων ἐπεοιχ' ἱκετην ταλαπειριον ἀντιασαντα f).

f) Od. VI. 190. ſeq.

Quo maxime benigno & hoſpitali animo, ita deinde peregrinum hunc curae commendat famularum g):

> Αλλ' ὁδε τις δυϛηνος αλωμενος ενθαδ' ικανει
> Τον νυν χρη κομεειν· προς γαρ Διος εισιν απαντες
> Ξεινοι τε πτωχοι τε δοσις δ' ολιγη τε φιλητε
> Αλλα δοτ', αμφιπολοι, ξεινω βρωσιν τε ποσιν τε.

Egregia profecto verba, nec indigna, quae omnium infigantur animo: Non ſine ſupremi nutu moderatoris fit, ut oberrent pauperes & miſeri, ut eadem canit Nauſicaa h):

> Ζευς αυτος νεμει ολβον ολυμπιος ανθρωποισι
> Εσθλοις ηδε κακοισιν οπως εθελησιν εκαϛω.

Atque ideo, ſi quem proſtratum vides, erigas, ſi errantem cernis & inedia confectum, hoſpitio excipias & cibo. Nam & tua fata abſtruſit Deus, prorſus ut ignores, quid adverſus te fortuna meditetur. Inprimis vero talem te exhibeas, quum ita ſint homines comparati, ut, ſi quem norunt immiti eſſe animo atque ab omni averſum humanitatis ſenſu, eum deteſtentur, contra vero ament & libenter, ut tulerint facultates, juvent, ſi quem tangi viderint aliorum commiſeratione & benefaciendi ſtudio. In quam ſententiam egregie concionatur Penelope i):

'O

g) Od. VI. 205. ſeq. h) ibid. v. 187.
i) Od. XIX. 329. ſeq.

> Ὃς μὲν ἀπηνὴς τ' αὐτὸς ἔῃ καὶ ἀπηνέα εἰδῇ
> Τῷ δὲ καταρῶνται πάντες βροτοὶ ἄλγε' ὀπίσσω
> Ζωῷ, ἀτὰρ τεθνεῶτι γ' ἐφεψιόωνται ἅπαντες.
> Ὃς δ' ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔῃ καὶ ἀμύμονα εἰδῇ
> Τοῦ μέν τε κλέος εὐρὺ διὰ ξεῖνοι φορέουσι
> Πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, πολλοί δέ μιν ἐσθλὸν ἔειπον.

Quo eodem argumento flectere se posse putat Penelope Ithacenses ad coercendam procorum petulantiam. Audivistisne, inquit ad Medonem k), a patribus vestris, quali in cives suos fuerit Ulysses animo. Non, qui mores sunt aliorum regum, quibusdam bene, aliis malefecit, sed, ut aeque sibi omnium animos devinciret, justi semper fuit & aequi servantissimus; cujus nunc vos meminisse oportuit &, quam meruit, accepti beneficii gratiam rependere:

> Ἀλλ' ὁ μὲν ὑμέτερος θυμὸς καὶ ἀεικέα ἔργα
> Φαίνεται, οὐδέ τίς ἐστι χάρις μετόπισθ' εὐεργῶν.

Hujuscemodi Ulyssis ingenium tibi sit exemplo, quod imiteris: dum te prona comitatur fortuna, aequaliter, quoad ejus facere poteris, singulis impertias amorem, ut, si quando te urserint angustiae, sint, quorum fidem experiaris & benevolentiam.

k) Od. IV. 688. seq.

Hoc vero nequaquam consequeris, si, ut in proverbio est, aliud in titulo, aliud in pyxide habueris, h. e. si vultu quidem & verbis benefaciendi studium simulaveris, altum vero corde presseris odium & simultates. Quis enim est, quin oderit homines duplices, quales erant Penelopes proci l):

Οἱτ' ἐυ μεν βαζουσι, κακως δ' ὀπιθεν φρενεουσι.

Scilicet blanditiis & amicitiae simulatione se in Telemachi familiaritatem insinuare studebant, at ipsi clanculum exitium moliebantur m):

Ἐσθλ' ἀγορευοντες, κακα δε φρεσι βυσσοδομευον.

Quisquis, inquam, vir frugi est & sapit, exemplo Telemachi, personatos fugit amicos, eorumque fallaciam hisce retundit Achillis verbis n):

Ἐχθρος γαρ μοι κεινος ὁμως ἀιδαο πυλησιν
Ὁς χ' ἑτερον μεν κευθει ἐνι φρεσιν ἀλλο δε βαζει.

Quin etiam si aliorum amicitiam & prompta studia tibi conciliare velis, ne intumescas ob levissimas offensas, aut sis irae implacabilis o):

— — φιλοφροσυνη γαρ ἀμεινων

atque

l) Od. XVIII. 167. m) Od. XVII. 66.
n) Il. XI. 313. o) Iliad. IX. 256.

atque ideo nec te decet p):

Νηλεες ἦτορ ἔχειν· ϛρεπτοι δε τε και Θεοι αὐτοι.

En! quam apte hic Phoenix remittat Achillem ad Deorum exempla, qui ita irascuntur humanis delictis, ut tamen se flecti patiantur: at alia via in irati Pelidae animum penetrat Ulysses; admonet enim illum favoris & studii Graecorum in se promtissimi, si quidem furorem compesceret q):

Ληγεμεναι δ'ἐριδος κακομηχανȣ, ὀφρα σε μαλλον

Τισωσ' ἀργειων ἠμεν νεοι ἠδε γεροντες.

Praeterea non parum ad patientiam malorum corroborandam profuerit, adsidue secum meditari, qua lege nati simus omnes & quomodo supremi moderationi numinis sint omnia subjecta. Profecto enim qui percepit animo, quod in hanc sententiam dicit Achilles r):

Ὡς γαρ ἐπεκλωσαντο Θεοι δειλοισι βροτοισι

Ζωειν ἀχνυμενȣς — —

atque eodem spectantia alia s):

Τȣτο νυ και γερας οἱον ὀιζυροισι βροτοισι

Κειρασθαι τε κομην βαλεειν τ'ἀπο δακρυ παρειων.

is non temere se luctu macerat, quum sciat hanc esse communem hominum sortem, & quod t):

'Ου

p) Iliad. IX. 493. q) Il. IX. 267. r) Il. XXIV. 525. s) Od. IV. 197. t) Iliad. XXIV. 524.

'Ου — — τις πρηξις πελεται κρυεροιο γοοιο.

Atque si iisdem suum dolorem consolatur verbis, quibus Nausicaa conabatur adflicto mederi Ulyssi [u]):

Και πȣ Σοι ταδ' εδωκε (sc. Ζευς ὀλυμπιος)
Σε δε χρη τετλαμεν εμπης.

Quasi dicat: non invito Numine, nec praeter consuetum ordinem in hanc incidisti calamitatem: ergo perfer & obdura. Possemus quidem hujus generis permultos alios flores, in Homericis hortulis decerptos, hisce nostris intexere corymbis, & differere de pactorum sanctitate, de adfectuum vi & efficacia in mores, aliisque quam plurimis, nisi memores essemus, non propositum nobis esse integrum contexere Homericae philosophiae systema, sed ejus tantum perbreve specimen sistere; atque ideo, quum tota ferme moralis philosophia ad haec revocetur generalia praecepta: cole Deum, nosce te ipsum, & aliorum stude commodis & felicitati, quae HOMERUM vidimus sedulo inculcavisse, non est, quod quidquam nunc adclamus. Ubi ergo, quod unicum nunc restat, carptim & breviter defuncti fuerimus opera perlustrandi politicam Homeri, manum de tabula detrahemus.

§. 8.

Fuere, qui ut in ceteris scientiarum generibus, ita in politicis studiis excelluisse con-

u) Od. VI. 189.

contendunt Homerum; atque eo usque ejus admiratores progrediuntur, ut non aliud eum in Iliade & Odyssea egisse adserant, nisi ut suis numeris absolutam reipublicae regundae imaginem effingeret. Verum, ut alias semper, dum de sapientia Homerica sermo est, ita etiam hic extra cancellos evagari fas non erit. Fuisse etiam Iliacis temporibus permulta civilia systemata, quae non aliunde habuerint suae firmamentum stabilitatis, quam ex servato parentium & imperantium ordine, permultis constat argumentis ex Homerico eruendis poemate: ut vel inde concludere possimus, non ignoravisse poetam, qua ratione coeat reipublicae compages, & quibus sustineatur fulcris. Quum vero huc spectantia effata non pauca ejus operibus inserta legantur, nec nos pigebit, quoddam eorum instituere spicilegium. Et quidem, quod vel maximo profuerit agnovisse, non uno in loco inculcat poeta regiam majestatem esse summam, non aliunde quam a Deo derivandam. Cui fidem facturi rei ex multis bina tantum adferemus loca. In altero horum ita Agamemnonem adfatur Nestor x):

'Ατρειδη κυδιςε ἀναξ ἀνδρων Αγαμεμνον
'Εν σοι μεν ληξω, σεο δ'ἀρξομαι, ἑνεκα πολλων

Λαων

x) Iliad. IX, 96. seq.

Λαων ἐσσι ἀναξ, και τοι Ζευς ἐγγυαλιξε
Σκηπτρον ἠδε θεμιςας ἱνα σφισι βϑλευηϑαι,
κ. τ. λ.

Quibus gemina sunt Ulyssis verba y):

Ἑις βασιλευς ὡ ἐδωκε κρονϑ παις ἀγκυλομητεω
Σκηπτρον τ' ἠδε θεμιςας ἱνα σφισιν βασιλευη.

Duo ergo praecipue regibus vindicanda decora ex Deo deducit poeta, σκηπτρον puta & θεμιςας, quorum illud regiam designat potestatem, qua in sui obsequium adigere cives suos possit, hoc vero leges & normam illam notat, ad quam imperium sit administrandum. Utrumque divinam agnoscit originem: in regia potestate quoddam cernimus simulacrum illius potestatis, qua Deus armatus toti imperitat mundo, neque sine peculiari cura & divina dispositione factum est, ut in civilia corpora coaluerint homines ab uno gubernanda capite, atque ideo vocantur reges passim a poeta ἀρχτϑεοι, διογενεις δii φιλοι. Et quod ad θεμιςας attinet, est quaedam in ipsa natura fundata regula, ad quam publicae consulturus saluti princeps rempublicam gubernet, quo sensu non inepte dixeris, θεμιςας esse a Deo: quod etiam alio in loco apertius prodit poeta dicens reges θεμιςας προς διος εἰρυεϑαι z). Ita ergo quum sit: nihil ex sua libidine agat princeps, sed sequatur legem ipsi a Deo prae-

y) Iliad. II. 205. z) Iliad. I. 239. (x

praescriptam, nec spernat sapientiorum consilia: quomodo & in adlato loco & alias Nestor dicit Agamemnonis esse, audire consilia aliorum & obedire illi, ὅς κεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ. Ut vel hinc constare queat, in persona Agamemnonis non sisti imaginem principis omni soluti legum vinculo: neque adfirmate dixero, monarchicum, ut dici solet, imperium commendari ab HOMERO. Nam quod ad verba attinet notissima [a]):

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω

ea si in serie & nexu spectantur, non insanum gignere videntur sensum. Nimirum, quum Graeci milites intempestiva incensi in patriam redeundi cupiditate tumultuari occiperent, obivit Ulysses copias, &, si quem cessantem vidit regem aut virum eximium, illum mitibus castigavit verbis, at gregarios milites aspera coercuit oratione & verberibus:

Δαιμόνι' ἀτρέμας ἧσο, καὶ ἄλλων μῦθον ἄκουε
Οἳ σέο φέρτεροί εἰσι σὺ δ' ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις.
Οὐ μέν πως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ' Ἀχαιοί
Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω

quasi dicat: quid tumultuamini, milites, & injussu

---

a) Iliad. II. 204.

injuſſu principum hinc fugam molimini? Actum erit, ſi quidem, confuſo ordine parendi & imperandi, de publicis rebus ſtatuendi jus ſibi quisque temere vindicabit. Sunt hic reges & duces, quibus cura rerum eſt commiſſa; illorum imperia exſpectare fas eſt. Ut adeo damnata ab Homero πολυκοιρανια non diverſa videatur eſſe ab illa ἀναρχιας ſpecie, qua, languente imperii ſtatu, conculcatur majeſtas, ceſſat reverentia legum & ſuo quisque vivere geſtit arbitrio. Atque hoc modo explicata πολυκοιρανια & eſſe poteſt in monarchica imperii forma & exſulare ab ariſtocratica & democratica. Ceterum vero, quod Agamemnon toti dicitur imperitaviſſe Graecorum exercitui, inde nequaquam concludere licet, fuiſſe ejus imperium abſolutum. Nam etiam Alcinous dicitur πασι Φαιηκεσσιν ἀνασσειν b), & tamen videtur poeta alio in loco haud obſcure indicare, Phaeacum imperium fuiſſe ariſtocraticum. Dicitur enim Alcinous aliquando egreſſus ad reges h. e. principes reipublicae c):

Ἐς βȢλην, ἵνα μιν καλεον Φαιηκες ἀγαυοι.

Qualis autem cunque fuerit imperii forma, iisdem tamen ubique conſpicui virtutibus erunt, qui ad gubernaculum ſedent, ΘεȢδειαν loquor & ἐυδικιας ſtudium. Haec principe digniſſima decora fundamentum ſunt της ſυηγε-

b) Od. VII. 11. c) Od. VI. 55.

εὐηγεσιας, ex qua nullius non felicitatis copia in republica efflorescit, quam ita describit poeta, ut melius nemo. Ita vero ille d):

Ὥστε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος ὅστε θεουδὴς
Ἀνδρασιν ἐν πολλοισι και ἰφθιμοισι ἀνασσων
Εὐδικιης ἀνεχησι φερησι δε γαια μελαινα
Πυρους και κριθας, βριθησι δε δενδρεα καρπῳ
Τικτει δ' ἐμπεδα μηλα θαλασσα δε παρεχει
ἰχθυς
Ἐξ εὐηγεσιης ἀρετωσι δε λαοι ὑπ' αὐτου.

En! perfecta imago boni principis, &, sub ejus sapientissimo regimine, florentis reipublicae. Is pius & justus suam in omnes partes diffundit curam, quo cumulatior in cives redundet felicitas, & ipse possit maximo jure, symboli instar, celebrare illud Agamemnonis e):

Βουλομ' ἐγω λαον σοον ἐμμεναι, ἢ ἀπολεσθαι.

cujus suae saluti impensi studii non majorem gratiam retulerint cives, quam si reverentia & honore regem prosequantur, Graecorum imitati exercitum, cui id laudi ducitur, quod Atridem, μεγα παντων ἀνασσοντα, honoraverint ὡς θεον f). Nec ergo licenter eludas principum edicta, aut maledico dente carpas facta eorum, quod fecit Thersites ille

d) Od. XIX. 109. seq. e) Iliad. I, 117.
f) Iliad. X. 33.

ille Homericus, cujus intemperantiam linguae merito ita coercuit Ulysses g):

'Ισχευ, μεδ' ἐθελ' οιος ἐριζεμεναι βασιλευσιν

& mox:

Τω ὀκ αν βασιληας ανα ϛομα ἐχων ἀγορευοις
Και σφιν ὀνειδεα τε προφεροις — —

Dum ita cives suo funguntur officio, constringitur arctius illud amoris vinculum, quo inter se conjungi debent imperantes & parentes. Odia intestina, discordia & seditiones exsulant penitus, atque, inter communia publicorum studia bonorum, laeti concinunt omnes illud Nestoreum h):

'Αφρητωρ, ἀθεμιϛος, ἀνεϛιος ἐϛιν ἐκεινος
'Ος πολεμȣ ἐραται ἐπιδημȣ, ὀκρυοεντος (*).

XX.

---

g) Iliad. II. 247. h) Iliad. IX. 63.

(*) Ex quo animo viri Sueciae parentis imperio postrema haec profecta sint, & quorsum tendant, lectorum unusquisque tam facile intelligit, quam quod omnium facillime. Ego (dicendum enim est) eo praecipue motus hanc cl. FLODERI dissertationem tessallato huic operi inserui; quod vel illa suaviter declaret id, de quo dudum multi multa scripserunt, sed tamen & ego singularem meditatus sum libellum, scilicet, veritates, quas theologice mixtas dicimus, in primis practicas de officiis hominum in Deum, in se ipsos, in alios, in se superiores, in cives, in pares, de aliis quibuscunque, aeque innotuisse gentibus divinam revelationem in veteri & novo testamento pansam ignorantibus, non Graecis solum & Romanis, (quorum magnam ma-

XX.

FERDINANDI STOSCH RECENSIO LIBELLI RARISSIMI *MATTHIAE LEJI.*

REGINAE PECUNIAE

Libri V.

MATTHIAE LEJI ARVILLARIANI UBII.

In medio hujus tituli paginae in ovi forma emblema conſpicitur; imaginem ex ſtanno, ut videtur, excuſam, repraeſentans araneae texto ſuo involutae & de ſede ſua, ad intricatam apem capiendam, deſcendentis, circum quam inſcriptio legitur: † VIRUS ERO, SI ME CARNALIS ARANEA CARPAT. † SED MEL, SI QUA LEGAT SPIRITUALIS APES. Infra legitur:

AMSTELODAMI

Ex Typographia Raveſteniana Anno clↄ Iↄ CXVIII.

Poemation hoc in *auctione*, ut vocant, librorum, occiſi ob corraſos ſordide numos a la-

ine legiſſe copiam, non glorior, ſed laetor,) rerum etiam aliis, quorum ſcita moresque ex itinerariis didici; licet caeterum eas ex fonte Jeſu longe purius limpidiusque ſuaviusque & moventius & ſalutarius hauriri, ita ſim perſuaſus, ut vix quisquam magis eſſe queat. Nihil verius, quam quod PAULLUS noſter ſcribit *Rom. II.* 14. 15. Sed libelli perfectio & editio, (ut pie cum poeta loquar,) Θεῦ ἐν γούνασι κεῖται.

F. St.

a latrone JOH. CONR. DANNHAUERI, theologiae & philologiae ſacrae profeſſoris in academia Lingenſi, aere ſoluto, nactus ſum. Placebat. Amabam auctorem ingenioſum ingenuumque. Sed quis qualisve fuerit, ignorabam, nec cognoſcere ab aliquo amicorum poteram. Imo, quod miratus ſum, pauca tantum de illo reſcire poſthac mihi licuit. Nec in Lexicis, nec in theatris, nec in biographiis eruditorum virorum, quas multas ſatis evolvi, nec in Lexico ita dicto univerſali, nec denique in eorum, quorum tempore vixit, eruditorum, quosve non minus multos conſului, ſcriptis monimentisve, exceptis JOANNIS OWENI epigrammatibus, aliquam ejus mentionem factam reperi.

Ergo equidem obſcuri nominis homo LEJUS meus videri poſſet. Non tamen fuit. Sed eximii ingenii fama illum floruiſſe, ex amicitiis, quas contraxerat, conjunctionibusque merito colligitur. DANIEL HEINSIUS, magnum ſui ſeculi decus, ut prima te docet pagina, *a virtute & cum ob dotes alias, tum inſignem eruditionem, ac praecipue poeticam in carmine elegantiam, venam candidam, facilem, ac plane ingenuam*, illum laudat commendatque. Vides deinde inſignem ſua aetate jureconſultum & philologum, CORNELIUM PYNACKERUM, in ſuis eum habuiſſe, &, ex auctoritate comitali palatina,

tina, poetica Caesarea lauru ornasse. Sic enim ad hunc LEJUS:

Dic mihi, CORNELI, cur PINACKERE, poetam
Tu me laurigerum Caesareumque vocas?
Tu, qui cordatus nihil impudentis in ore
Quod sapiat vanum, futilitatis habes.

& quibusdam interjectis:

Te puto, cui comitis *decora omnia & omnia cedunt*
Jura palatini; *principe dignus honos.*

Porro, cum JACOBO FETZERO, jurisconsulto & patricio Norico excellentissimo, JOACHIMO MORSIO, polyhistore insigni, & JOANNE OWENO, cultissimo celeberrimique nominis poeta & Euterpes in primis amico, familiariter nostrum vixisse, ex adpendice ad hujus epigrammata intelligis. In hac ultimo loco ista leguntur.

16. *Morabantur simul in diversorio Londini JAC. FETZERUS, JOACH. MORSIUS & MATTHIAS LEJUS. Ad hos cum viseret OWENUS, praesentiae ejus ita gratulatur FETZERUS:*

Hoc erat in fatis, at numine fata reguntur,
Quod nos conjuncti tres in amore sumus.

Cui responsum ab Oweno.

Ultimus huc veni: ter tres heic ante fuistis,
Non tamen ad Musas venit Apollo novem.

Fetzerus iterum.

Ad Musas gratus venit Apollo novem.

17. *Owenus de coelibatu suo.*

Ipsa mihi quamvis uxor sapientia detur,
Uxorem nolo ducere, mundus ait.
At Martinus ait: sine conjuge vivere nolo,
Ipsa licet conjux sit mihi stultitia.

18. *Ad M. L.*

Tu duc stultitiam; mihi sit sapientia conjux,
Tu regito uxorem, me mea nupta regat.

19. *Imitatio hujus Epigrammatis.*

Etsi sponte mihi sapientia nubere vellet,
Uxorem nollem ducere, mundus ait.
Conjuge, stultus ait, non vellem sponte carere,
Praesto licet conjux sit mihi stultitia.
Ast ego malo meis, quam istorum sensibus uti:
Non bene mundus ait: non bene stultus ait.
Sit tibi stultitia, ast mihi sit sapientia conjux;
Illa tibi magis, haec sed mihi nupta placet.

M. MATTHIAS LEJUS
Arvillariensis.

Haec

§

Haec ex editione Amſtelodamenſi anni MDCXLVII deſcribenda curavi. Complures Owenianorum epigrammatum editiones non habent; adnotandumque duco, quod aliae editiones Amſtelodamenſes in primo verſu epigrammatis a LEJO conſcripti, pro: *etſi ſponte* legant: *etſi forte*, aliae epigrammata alia exhibeant, &, quae in mea, quae ad manus eſt, numero decimo ſexto & decimo ſeptimo poſita ſunt, omittant, decima octava vero loco: *ad M. L.* inſcribatur: *ad M. Lutherum.* Quod ego quidem ab ingenio aliquo ita conjectante profectum eſſe, & ad MATTHIAM potius *Lejum* pertinere, hujus, quae ſtatim ſubjicitur, *imitatione* adductus, arbitror.

Patria *Arvillarienſem* ſeu *Arvillarianum Ubium* ſe profitetur poeta. Quod, quum Ubiorum nomen late pateat, ego quidem & mecum alii, non aliter, ac de oppidulo *Arweiler* ſeu *Aarweiler* in circulo rhenano ſuperiore interpretari poſſumus.

Tenuiorem poetae noſtri fuiſſe ſortem, tum ex eo, quod HEINSIUS dicat, *nihil deeſſe illi praeter favorem eruditorum ac bonorum*

Est fortuna meis, fateor, contraria votis,
Nec sinit ire meas me remorata vias.

Num ex M. majusculo, quod subscripto nomini praepositum legitur, illum artium magistri honore condecoratum fuisse conjecturam facere liceat, non definio. Fasti alius aliusve academiae inspecti edocere nos poterunt.

Ad ipsum quod adtinet poemation HEINSII laudem auctori tributam, *ob poeticam praecipue in carmine elegantiam, venam candidam, facilem, ac plane ingenuam*, non a favore tantum viri, sed ex veritatis etiam lege, profectam esse, aequus peritusque artis poeticae & ingeniorum aestimator unusquisque ex ipsa ejus lectione perspiciet sentietque. Ut vero, rarissimis plane libellis illud accensendum esse existimem, id me movet, quod tum librorum heluones compluresve bibliothecas instructissimas frustra de illo consuluerim, tum per nova literaria in Germania & Belgio nil quidquam expiscari de illo potuerim.

Utrumque ergo, & ipsa libelli praestantia & insignis raritas, id apud me valuit, ut huc recensione aut, si mavis, notitia dignum illum omnino judicarem.

XXI.

XXI.

G. S. D.

H E X A S
OBSERVATIONUM MINORIS ARGUMENTI.

I.

HORAT. *Odar. L. I. Od. 1. vſ. 4-6.* Hianti conſtructioni medetur BENTLEJUS - - - *palmaque* NOBILIS *terrarum dominos* EVEHERE *ad deos.* Eleganter Graece. An Latine? Corrupta lectio reſtituenda videtur - - - *palmaque* NOBILIS, *terrarum dominos* QUAE VEHIT. *ad deos.* In codice MS. fuerit: Q̄ *vehit;* unde exſculptum *evehit.*

II. IDEM *Odar. L. II. Od. X.* Saepius ventis &c. Sed expolitio alterius extremorum excidiſſe videtur, quod alicubi ſuppletum videre me memini:

Blandius elato SURGANT temone jugales nihil omnino mutandum. SURGUNT enim Phoebi jugales mane iterum e Thetide, in quam vesperi decurrerant. SURGUNT in altum tendentes *elato temone*. Quis aurigationis non rudis id nescit? Lectio ISINGRINIANA, probante HEINSIO in tautologiam recidit re vera.

IV. *Ad eundem p. 910. vs. 45.* GENITALI MORTE. Malim equidem: GENIALI; ipso explicante scriptore vs. 165. Mors illi Venus est. Sola est in morte voluptas.

V. *Ad eund. p. 915. vs. 161.* pro:

AT, fortunatae sortis filique volucrem!

dele comma, & lege:

AH! fortunatae sortis filique volucrem.

Nullus enim particulae *adversativae* hic locus, sed *desiderantis* vox est.

VI. In SENECA TRAGICO *ex editione* GRONOVII, *Amst. 1682, Oedipi act. V. choro I. p. 369.* lego:

Mutare RATA stamina fusi.

Metrum hic vapulat. Nam in carmine anapaestico puro, quale est nostrum, pes pyrrhichius locum non invenit, nisi in fine versus. Itaque lege:

Mutare RATI stamina fusi.

INDEX.

INDEX.

FINIS PARTIS I.



Folgende

Folgende Bücher sind in der Michaelmesse 1775 beim Verleger dieses Werks fertig:

Der Baurenfreund in Niedersachsen, 2tes Bändchen, 8.

Bibliothek der neuesten deutschen Litteratur, 8ter Band, gros 8.

Bonnet, Karl, Betrachtungen über die organisirten Körper, aus dem Französischen übersezt von J. A. E. Goeze, 2ter und lezter Theil, gros 8.

Prizelius, Handbuch der Pferdewissenschaft zu Vorlesungen, gros 8.

neueste Religionsgeschichte, unter der Aufsicht des Hrn. D. Walchs, 5ter Theil, gros 8.

Schmidt, F. A. A. J. Unterredungen über die Forsthaushaltungswissenschaft für angehende Forstbediente, 8.

Schütz, Hrn. Professors, Metaphysik, 8.

Seckers, Thomas, Predigten über verschiedene Gegenstände, 3ter Theil, gros 8.

des Strabo algemeine Erdbeschreibung, in siebzehn Büchern, aus dem Griechischen, mit Anmerkungen und Zusätzen von Abr. Jac. Penzel, 2ter Band, gros 8.

ist nunmehr im Verlage der Helwingschen Hofbuchhandlung zu Hannover der dritte Band heraus. Der vierte und fünfte erscheinen nächstens.

* * *

Die von Herrn Dohm besorgte Kämpfersche Geschichte von Japan ist nunmehr unter der Presse und alle 45 Kupfer in der Arbeit. Man bittet die noch fehlenden Namen und Charaktere der Hrn Pränumeranten unverzüglich an die Meyersche Buchhandlung einzusenden.